10 G 56

Digitized by Google

Historické fondy
10 G 56
Národní knihovna



Digitized by Google

Digitized by Google

Author est Historicus, sed
potest legi. Stylus est cultus.

Q. VIII
122.

Digitized by Google

CASPARIS BARLÆI

Med. Doct. ac Philosophiæ in ill. Amstel.
Gymnasio dum viveret Professoris

EPISTOLARVM LIBER.

PARS PRIOR.

AMSTELODAMI,
Apud JOANNEM BLAEV.
M. DC. LXVII.

Digitized by Google

Digitized by Google

Nobiliſſimo, ampliſſimo, doctiſſimoque viro,

D. ARNOLDO HOOFT,

EQVITI,

Reipublicæ Amſtelodamenſis

EXSCABINO,

Maritimatum cauſarum Judici.

Nobiliſſime vir,

Epiſtolas haſce Soceri mei p. m., pridem ab affine, in Luſitaniâ res Batavicas nunc curante, in unum collectas, tandem, flagitantibus id amicis, in lucem edo. Eorum deſiderio, poſt Poëmatum & Orationum editionem, obſequendum autumavi, ut propius in

Digitized by Google

Epistolis obſervare liceat Barlæum. Hîc enim ingenium & animum, mores nævosque, hoc eſt, ſeipſum, quanquam interdum & alios, literarum lineamentis depingit. In eis, ut earum materiam ſtrictim percurram, habebunt lectores quod diſcant, Hiſtorici quod notent, Theologi quod animadvertant. De rebus ſacris, de veritate pacificâ, de Religionis libertate diſſerit auctor tam piè quam animoſè: de Philoſophorum arcanis ſagaciter & perſpicuâ ſubtilitate. Erga familiares officioſus eſt ſcriptor, in fautores gratus, cum gaudentibus gaudet, & dolentibus præbet ſolatium. Sic miſcet utile dulci, rerum argumentorumque varietate, monitis, jocis ſalibusque. Plura adderem, ſed non eget

dome-

Digitized by Google

domeſtico teſte. Ad ordinem quod attinet, in illis digerendis annorum ſum ſecutus ſeriem, ut hâc viâ, inter ſcriptoris ad amicos alloquia, hiſtoria ſui temporis facilius cernatur. Quasdam quoque aliorum eis immiſcui, vel ob reſponſa quæ ſequuntur, vel quia ad ſuperiores reſpondent: inter quas & magni Richelii Cardinalium eminentiſſimi, & Grotii Batavorum eruditiſſimi leguntur. Quod autem epiſtolarum hunc librum tuo nomini inſcribo, vir nobiliſſime, fas arbitror. partim quia in literarum hoc opere paginæ plurimæ, ad parentem tuum, illuſtrem illum Muydenſem Satrapam, ac in Batavâ hiſtoriâ poëſique Principem, olim perſcriptæ, jure hæreditario tuæ ſunt: partim ob affectum quo

Digitized by Google

memoriam Soceri, ac ipsius ingenii monumenta, semper coluisti. accedit quod ejus liberos propinquosque singulari humanitate, quæ amicitiæ erga inferiores optima est probatio, etiamnum devincias. quibus & ego annumerandus, quem majore benevolentiâ quam mereri mea potuit tenuitas complecteris. Accipe ergo hoc literarum munus in gratitudinis perenne pignus. Earum lectio, ubi legere dabitur, animum tuum, curis forensibus defessum, oblectetur. Vale vir nobilissime & amicissime. Diu te fruatur Amstelodamum, diu in te conspiciat non solum tanti patris, sed etiam avi integerrimi, in Reipublicæ gravissimis causis probati Consulis, vivam imaginem, ipsos non minus virtutibus

&

Digitized by Google

& dotibus animi, quam vultu & corporis externâ ſpecie referentem. Hornæ. cIↃ IↃ C LXVII. XII Feb. qui Socero abhinc annos LXXXIII fuit natalis.

Nob. tuæ

obſervantiſſimus

GERARDVS BRANDT.

Digitized by Google

LECTORI AMICO
G. BRANDT S. P. D.

Priusquam ad has legendum animum adjungas, benevole Lector, paucis te volo. Non solum literas Soceri hactenus non editas tibi exhibeo, verum & eas, ne mutilum sit opus, quæ inter clarorum virorum epistolas abhinc septennium alius curâ Amstelodami prodierunt; nec non illas, quæ propter stylum oratorium olim orationibus fuerunt insertæ. Denique præfationes nonnullæ ab auctore antehac elucubratæ, universo operi, utpote epistolis affines, adjunctæ sunt. Hinc disparitas in stylo. Nec semper argumenta sunt hîc epistolaria, nec dictio. Nonnunquam assurgit scriptor, ac in cœlos vehitur: veruntamen perspicuitatem unicè sectatur. nubibus se involvi non sinit, ac se videre non putat, nisi videatur. Crebrò quoque per terram ambulare & negligenter cum familiaribus confabulari videtur: at epistolis, teste Politiano, negligentia ipsa est pro cultu. In quibusdam res gestas narrantibus aliquis forsan apertiorem locutionem desideret:

Digitized by Google

ret: verum illæ perpaucis sunt obscuræ, & solum historiæ patriæ ignaris. Rursus & alius objiciat, aliquando eadem vel gemina occurrere locis pluribus. quod in paucis, & cum id res postulare videbatur, factum fateor: sed hâc in ipsâ similitudine quandam quoque disparilitatem contuemur. Manet igitur hoc in opere varietas ipsa, fastidii expultrix & lectionis irritatrix. Ad voces dictionesque Græcas in his literis sæpe occurrentes quod attinet, eas in magnum commodum minus eruditorum, fervente prælo, vir quidam amicus Latinitate donavit. Hæc habebam quæ te scire vellem. Reliquum est, ut eis, quas publici juris feci, utaris, ac oculos literis pascas. Vale mi Lector, & quod in his edendis præstiti, æqui bonique consule. Hornæ. Anno CIↃ IↃ CLXVII. XIV *Februarii.*

Digitized by Google

INDEX EPISTOLARVM.

Abrahamo Dominici Leowartio, in Frisiis paludibus Concionatori. p. 181. 233. 413.

Adolpho Vorstio, Medicinæ Professori. p. 477.

Adriano Blyenburgio, Naeldwici Domino, Prætori Dordrechtano. p. 201. 227. 276.

Adriano vander Myle, Domino in Bleskensgrave, Willemstadii Gubernatori. p. 521. 635. 895.

Adriano Ploos ab Amstel, Equiti; Domino in Thienhoven &c. p. 432. 447. 507. 580. 611. 661. 747.

Aiguiberio Gallo. p. 921.

Alberto van Schagen, Domino in Schagen. p. 476.

Antonio Oetgens van Waveren, Domino in Waveren &c. Reip. Amstel. Consuli. p. 415.

Armandus Ioh. Plessiacus, Cardinalis Richelius &c. G. Barlæo. p. 869.

Armando Ioh. Plessiaco, Cardinali Richelio. p. 870.

Arnoldo Buchellio, Iurisconsulto apud Ultrajectinos. p. 166. 187. 194. 199. 212. 246. 267. 283. 297. 305. 321. 364. 393. 482. 532. 588. 645. 685. 709.

Arnoldo Vinnio, Iurisprudentiæ in Academia Lugd. Bat. Professori. p. 855.

Arturo Ionstono, Medico Regio. p. 694.

Axelio Oxenstiern, Regnorum Sueciæ Cancellario. p. 478.

Alduino Hamæo, Medico Britanno. p. 179.

Bartoldo Nihusio, in ecclesiâ Romanâ Theologo. p. 57. 62. 77. 116.

Bartoldus Nihusius, C. Barlæo. p. 59. 67. 99.

Bernhardo, Saxoniæ &c. Duci, Exercituum Fœderatorum

Digitized by Google

torum Regum & Principum in Germaniâ summo præfecto. p. 763.
Bernhardo Pandelaert, Medicinæ Doctori. p. 949.

Conrado Goddæo, Concionatori in Vaessen. p. 899. 923.
Conrado Vorstio, Theologiæ Professori. p. 1.
Constantino Hugenio, Equiti; Zulichemii, Zeelhemii &c. Toparchæ; Principi Auriaco à consiliis & secretis. p. 130. 138. 146. 149. 153. 160. 165. 167. 174. 186. 196. 214. 221. 229. 260. 263. 269. 280. 294. 295. 302. 303. 310. 313. 324. 388. 389. 394. 431. 436. 486. 488. 502. 515. 516. 537. 541. 549. 554. 561. 582. 586. 588. 596. 614. 638. 648. 669. 684. 689. 699. 713. 743. 750. 780. 814. 826. 830. 841. 857. 868. 884. 922. 931. 940. 944. 948. 951. 956. 1007.
Constantino Hugenio Filio. p. 934.
Consulibus Reipublicæ Amstelodamensis. p. 985.
Cornelio van Beveren, Consuli Dordrechtano. p. 481.
Cornelio Boyo, Advocato. p. 705. 741. 837.
Cornelio vander Myle, Equiti; Domino in Myle, Dubbeldam &c. p. 178. 230. 240. 258. 282. 314. 350. 353. 361. 366. 370. 379. 440. 499. 510. 513. 535. 536. 540. 547. 577. 584. 589. 602. 605. 608. 619. 625. 634. 637. 667. 674. 692. 693. 711. 712. 790. 828. 834. 840. 864. 888. 974. 980.
Cornelio Quacq. p. 204.
Cornelio van Veen, Advocato. p. 664.

Danieli Heinsio, Equiti; Politices & Historiarum in Academia Lugd. Bat. Professori. p. 154.
Danieli Iohannis Snecano. p. 220.
Danieli Schonckio, Poelgeestæ minoris Domino. p. 815. 818. 1014.
Dominico Abrahami Feenstra. J. U. D. p. 607.

Domi-

Digitized by Google

Dominico Molino, Patricio & Senatori Veneto. p. 237. 248. 256. 298.
Ducibus Saxoniæ Ducis Bernhardi Fratribus. p. 770.

Eduardo Herberto, Baroni Britanno. p. 609.
Ephoro Megapolensium Ducum. p. 793.
Erycio Puteano, Eloquentiæ in Academiâ Lovanienſi Profeſſori. p. 438. 866.

Foppio ab Aitſema, Equiti, ill. Ord. Generalium apud Hanſeaticas urbes Delegato. p. 235. 334. 339.
Franciſco Leeuwio. p. 397.
Frederico Gunthero, Daniæ Regi à ſecretis. p. 505.
Frederico Riccio, Purmerendanæ urbis ac territorii Prætori. p. 919.
Frederico Spanhemio, Theologiæ in Academiâ Lugd. Bat. Profeſſori. p. 912. 924. 937.

Gerardo Crommom, Curiæ Hollandiæ Senatori. p. 929.
Gerardo Nyendalio Ultrajectino. p. 767. 772. 773. 786. 856. 860.
Godefrido de Haeſtrecht. p. 118. 125. 127. 131. 133. 136. 139. 143. 147. 151. 155. 159. 169. 172. 175. 189. 205. 216. 217. 247. 255. 261. 266. 287. 346. 427. 449. 480. 595. 642. 680. 898. 902.
Georgio Doubletio, Curiæ ſupremæ Holl. Senatori. p. 315. 329. 332.
Guilielmo Borelio, Duinbekæ Domino, Reipublicæ Amſtelod. Syndico. p. 753. 789. 825.
Guilielmo Braſſero. p. 309. 850.
Guilielmo Adolpho Croſecq, Haſſiæ Comiti à conſiliis & ejuſdem in conventu Monaſterienſi Plenipotentiario. p. 943.
Guilielmo Grotio, Jurisconſulto. p. 177. 887.

Gui-

Digitized by Google

Guilielmo Herberto, Pembrociæ Comiti, supremo Magnæ Britanniæ Regis Cubiculario. p. 162.
Guilielmo Staakmans, in Conventu Ord. Gener. Belg. è Frisiâ Delegato. p. 559. 653.

Henningio Arnisæo, Archiatro Regio. p. 533. 623.
Henrico van Eden. p. 703.
Hermanno Conringio, Physicæ in Academiâ Juliâ Professori. p. 404. 563.
Hugoni Grotio, quondam Syndico Roterodamensi, & tandem ad Regem Christianismum Reginæ Regnique Suedici Legato. p. 242. 278. 308. 778.
Hugo Grotius C. Barlæo. p. 244. 279. 777. 780.

Iacobo Balde, S. I. Collegii Monachiensis Rectori. p. 910. 936.
Iacobo vander Burgh, Fœderati Belgii Ordd. res Leodii agenti. p. 484. 836. 876. 881. 891. 907.
Iacobo Catsio, Equiti; primò Reip. Dordracenæ, deinde Ordinum Hollandiæ Syndico. p. 491. 495. 497. 593. 599. 787. 839.
Iacobo Maestertio, Jurisprudentiæ in Academiâ Lugd. Bat. Professori. p. 760.
Iacobo Petitio, Jurisconsulto Ultrajectino. p. 121. 123. 145. 171. 190. 202. 344. 349. 411. 504. 650. 877.
Iacobo vander Straten. p. 259. 299. 347. 354.
Iacobo Westerbanio, Equiti; Domino in Brandtwijck &c. p. 905. 914.
Iacobo Zas, Curiæ Ultrajectinæ Senatori. p. 893.
Ioachimo Vicofortio, Equiti; Hassiæ Lantgraviæ à consiliis, &c. p. 498. 501. 568. 585. 591. 598. 601. 647. 720. 724. 727. 733. 738. 745. 758. 782. 822. 844. 847. 851. 853. 861. 866. 886. 909. 926. 927. 930. 938. 947. 990.
Iohannes Beverovicius Dordracenus C. Barlæo. p. 460.

Iohan-

Digitized by Google

Iohanni Beverovicio, Medico & Senatori Dordraceno. p. 467. 551. 651. 696. 788.
Iohanni Bodæo à Stapel, Medicinæ Doctori. p. 148. 285.
Iohanni Bodechero Benningio, Philosophiæ in Academiâ Lugd. Bat. Professori. p. 494.
Iohanni Bor, Medico Ultrajectino. p. 142. 157. 210. 640.
Iohanni Cabeliavio, J. U. D. p. 291. 322.
Iohanni Helmondo. p. 676. 687. 757.
Iohanni à Matthenesse. p. 236.
Iohanni Narssio, Medicinæ Doctori. p. 129.
Iohanni Neoporto, urbi Ultrajectinæ à secretis. p. 573.
Iohanni Oxenstiern, ad Britannos Legato. p. 512. 531.
Iohanni Pilio, Juris studioso. p. 493.
Iohanni Polyandro, Theologiæ in Academiâ Lugd. Bat. Professori. p. 396.
Iohanni Isacio Pontano, Daniæ Regis Historiographo, & Physices apud Herdervicenses Professori. p. 290. 401. 435. 742.
Iohanni ab OverRhyn à Schoterbosch. p. 211. 233.
Iohanni Godtscalco à Schurman. p. 306.
Iohanni Scoto Scototarvatio, Equiti; Cancellariæ Scoticæ Directori. p. 863. 874. 928. 933.
Iohanni Uytenbogardo, Ecclesiastæ. p. 2. 317. 356. 357. 359. 368. 372. 375. 380. 383. 390. 392. 407. 748.
Iordano Rampers, Quæstori Neomagensi. p. 946.
Iustiniano, Venetorum Reipublicæ ad Batavos Legato. p. 784.
Iusto Vigio, Consiliario. p. 942.

Laurentio Broman, Syndico Gottenburgico. p. 945.
Laurentio Nyendalio, Jurisconsulto apud Ultrajectinos. p. 419.
Lectori. p. 999.
Leoni ab Aitsema, J. U. D. p. 251.

Ludo-

Digitized by Google

Ludovico à Kinschot, Cameræ Rationum Holland. Auditori. p. 402.

Matthia Overbequio. p. 198.
I. Mauritio, Nassoviæ &c. Comiti, Brasiliæ Gubernatori. p. 784. 1020.
M. Oldisworthio, Pembrociæ Comiti à secretis. p. 164. 191. 241.

N. p. 446. 450. 457.
Nicolao de Baugy, Regis Christianissimi ad Batavos Legato. p. 548. 592.
Nicolao Cromhout, Curiæ Hollandiæ Præsidi. p. 553.
Nicolao Reigersbergio, Curiæ Rationum Consiliario. p. 331.

Ordinibus Fœderatarum Belgii Provinciarum. p. 7. 971.
Osdorpio, Scholæ Amstelodamensis Rectori. p. 363.

Paulo Verulano, Oostvornæ Domino. p. 904.
Petro Bor, Reip. Ultrajectinæ à secretis. p. 135.
Petro Cunæo, Jurisprudentiæ in Academiâ Lugd. Bat. Professori. p. 398. 400. 416. 417. 419. 422. 423. 424. 427. 430. 439. 485. 570. 575. 581. 612. 625. 631. 641. 644. 655. 677. 691. 698. 707. 726. 959.
Petro Grutero, Ludimagistro Amstelodamensi. p. 207. 208.
Petro C. Hooft, Equiti; Muydensi Satrapæ, Goylandiæ Prætori. p. 206. 311. 578. 627. 629. 654. 660. 666. 671. 672. 679. 716. 730. 735. 737. 754. 762. 765. 768. 775. 816. 819. 848. 900. 957. 960.
Petro Naeltwijk, Medicinæ apud Gottenburgenses Doctori. p. 253.
Petro Schuylio, Quæstori apud Sylvæducenses. p. 682.
Prætori ac Consulibus oppidi Brilensium. p. 964.

Digitized by Google

Reinero Neuhusio, Gymnasii Alkmar. Rectori. p. 774. 880.
Remonstrantibus. p. 6.
Rocho Honerdo, Supremæ Curiæ Senatori. p. 289. 293. 425. 508. 519. 556. 599. 659. 663. 708.

Scholarchis Amstelod. p. 362.
Simoni Episcopio, Theologiæ Professori. p. 4. 271. 273. 325. 335. 406. 414. 950.
Sixtino Amamæ, Hebrææ linguæ in Academiâ Franekeranâ Professori. p. 184.
Sylvestro Dankelman, territorii Lingensis Judici. p. 890. 916. 935.

Theodoro Graswinckelio, Equiti; Fisc. Holl. Advocato. p. 913.
Theodoro Gravio. p. 158. 352.
Theodoro Schrevelio, Gymnasiarchæ Scholæ Lugd. Bat. p. 409. 490. 604. 613. 633. 657. 704. 962.
Thomæ Ferens, Sassæ Gandavensis Gubernatori. p. 917.
Tilemanno Stellæ, Baroni de Mourimont. p. 859. 873. 878.

Vincentio Fabricii, Hamburgensi. p. 429.
Vopisco Plempio, Medicinæ in Academiâ Lovaniensi Professori. p. 821.

Winando Schuylio. p. 571. 658.

Digitized by Google

CASPARIS BARLÆI EPISTOLÆ.

I.

CONRADO VORSTIO S. P.

Cariſſime D. Doctor,

Memor officii mei & promiſſi exemplar hoc Bogermanni ἐλεγχομένου [*confutati*] ad te transmitto, ut ejus lectione aliquam doloris iſtius, quem adverſariorum tibi infligit pertinax improbitas, partem ſoleris. Eſt enim argumento quoque tuus, quia de te, aut potius adverſus antagoniſtarum tuorum rabiem pro te. Quanquam in ea nos incidiſſe tempora doleam, in quibus etiam, quod verum eſt, dicere ſuſpectum eſt & noxium. Quod an hujus noſtri ſeculi proprium ſit, an vero veritatis & innocentiæ individuum concomitans, nondum decernere potui. Certe quicquid ſit, non eſt deſpondendus animus, præſertim iis, quos recti conſcientia erigit, quique ad hoc vocatos ſe norunt, ut imagini Filii Dei conformes reddantur. Sed quid ego hæc apud te Vir Clariſſ. qui nec me monitore opus habes, & illum hactenus animum geſſiſti, quem nec heroum offenſa, gravis alioqui, nec plebeiorum inſultus, nec fratrum odia à recto dimoverunt. quem ut tibi porro infractum præſtet Deus conſolationum, etiam atque etiam rogo. Hoc

Digitized by Google

tamen scito, minime mihi satisfactum fore, si pro hoc nostro munusculo gratiarum actionem transmiseris. Duo siquidem mihi cum Simonide Poëta sunt scrinia, unum Gratiarum actionum, alterum largitionum & donorum; quorum illud vacuum nobis semper & inane est. Quare verba mihi dari nolo, rem postulo, hoc est donum pro dono, & quidem, ut quam libere apud te agam videas, Anti-Sladum tuum. Tunc enim lucrum me feciſſe rebor, & χρύσεα χαλκείων [*aurum ære*] commutaſſe, si hoc potitus fuero. Vale vir clariſſ. cum uxore & liberis, & meliora à Domino spera. Prid. Cal. Sept. 1615. Raptim. Festinante & jamjam abitum ad te parante Molano.

2.

IOANNI UYTENBOGARTIO S. P.

Clariſſime Vir,

Apographum istius, quod petieram, testimonii, ad te redit, una cum oratione mea, quam in vociferatores modernos, & nominis nostri fugillatores improbos conscripsi. Non est, quod calumnias istas inultas sinamus, cum nec causæ nos innocentia, nec vis dicendi scribendique destituat. Illud scio, omne adversariis nostris refugium in isto sycophantiarum genere repositum esse, nimirum, ut quibus hæreses nostras probare non possunt, eorum animos, pessimorum scelerum suspicione occupatos, in odium nostrorum convertant. Equidem, tunc optimam

Digitized by Google

optimam se Ecclesiæ operam navasse autumant, cum nos exosos reddiderint. De modo solliciti non sunt. Quin utilissimus ad hanc rem illis creditur mentiendi labor. Nisi verum dico, non deprecor hominis improbi notam. Sed quid nos? Harpocratem agemus? At hoc vel conscios nos, vel dissolutos arguet. Loquemur? hoc verò generosi est, & non degeneris animi, cui ipsa vita charior existimatio sua esse debet, præcipue si Reipublicæ ac Ecclesiæ interfit integram illam esse, & ἀμώμητον. [*inculpatam.*] Certè, calumniarum istarum impatiens, calamum in manus sumpsi, & quam natura negabat, indignatio justa orationem fudit. In qua accusationis istius vanitatem, & accusatorum impudentiam abunde à me demonstratam puto. Dicunt illi, quæ volunt. Audiant & ea, quæ non volunt. Iniquissimum semper judicavi, vel intempestive silendo, vel frigide rem agendo veritatis causam prodere. Commissi sumus cum hominibus ferreæ ac perfrictæ frontis, qui aut victoria potiri volunt, aut emori; ἢ κεῖνον, ajunt Græci, ἢ κηλοκύνλην, aut florem, aut cucurbitam, adversus quos nil languida proficias manu, sed dura bipenni & cuneo, post toties tentatos frustra mitioribus consiliis illorum animos. Sæpè, quos nimia & inconsulta facilitas perdidisse videbatur, imperterritum in hostem pectus servavit. Illud sane A. T. celare non possum, maximam me, & quotquot præterea sunt Remonstrantium, voluptatem cepisse ex lectione Hy-

Digitized by Google

peraſpiſtæ tui. In quo præterquam quod verum dicas, eo etiam jam modo loqui cœpiſti, qualem adverſariorum improbitas, & argumenti natura poſtulabat, hoc eſt verè παῤῥησιαστικῶς. [*loquendi libertate ſummâ.*] Deus Opt. Max. illum A. T. animum adaugeat, & præclaras, quas in tam fœcundum pectus contulit dotes, in Eccleſiæ ac Reip. bonum vertat. Si orationem noſtram legere dignaberis, videbis liquido, quo fine teſtimonii illius copiam mihi fieri voluerim. Neque vero eo utar, niſi ex conſilio & conſenſu tuo. Vale vir clariſſ. & publico bono æternum vive. Lugd. Batavorum ſub finem Decemb. 1615.

3.

SIMONI EPISCOPIO S. P.

Clariſſime D. Profeſſor, collega conjunctiſſime, Simul ac Dordracum reliqui, mihi redditus ſum. Nam & illa, quæ me corripuerat febricula, evanuit, & ſimul nocturnum illud malum, quod toties vobis ridendi materiam præbuit, Ephialten vocant. Litteras tuas quod attinet, eæ humanitatis tuæ & affectus in me propenſiſſimi teſtes ſunt uberrimæ, ſed uti hunc exoſculor, ita illud tuum ὑπερβολικὸν [*plus quam nimium*] de meritis meis, & præſtitis vobis officiis judicium verecunde amolior. Opellam meam libens vobis commodavi, & dolet, quod diutius vobis adeſſe non licuerit, quanquam & ſine me illa geri poſſunt, & ſinguli ad iſtius generis

Digitized by Google

neris opera sufficiatis. Nulla mihi gratitudinis officia debetis, præter illud quod jam misistis, nempe honestam de collatis à me in commune bonum consiliis & operis testificationem. Aliud nec peto nec expecto. Calamum mercenarium non habeo, & sunt inter vos, quibus angustior domi res est, quam mihi, quibus decedere quidpiam nolim ut ad res meas accessio aliqua fiat. Scribis de inserta schedula, quam D. Codæo tradam. Sed illam in litteris non offendi, forte in mensa tua reliquisti, aut exciderit necesse est. Eam mitte. Festinato opus est, nam rationes istæ propediem exhibendæ sunt D. Curatoribus. De D. Bertio, quod scribis, fictum omne est. D. Curatores indies hic expectantur, quid acturi ignoratur. D. Vossius collega meus vos omnes bono animo esse jubet, & concors vobis omnibus ac imperterritum pectus ad finem usque esse optat. Unum hoc, inquit, adversariis terrori est & admirationi, quod concordes videant Remonstrantes, nec impendentium aut quæ intentantur malorum metu affici. Ego hic vestram causam, non minus quam si vobis adessem ago, sed ignorare vos hæc satius est. Fratribus omnibus salutem meis verbis officiose dicito, memor hospitis & hospitæ. Vale, & Atlantem porro age, qui axem illum quinquarticularem, humeris tuis fulcis, & jam aliquoties Hectoreo animo ignes injeciſti Græcorum Classibus, & iis,

Quæ nunc cuncta malis habitantur mœnia Grajis.

20 Febr. 1619.

Digitized by Google

4.

Piissimis, Doctissimis, ac veræ Religionis assertoribus invictis, citatis ac proscriptis REMONSTRANTIBUS, Fratribus meis in Domino observandis, S. P.

Dilecti in Domino Fratres,

Quos corpore propediem, nunc animo & affectu solo sequor, & afflictionis vestræ partem non levem jam inde à vestro discessu, apud me tacitus sustineo. Statueram die Sabbathi jam elapso Hagæ-comitis vos invisere, sed inopina illa & præceps vestrûm proscriptio, & abitio me optatissimo istius consilii fructu privavit. Nunc, quod unum possum, doloris mei nuncias litteras ad vos mitto, si modo justi doloris materies sit, Religionis & veritatis ergo exulare. Discessistis è Belgii Confœderati finibus, sed in animis multorum altius infixi hæretis, & qui laborum vestrorum hactenus consors fui, nunc exilii consors esse desidero. Nec vero meliora me fata manent, si non pejora. Expectatur hodie D. Curatorum adventus, ad capessendam Academiæ & Collegii Reformationem. Faxit Dominus, ut idem mihi sit animus, qui vobis fuit. Arridet prima fronte speciosa illa lucelli promissio, sed non tanti emam pœnitere, aut dicendi scribendique libertatem vendam sordido luto. Vt inopiæ vestræ & domesticis necessitatibus succurratur, jam serio cogitatur, & propediem suam erga vos benevolentiam testabuntur illi,

Digitized by Google

illi, qui vos pectoribus ſuis reconditos gerunt. Si tamen cauſæ communi conſultum vultis, de reditu cogitandum vobis erit. Aliorum concionatorum, qui in prima jam acie dimicant, oculi in vos conjecti. Res plena periculi eſt; fateor, ſed nullum periculum illi eſt, qui vitam æternam lucrum ſuum eſſe putat. Glorioſius in Patria, quam hoſtili ſolo morimur. Concionum libertate ad conſcientiarum libertatem graſſandum erit. Et bone Deus quantum hoc bonum! Noſti quo precio illa ſteterit majoribus ac parentibus noſtris. Interim litteris veſtris Eccleſias afflictas erigite, & de promovenda ſanctis mediis Chriſti cauſa ocyus cogitate. Vt ad conſtantiam & patientiam vos horter neceſſum non arbitror, abunde enim inſtructi eſtis iis ſolatiis, quibus Chriſtiano iſtâ arenâ opus eſt. Dominus Deus vos firmet, roboret ac ſtabiliat in omni opere bono, ad nominis ſui gloriam. Valete Chariſſimi Fratres, & tu imprimis cordis dimidium mei Theophile Rijckwaert. Tecum vivere amem, tecum obeam libens. Raptim è Muſeo 7 Iulii 1619.

5.

FIDES IMBELLIS,

ſive Epiſtola patænetica ad Illuſtriſſimos & potentiſſimos Confœderatarum Provinciarum ORDINES.

PATRES PATRIÆ, ita vos appello, quia, tales ut ſitis, officii veſtri religio, ſalus

Digitized by Google

publica & bonorum omnium vota efflagitant) qui antehac supplici voce vos affatus sum, licet frustra, etiamnum Vestras Celsitudines oratione hac incondîta, sed justissimi doloris plenâ affabor. Non concidit uno ictu quercus; nec una prece expugnantur heroum animi, tenaces ut plurimum propositi, & vere καρτερογνώμονες. [*sententiarum suarum tenacissimi.*] Interim boni civis est, ea in commune conferre consilia, quæ ad patriæ & publicæ societatis pacem stabiliendam idonea fore arbitratur. Idque eo potissimum tempore, quo distrahendæ potius Respub. quam coadunandæ, exacerbandis magis quam tranquillandis civium animis studeant ii, quibus perdita Republica opus est. Scelus est, cum proximus ardet Vcalegon, insinuatis manibus vicini periculi magnitudinem adspectare, & intra solum ocium ac supinam securitatem consistere. Nec ille à parricidii culpa longe abest, qui cùm publico prodesse possit, & patriæ laboranti, sive opere, sive consilio succurrere, securam taciturnitatem vocis libertati anteponat. Dum enim altero injustitiæ genere vacat, patriam non oppugnando, in alterum incurrit, eam deserendo. Non minus respublicas perdidit quorundam oscitatio, quam hostium impetus, silentium, quam aperta vis; & sicuti sæpius male agendo, ita non semel nihil agendo imperiorum concidit fortuna. Et quanquam in ea inciderimus tempora, quæ deploratissima judicabat Tacitus, in quibus nec dicere licet, quod sentias, nec sentire,

Digitized by Google

tire, quod velis, nunquam tamen ea viro bono accidere possunt tempora, in quibus ea quæ Reipub. expediunt, & salutaria sunt futura, dicere, vel metu vel gratia, non ausit. Tanta cupiditas honesti, tantus amor patriæ, conjugis, liberorum, pectus ejus accendere debet, ut mori potius malit, postquam bene consuluerit, quam improbe tacendo in præsenti Reipublicæ ruina & favillis diutius superesse. Civis vester fui, sed nunc in alienam tutelam receptus, civis tamen officium prætermittere non possum. Belga sum & liberis parentibus natus. Partium, quæ Remp. vestram exercent, sectator non sum. Salutis publicæ si quisquam alius studiosissimus. Nec prece nec precio adductus hæc ad vos scribo. Nullius gratiam demereri studeo, nullius invidiam pertimesco. Quæ omnia, si quod intendo impetrare nequibunt, fidei saltem nonnihil, & authoritatis apud æquos rerum æstimatores huic nostræ adhortationi impetrabunt. Si male consuluero, tantum scripta hæc putate. Si bene, consiliis saluberrimis obsequi ne sit pudor. Deo, Patriæ, bonis omnibus gratiores eritis, si talibus monitis præceptisque lætabimini.

Vidimus, Illustres Domini, mutatam aliquot retro annis Reipublicæ vestræ faciem. Vidimus novis fluctibus jactari optimam Belgicæ partem, quis portum occupaverit fortiter, quo remigio nudatum sit latus, ut malus celeri Africo saucius & antennæ gemant, nec sine funibus carina nostra durare possit imperiosius æquor, quamvis

Digitized by Google

& Anglorum Fœdera & Venetorum opes & præsidia propria jactetis. Abiit in partes Respublica vestra, gliscit animorum discordia, armatur in civem civis, & quo propius subditos vestros vel affinitas, vel pristina religionis communio, vel studiorum societas conjunxit, quo acerbioribus inter se odiis jam concurrunt. Dolent boni; condolent, qui vobis bene volunt; qui male, gaudent, & forte frigidam suffundunt. Causas & autores malorum ex alto arcessere, res plena est invidiæ. Non deest utrique parti suus color & recti species. Peccatum utrinque non sine ingenti Reipub. damno. Certatur hinc inde pro aris, religione & Sacris. Belli περίφασις [*prætextus*] periculosissima est. Religio, inquam, quæ sæpissime non suo, sed hominum vicio, peperit sceleresa atque impia facta. Vtique hæc ipsa stolidâ Græcorum persuasione Iphigeniam mactavit, & sapientissimum mortalium sorbitio sustulit. Hæc Christianorum in Græcia Ecclesias pessumdedit; & Ottomannicæ Domus successus mirabiliter auxit. Hæc vix natam primis post Apostolorum tempora seculis Christianam gentem in partes distraxit, & orbem universum sub Constantini imperio secum commisit. Hæc Patrum nostrorum ætate maximorum bellorum passim in Germania, Gallia, Helvetia, & hoc nostro Belgio causa una exstitit. Nunc quoque, pacis vestræ & ocii prodigi intestinis dissidiis confligitis, & dum pro aris quisque decertat, quam potest strenue, prope abest, quin focos ipsos

Digitized by Google

ipſos ſubvertat, ſine quibus aris locus eſſe non poteſt. Contrarемonſtrantes ſententiam ſuam in Reformatorum Eccleſiis diutius ſonuiſſe contendunt. Remonſtrantes primitivæ Eccleſiæ uſque ad tempora Auguſtini conſenſu gloriantur. Illi Prædeſtinationem abſolutam, & quæ inde fluit bonorum & malorum neceſſitatem urgent. Hi Prædeſtinationem conditionatam, &, quæ inde conſequitur, actionum humanarum contingentiam & libertatem tuentur. Illi pro laude gratiæ divinæ, hi pro juſtitiæ ſibi decertare videntur. Illi tutius arbitrantur nihil in recepta doctrina mutari. Hi ex re religionis fore putant, ſi profeciſſe ſe fateatur Eccleſia, & quædam dediſcere non erubeſcat. Illi Synodi patrocinium idque feliciter; hi Magiſtratus ſummi, ſed infeliciter, implorarunt. Illi duriuſculi & eosdem animos induti, quibus Pontificios ſedibus ſuis deturbarunt, rem præſentem magna contentione aggreſſi ſunt. Hi manſuetiores, & parti adverſæ indulgendo, adverſariorum iram ac zelum facilitate ſua irritarunt magis. Neutra pars, mutatis rerum ſucceſſibus, iis, quibus cœperat, principiis ſtetit. Remonſtrantes toleratione mutua rem componi poſſe dictitabant. Contrarемonſtrantes circa quinque articulos pacis ſpem faciebant. Illi jam inclementius habiti ſuam ſibi Eccleſiam habere volunt. Hi veſtra authoritate armati, Synodi decreta non ad pacem, ſed apertam aliorum condemnationem direxerunt. Illi miſeriam ſuam in deſperationem vertere viſi ſunt.

Digitized by Google

sunt. Hi fortunæ suæ ac felicitati vix pares, ex miseria aliorum securitatis suæ munimenta quæsiverunt. Bis pacis spem excussit Contraremonstrantium fervor. Semel tunc, cum concordiæ mutuæ Decreto, quo verior, gravior, utilior, melior Reipub. nulla esse potuit sententia, assentiri nollent. Secundo cum impetrata Synodo ea dogmata decidere in animum inducerent, de quibus in hanc vel in illam partem pronunciare in hunc usque diem religiose horruit Catholica Ecclesia. Bis pacis remedia neglexisse quibusdam creduntur Remonstrantes. Primo cum rerum potiti & Magistratuum suorum patrocinio muniti, Synodi Nationalis celebrationem aut non urserint, aut segniter nimis. Ita enim statuo, majorem æquitatem & animi moderationem ab exteris Theologis tum temporis expectari potuisse, integra adhuc Republica, quam postmodum mutata. Deinde, cum depulsi Magistratuum suorum præsidio, & Synodi voce damnati, cœtus suos sibi habere, quam publicæ tempestati cedere maluerunt. Quanquam postremum hoc, non imprudentia, sed certo animi proposito & de industria facere aggressi sint. Solum enim hoc proscriptis supererat refugium, ut quam publice jam profiteri non poterant sententiam, clam docerent. Et licet alii officii conscientia ducti clandestinis cœtibus habendis invigilarent, non dubium tamen, quin fortasse quidam rei familiaris inopia & exilii impatientes, in hanc necessitatem protrusi sint. Inter hæc dum

Digitized by Google

dum alius in alium turbati Reipub. ſtatus culpam derivat, vacillat ille, & in proximum adducitur diſcrimen. Enimvero cum in civium unitate imperantium omnis poſita ſit vis, accidit, ut illâ diſſolutâ ſceptrorum Majeſtas corruat, nec verenda ſubditis, nec metuenda hoſtibus. Quod uſque adeo majorum noſtrorum animo inſculptum fuit, ut hoc elogio gloriari ſoliti ſint: *Concordiâ res parvæ creſcunt, diſcordiâ res maximæ dilabuntur.*

Atque hæc quidem res uſque adeo ſollicitas tenuit V. V. C. C. ut non ſemel de componenda Rep. & Eccleſia conſilia iniverint. Placuit Synodo controverſiam dirimi. Iudicavit illa, & damnatâ alterius partis ſententiâ publicis functionibus tam profanis quam ſacris ſummovit, quotquot illi adſtipulati fuiſſent. Vtinam vero non ulterius proceſſiſſet Eccleſiaſticorum importuna flagitatio, & nimia veſtra in obſecundando facilitas. Ventum eſt ad proſcriptiones & exilia, & extra patriam inter hoſtium vultus atque ora verſari coacti ſunt, qui patriam hanc, uti vitæ, ita mortis ſuæ, domicilium delegerant. Hinc recruduit malum, & ſopita, uti videbatur, contentio, rurſum in nervum erupit. Templis ejecti cives veſtri, in agris, horreis, de die, de nocte, hic armati, alibi imbelles (more majorum) ad conciones confluxere, ut Synodo non lenitum malum, ſed exaſperatum videretur. Secutæ ædium direptiones plus quam barbaræ, civium expilationes, opprobria publica. Nec, qui

Digitized by Google

qui victi, victi videri volebant, sed contemptis omnibus, quæ chariora habet mundus, libertatem conscientiarum vel vitæ periculo redimere parabant. Insederat animis superiorum ætatum memoria, parentum sub Albano Duce afflictio, & post tot malorum perpessiones parta in Gallia, Germania & hoc nostro Belgio Euangelicæ doctrinæ libertas. Neominus liberum sibi fidei exercitium deberi ingeminabant, quam Lutheranis, Anabaptistis, &, quod magna specie allegant, Iudæis ipsis.

Hæc rerum perturbatio rursum ancipitem vobis curam præbuit cogitandi, quid facto opus esset, & quibus remediis tantis malis obviam iri posset. Enimvero aut prudens adhibenda fuit moderatio, aut constans rigor. Placuit vobis duriore remedio rem experiri, & Edicta Edictis accumulare, quibus usurpata concionandi licentia præcideretur plane, indictis mulctis pecuniariis, & arbitraria correctione, quotquot conciones istas vel frequentarent, vel studiis suis foverent. Postea novo decreto acrius in doctores animadversum est, & ad perpetuos carceres damnati sunt, quotquot ad Ecclesias suas redituri essent pastores. Erecta proditionis præmia, & quingentis florenis cuivis scelesto esse licuit. Sed hac via nihil quoque profectum est, quin potius incrementa sumsit indies publica calamitas. Pudet sane referre, quam inclementer hic illic in innoxiam multitudinem sævitum sit. Nec stetit intra mulctas ac Edictorum severitatem

pœna.

Digitized by Google

pœna. Grassatum fuit variis in locis in imbellem populum, militum furori laxatæ habenæ, & armatæ in Hispanos cohortes, in Batavos arma convertere jussæ sunt. Ad carceres & perditorum hominum ergastula relegati sunt verbi divini Præcones, & inaudito hactenus ignominiæ genere notatus ordo sanctissimus. Sclopetis icti & trucidati aliquot de plebe homines martyria sua æquo animo pertulerunt. Exutæ quoque, quæ ad publicos cœtus in agros commeaverant matronæ, & sparsis capillis in urbem redire visæ sunt. Virginibus vix pudicitiæ velamen relictum. Ereptæ per vim imbelli sexui vittæ, togæ matronales aliaque insignia, quæ spolia mox sub hasta vendita, non tam victricis quam victæ patriæ specimen præbuerunt. Conjecti ante in carcerem cives quam in crimine, deprehensi, & ibidem pejus habiti compertis latronibus. Prætores novi ira magis & animi perturbatione, quam placidâ judiciorum formâ reis suis instant. Nefas esse cœpit exuli suppeditare, unde victum & amictum paret; & pœna dignum censetur, si exauctoratus pastor ægrum pia voce soletur, & moribundæ oviculæ animam divinis promissis erigat. In summa, displicent omnia, quæ moderata sunt, placent contra, quæ aspera, dura, immoderata. Sunt hæc, sunt hæc, Potentissi. Ordines, Reipub. vestræ vulnera, & in pulcherrimo patriæ nostræ corpore vibices turpissimæ. Hoc malorum syrma secum traxit Synodus vestra, quæ seculari nixa brachio, non

Digitized by Google

non ſine ſupercilio & faſtu contemptim nimis habuit citatos ſuos, & magis horum oppreſſioni quam utriusque partis incolumitati ſtuduit. Hæc futura toties prædixit ille, qui Synodo Nationali motus hoſce minime compoſitos iri judicabat Barneveltius. Noverat rerum uſu edoctus ſenex, calida eſſe Theologorum noſtratium conſilia, præcipites deliberationes, iras plumbeas, nec placari hoc hominum genus poſſe, niſi extincto adverſario. Maxime autem adduci, ut eos officii ſui capiat oblivio, cum in hierarchiæ & vindictæ cupiditatem inciderint. Quare uti à tribunitiis comitiis ſibi metuebant uſque Romanorum Patres, ita ille ab Eccleſiaſticorum ſynedriis.

Hæc res facit, ut dum alii libellis famoſis V. V. C. C. improbe laceſſunt, ego in animum induxerim ſalutaribus conſiliis & præceptis vos munire, & viam monſtrare, qua ſedari hæc patriæ tempeſtas poſſit, & Rempub. ſi non omnino felicem, ſaltem tranquilliorem habituri ſitis. Ad tria attendendum vobis. Primum, quod hominum genus Rempubl. veſtram exerceat. Deinde, quæ motibus hiſce ſubſit cauſa, & quomodo hæc ſe tractari patiatur. Tertio, patriæ ipſius, temporum, aliarumque circumſtantiarum habenda ratio.

Duobus hominum generibus religionis cauſa diſtractis jura dicitis, Contraremonſtrantibus & Remonſtrantibus. Illis faciles, his difficiles vos præbetis. Sed fallax hominum eſt ſpecies, &

Digitized by Google

& mirum, quam imponat prudentissimis sanctimoniæ ac zeli larva. Contraremonstrantes magnis animis quod aggressi sunt reformationis negocium promovent. Zelotæ sunt. Sed quo major in his cernitur animi magnitudo & in rebus gerundis impetus, quo magis providendum vobis, ne quid ex inconsulto horum fervore detrimenti capiat Respub. Primum in precio habent Magistratus suos, quoad consiliis suis suffragantur. Si dissentiant, in promptu est prævaricandi prætextus. Adhæc proprium est huic genti, ita sacra sua curare, ut quæ ad tranquillitatis publicæ conservationem faciant, non curent. In patriæ commoda curas non intendunt, & dum pro Ecclesiæ salute decertant, Reipub. mala susque deque habent. Et quia regnum suum de hoc mundo non esse contendunt, imperia corruere, regna vastari, vacuas reddi possessiones malunt, quam alterius arbitrio stare, aut in regni sui societatem Cæsarem admittere. Tertio ubi rerum potiti sunt & superiores facti, consortis impatientes sunt, & Magistratus inobsequentes in ordinem cogere, dissentientes à gubernaculis dejicere, solis sibi, uti cœli, ita & terræ usurpare possessionem, religionis jura interpretantur. Efferum fuit Noviodunensis Doctoris ingenium, ad imperia potius quam ad obsequium natum, in adversarios ferox & implacabile. Breviter, Pelidæ stomachus. Quæ vero ipsum secuta est turba cum doctrina Doctoris quoque sui mores avidissime imbibit. Ex

Digitized by Google

quavis fere rebellione compendium captat, & Principes, qui Ieſuitarum hactenus mos fuiſſe creditur, bellis quoque implicare novit. Galliam contemplamini, cujus turbato ſtatu in ſuum bonum uti didicerunt. Si vel leviſſime illos offendat Rex, ad arma convolant, conciliabula ſacra convocant, de rebus regni deliberant, &, quam Chriſtianâ patientiâ debebant, aperto marte ulciſcuntur injuriam. Nec diſplicent transmarinæ appellationes; & exterorum ſubſidia adverſus proprium regem perfide ſubinde expoſcuntur. Comes Embdanus, vigente ſub Albano perſecutionum æſtu, profugis ipſis hoſpitium & aſylum perquam humaniter præbuit. Nunc numero potiores, & Curibus parvis ac paupere terra in curiam evecti, ipſum, cum libet, Comitem in cuſtodias compingunt, & libertatis donatorem ad obſequia compellunt. Accidit idem Aquisgrani celeberrimo Germaniæ oppido, in quo tenerrime habiti dignum aliquid ſua indole dederunt, exacto nempe Magiſtratu & Loyolitarum cœtibus. Antwerpia teſtis eſto, uti per gradus regnum ſibi ſtruxerint, & extorta armatis precibus libertate, totum Eccleſiæ Romanæ clerum urbe expulerint. Annales Belgicos evolvite, comperietis maximum ſemper homines hoſce negocium faceſſiviſſe Principi Auraico, cujus niſi obſtitiſſet prudens moderatio, par cum Catholicis fuiſſet Anabaptiſtarum & Lutheranorum in patria noſtra ſors. Didicit jam Cæſar, quid poſſit ſub religionis ſpecie imperandi

Digitized by Google

perandi libido. Non aliis authoribus principatum Bohemiæ, Moraviæ, Sileſiæ, Luſatiæ ſibi conferri paſſus eſt Palatinus. Vnus Calvini genio non ſufficit orbis. Et jam Saxoni quoque dictus fuerat dies. Nec in occulto eſt, quid rerum proxime in Valle-Tellina geſſerint, quam extruſis Pontificiis, pluribus in exilium conjectis, aliis capite plexis, ſolis ſibi ſedem deſtinaverant.* In Ducatu Brandenburgico, ubi hactenus viguit Auguſtana Confeſſio, nunc Principem ſuum, aliam fidem amplexum, ad innovanda majorum ſacra ſollicitant. In Scotia non minus inclementer Principes ſuos habuerunt, Mariam primùm, mox & Iacobum. Illa poſtquam Reformatæ religioni regnum ſuum patefacere coacta fuiſſet, tantum ab ejus Doctoribus impetrare non potuit, ut intra privatos aulæ parietes Miſſam ſibi celebrare liceret. Hic non minus ab ipſis in ordinem redactus, tunc cum Scotiæ ſolùm imperaret, nunc duplici ſceptro auctus, multorum exilio petulantiam iſtam ultus eſt. Cuduntur hodie axiomata perniciosiſſima *: infidelem non poſſe eſſe juſtum poſſeſſorem bonorum terrenorum, ut hoc obtentu obedientiam detrectent ſubditi, quibus perſuaſum erit à non Calviniano ſe regi Principe. Et qui Theologicæ dementiæ apex eſt, placet ipſis Bethlemus Gabor Turcarum Vaſallus, hoc ſolum nomine, quod ſecum Cæſarem contemnat. Tentata quoque ab illis ipſis in Confœderato Bel-

* *Molinæus in Anatome ſua.*

Digitized by Google

gio Reip. mutatio ſub Comite Leiceſtrio, licet infeliciter, nunc demum conſummata eſt. Quæ non in alium finem à me adducuntur, quam ut oſtendam ſufflaminandos eſſe hos Theologos & fræno coërcendos. Nimia licentia deteriores fiunt. Nec boni ſunt, niſi cum capiſtrati mali eſſe non poſſunt. Sacra ſua ſibi habeant, ſed vos aciem intendite, ne illis ipſis ſacris in Reipub. perniciem abutantur. Nec ſtatim non ferendos credite, quotquot ipſorum judicio orthodoxi non ſunt. Gaudent ſoli vivere, ſoli dominari, & eam de ſuis placitis imbiberunt ſententiam, ut aut ſecum credere velint univerſum orbem, aut alium orbem quærere. Non patitur alterius fidei contribules imperioſus Iſraël. Leviſſimas ſæpe diſſenſiones magni æſtimant, & ſi quis vel digitis contra crepuerit, Eccleſiam affligi clamitant. Errorem quemvis hæreſin vocant, & magna temeritate in alios derivant ſchiſmatis culpam, cui ipſi affines ſunt. Eſt officium Principis, ſubditorum ſe moribus accommodare, cum his lenius, cum illis durius agere, his pluſculum indulgere, alios intra modeſtiæ carceres cogere. Etenim ita comparata ſunt Calviniſtarum ingenia, ut aut ſervire, aut imperare debeant. Si ſerviant, lenes ſunt, officioſi, humiles, obſequentiſſimi Dominorum ſuorum clientes. Verbo dicam, Chriſtiani ſunt. Sin altius provecti jugum Magiſtratus excuſſerint, Iovis inſtar totam Rempubl. ſuperciliorum ſuorum nutu concutiunt, rectoribus ſuis inſultant, &,

Digitized by Google

&c, nî paſtorali pedo ſubigi ſe pătiantur, inviſiſſimos reddunt. Itur ad populum, de Magiſtratus in rebus religionis negligentia, incuria, impietate querelæ publicè inſtituuntur. Plebs, uti rerum novarum ſtudio tenetur, talium imperia faſtidiens, dignos non putat, qui ſibi imperent, qui tam religioſo ordini diſpliceant. Didicerunt hoc ſuo & regnorum ſuorum maximo incommodo Principes ſupra dicti. Vos horum exemplo edocti, pietatis ſtudia cum prudentia conjungite. Hæc uti virtutes omnes, ita religionis ſtudia moderetur. Graviſſime peccatur, ubi hic ſapientiæ civilis oculus, vel cœco iſtorum hominum amore, vel nimio in diſſentientes odio, occœcatur. Tunc autem prudentes eritis, ſi ita vobis placuerint Contraremonſtrantes, ut gratia quoque ipſorum vos carere poſſe videant, ſi metuendi potius ſitis ipſis, quam ipſi vobis. Nunquam pacatam habebitis Rempub. niſi caute iſtos Aaronis filios tractaveritis. Nunquam coaleſcent patriæ vulnera, niſi carere aliquando poſſitis ipſorum conſiliis. Non ſtabit inconcuſſa veſtra majeſtas, niſi dignitatem veſtram pari autoritate, Rempub. veſtris conſiliis, non concionatorum ſuaſionibus, propugnaveritis.

Nunc Remonſtrantium quoque examinanda conditio, mores, ſtudia & inſtituta. Ex his enim, quid in præſenti rerum diſcrimine vobis agendum ſit, perſpicere dabitur. Hoc primum in conſiderationem veniat, non ſolum cum ejuſ-

Digitized by Google

dem gentis, nationis & linguæ hominibus vobis negocium esse, verùm cum civibus, propinquis, affinibus, consanguineis. Cives qui vocat, hos filios, vos Patres vocat. Idem in Reipub. societate cives, quod in domestica liberi. Atqui cives oportet æquo ac pari cum civibus jure vivere, neque hostiliter tractandi, qui in publicam tutelam recepti. Civibus adhæc libera esse debet, & non sollicita sua rei cujusque custodia. Vobis tam invisi sunt Remonstrantes, ut impune liceat sceleratissimis possessiones ipsorum invadere, & veluti in hostilem prædam grassari. Civium præsidia charitate & benevolentia septa esse oportet, non armis. Et milites perire est melius, quam in sua civitate sine armorum præsidio non posse vivere. Nunc vero hoc nimia inclementia & rigore effectum, ut quas urbes civium antehac muniebat concordia, nunc militum muniat effera vis & superba crudelitas. Nec audiendi illi, qui graviter inimicis irascendum putant, idque magni animi & virorum fortium esse censent. Nihil enim, si sapientum oraculis locus est, laudabilius, nihil Rerumpubl. rectoribus dignius placabilitate atque clementia. In liberis vero populis & in juris æquabilitate exercenda etiam est facilitas. Nec cum civibus solum hic vobis res est, sed cum optima civium vestrorum parte, & delibato populi flore, cum iis, quos vel parentum memoria, vel propria merita vobis commendatissimos reddere possunt. Vapulant eorum nepotes,

Digitized by Google

tes, quibus Reip. præsentis libertatem debetis. Vapulant illi, quorum cura, vigiliis, opibus ac sanguine parta hæc securitas. Vapulant indies illi, quorum munificentia, fide ac affectu ad tuendam Rempubl. carere non potestis. Omnino qui Reipubl. præsunt, illud Platonis præceptum tenere debent, ut totum Reipub. corpus curent; ne, dum partem aliquam tuentur, reliquas, nedum optimam, deserant. Hoc insuper videndum vobis, quibus artibus factum sit, ut invidiam publicam sustineant Remonstrantes. Duo illis intentata sunt crimina, Proditio, & religionis innovatio. Vtrumque persuasum credulæ plebi. A proditionis culpa tam immunes sunt, quam quisquam vestrûm. Fidenter loquor. Nullum hactenus proditionis vestigium apparuit, nullum prorsus. Nec in hujus sceleris suspicionem vocandi erant cives optimi, nisi invictis testimoniis. Hæc tamen animos imperitorum ita occupavit perversa opinio, ut aliud judicare, scelus putet. Crimen innovatæ religionis, ad conflandam quoque ipsis invidiam, conquisitum fuit. Non innovant religionem, qui Catholicis Ecclesiarum symbolis consentiunt, qui de rebus obscuris & arduis dubitant, qui contingentiâ potius duci res humanas, quàm inevitabili necessitate statuunt. Hæc dissensio nullo non seculo Ecclesias exercuit. De his in Academia & porticu disputatum fuit. De his inter Catholicos variantibus sententiis dissertatum, decisum nunquam, nisi qua parte ad Ma-

Digitized by Google

nichæorum deliria & Pelagianorum placita itum. Norunt hæc inter vos, qui rerum Ecclesiasticarum scientia instructi, controversiarum de religione necessitatem disparem esse didicerunt. Officii vestri est, Ill. Ordd. non permittere, ut proditores audiant, quorum fide, auctoritate, consiliis hactenus stetit vestra Respub. Nec immutasse religionem credendi sunt, qui in re dubia probabiliorem sibi sententiam amplexi sunt. Multo minus cum iis, ut cum proditoribus ac perduellibus agendum, quales nec sunt Remonstrantes, nec esse volunt, nec vobis in Reipub. curam intentis esse possunt. Si quid perperam actum ab iis creditur, qui ante vos clavum tenuerunt, non statim id proditio deputanda est. Animi propositio in patriam quenquam eorum peccasse non liquet; nimia facilitate, moderatione, humanitate peccasse, prudentiores judicant. In civilibus dissensionibus, inquit Iureconsultus, non statim hostes patriæ putandi sunt qui sententiis discrepant, & hac potius quam illa via ejus incolumitatem procurant. Et demus peccatum esse graviter, satis profecto unius sanguine, & tot exulum miseriâ culpam istam luimus. Cur in innoxiam, imbellem plebeculam usque adeo sævire libet? Solet hæc ductores ac doctores suos religiosa quadam pertinacia sequi, & ad quam semel velut tempestate est delata sententiam, ei mordicus adhæresceré. Non est magni animi, victis insultare. Et in civilibus bellis nihil miserius ipsâ victoriâ. Nec ulla re con-

Digitized by Google

conciliare facilius benevolentiam multitudinis poſſunt ii, qui Remp. adminiſtrant, quam manſuetudine & placabilitate.

De duobus hominum generibus ſatis dictum. Veniendum ad alterum propoſitæ diſquiſitionis caput: & cum de religione omnis ſit controverſia, ſerio examinandum, num ob fidei controverſias inclementius tractandi ſint errantes: num, ex Chriſtianorum legibus, armis, carceribus, exiliis aliiſque pœnarum generibus coërceri debeant heterodoxi; num utiliter hoc fiat, num ipſius religionis ac Eccleſiæ bono: num expediat Reipub. ita agere: num Chriſtianos deceat: num Chriſti & Apoſtolorum exemplo comprobari poſſit: quis ſpiritus iſta dictitet: quando ita in Eccleſia agi cœptum, quibus probantibus, quibus improbantibus. Quæ ſingula dum confuſe & ſparſim tracto, veſtrum eſt, Ampliſſimi Domini, ad rationum momenta attendere, & firmata magnis rationibus documenta, ad Reip. præſentis gubernationem, conferre.

Ac primum illud ſpectate, non ſub dura Moſaicæ legis diſciplina, ſed ſub placido Chriſti Salvatoris regno nos vivere, cujus alia vox, genius, inſtituta, mores, ab iis, qui duriorem iſtum & ad idololatriam pronum populum exercebat. Hic conflandi in vomeres gladii, & lanceæ in falces, hoc eſt, pacata omnia & tranquilla eſſe debent. Non nocebitur in monte ſancto, qui Eccleſia Chriſtianorum eſt. Vltimum hic peccatorum

Digitized by Google

torum ſupplicium eſt, pro ethnico & publicano haberi; hoc eſt, ab Eccleſiæ communione arceri. Omnis hic cautio eſt, Cavendum eſſe à fermento pſeudo Prophetarum. Poterat certe Filius Dei, Patris ſui cœleſtis potentiâ armatus, diſſentientes Phariſæos templis exigere; poterat cataphracta militum manu Solymam omnem & Iudæam ad fidei obſequium compellere; dignitatibus ac functionibus publicis exuere, quotquot Chriſtiani eſſe nollent. Sed diſplicuit Sapientiæ divinæ ſuperba illa in conſcientias dominatio; & quos doctrinâ non potuit, armis ſub ditionem ſuam redigere, imperioſum magis & militare, quam religioſum judicavit. Omnem in rebus ſacris ferociam ac animi impetum voce iſta compeſcuit: neſcitis cujus ſpiritus filii ſitis. Non venit filius hominis perdere, ſed ſalvare animas. Et, ſinite zizania creſcere uſque in diem meſſis. Nunc præcipiti & intempeſtiva judiciorum falce demetuntur zizania, aut calcantur pedibus, de quibus, an zizania ſint, anceps, quandiu hic vivitur, eſt dubitatio. Apoſtoli, Præceptoris ſui ſanctiſſimi veſtigiis inſiſtentes, non alia via, quam lenitate, fide, tolerantiâ, moderatione Eccleſiam Chriſtianam per univerſum orbem plantarunt, aluerunt, provexerunt, conſtabiliverunt. Et favit mirifice ipſorum ſucceſſibus divina gratia. Inermes, imbelles ac Magiſtratus ope deſtituti cum eſſent, Iudæorum inveteratam ſuperſtitionem, gentium idolomaniam, pſeudo Prophetarum conatus impro-

Digitized by Google

probos expugnarunt. Satis Paulo fuit dixisse: hæreticum hominem post unam aut alteram admonitionem devita, &: Si quis imbecilla sit fide, huic nulla cum animi dubitatione opitulamini. Tu qui es, qui alienum famulum damnas? Domino suo stat & cadit. Placuit illa agendi ratio primitivæ Ecclesiæ doctoribus, nec nisi sero Gentilium Imperatorum tyrannidem imitari cœperunt Christiani. Vsque ad Augustini tempora, h. e. quadringentis post Christum natum annis, nunquam implorata fuerunt Imperatorum adversus heterodoxos præsidia. Primum huc illos impulit Donatistarum & Circuncellionum pervicax & insanabilis insania, qui præter schisma, quo non aliud exitiabilius, si processisset, agitabant, vulnerabant orthodoxos, injecta in oculos calce exoculabant, alios occidentes, alios ad aliorum trucidationem metu mortis adigentes. Adversus hos cum de implorando Cæsaris præsidio agitaretur, non tamen in initio placuit Augustino aliisque mitioribus imploratio profanæ potestatis ad negotium Ecclesiasticum. Existimabant utique non decere Episcopos aliis armis uti, quam verbo Dei, precibus, &, si insanabile foret malum, anathemate ac separatione ab Ecclesiæ communione. Hoc tum erat extremum Ecclesiæ supplicium, & sicut apud Iureconsultos civilis mors exilium dicitur, ita apud Apostolos & horum successores pœna capitis erat ab Ecclesiæ consortio submovisse. Adeo illorum animus abhorruit ab exiliorum,

Digitized by Google

rum, carcerum, confiscationum & supplicio-rum corporalium sævitia, quæ nunc quibusdam & nimium & sola placent, præsertim ex eorum numero, qui reformationem religionis profitentur; quorum omne studium esse debebat mederi potius errantibus, quam in eos sævire, & Edictorum severitatem intercessione sua mitigare. Enimvero non ante, quam Imperatorum potentiâ tuta fuit fides Christianorum, ad dura ista persecutionum cauteria se recepit Ecclesia. Audita tum demum pernicioſissima Nestorii Episcopi ad Theodosium oratio: *O Cæsar, da mihi regnum ab hæreticis purgatum, & ego tibi cœlum daturus sum; sis mihi auxilio in expugnandis hæreticis, & ego tibi in Persis hostibus tuis devincendis opem feram* *. In quem sensum & hoc tempore non semel pro concione in Batavia peroratum est. Hinc factum, ut Episcopi Cæsares veluti nare bubalos pertraxerint ad sanguinariorum decretorum adversus Anabaptistas promulgationem. Quamvis & eorum quoque exempla adduci possint, qui liberam religionem in suo regno esse passi sunt, & aliis præterquam orthodoxis docendi copiam fecerunt. Gratianus ab exilio revocatus omnibus lege sancivit, ut unaquæque religio licite sacra sua celebraret, solos vero ab Ecclesiis prohibuit Eunomianos, Photinianos & Manichæos. Valentinianus cum ita saperet, sicuti Nicæni Patres, aliter sentientibus non erat importunus †. Constantinopoli ipse Theodo-

sius

* *Trip. hist. l. 12. c. 4.* † *Sozom. lib. 8. c. 1. & lib. 3. c. 36.*

Digitized by Google

sius Arrianis & Macedonianis extra urbem oratoria facere permisit, Novatianis vero intra urbem Ecclesias habere & collectas facere concessit. Notum quibus rationibus Themistius Philosophus Valentem Imperatorem à Christianorum persecutionibus revocavit. Et quanquam Roma expulisset Novatianos Innocentius, tamen Constantinopoli talia non permiserunt. Et quamvis Romani Episcopi apud Imperatores summo studio in hoc incumberent, ut qui hæretici dicebantur, ex urbe Constantinopoli ejicerentur, tamen nunquam illud obtinere potuerunt, usque dum Iustinianus, victus importunis flagitationibus, Agapeto Pontifici concessit ut dirutis ipsorum Ecclesiis urbe ejicerentur. Imperante Honorio, Anas Episcopus Constantinopolitanus non solum suæ fidei hominibus benevolus erat, sed etiam hæreticis miraculum suæ sapientiæ, inquit Sozomenus *, demonstrabat, quos vexare quidem nolebat, cum vero eos terrere tentasset, denuo mansuetudinem ostentabat. Certe, si veterum exempla imitari libet, cur non potius æquitatis, moderationis & clementiæ exempla placent, quam severitatis, crudelitatis, violentiæ, quæ non in Christi, sed Anti-Christi ac Tyrannorum castris militavit semper.

Est Regnum Christi cœleste prorsus ac spirituale, ideoque spiritualibus solum armis, hoc est ratione ac argumentorum efficacia pugnandum, nec corporalis adhibenda vis, ubi de causæ æquitate & sententiæ veritate præsumitur. Christiano-

* *Lib.* 11. *c.* 2.

Digitized by Google

ſtianorum hoſtes vicia ſunt, contra quæ virtutibus contrariis certandum, ut doctrina ignorantiam pellat, errorem diſcutiat veritas, injuriam vincat patientia, ſuperbiæ modeſtia reſiſtat, pigritiæ opponatur diligentia. Hic ſi cogas, fictos habebis Chriſtianos, purpuræ cultores plurimos, paucos Dei. Facile ea religio diſplicet, cujus profeſſio cum honoris noſtri, dignitatis, opum ac ſalutis jactura conjuncta eſt. Facile arridet illa, per quam in Cæſaris amicitiam adſcribimur, populo placemus, ac opimas ſpes alimus. Habet & Belgium hoc noſtrum quam plurimos, qui licet corde alieniores, profeſſionis tamen externæ officium his vel illis cœtibus commodant, ex illorum familia, quibus toties interminavit Chriſtus, Væ vobis. Vtique malus eſt pietatis cuſtos, metus. Vbi ſine damno fieri poteſt, ſtatim ad antiquum redeunt, tamdiu Eccleſiæ adhærentes, quoad ſimulaſſe prodeſt. Non apparet larvas eſſe, niſi ubi ſubtractum aquilis ſuum cadaver. Interim gaudent, quaſi de ampliatis Eccleſiæ pomæriis ejus ephori, & tunc ſe felices arbitrantur, ubi turmatim ad baſilicas ſuas confluere vident populum, & patriciæ gentis viros, quorum maxima pars commodis magis ſuis, quam judicii ac conſcientiæ innocentiâ religionem metitur. Belle ſane procedit Chriſti negocium, ubi numero potius, quam qualitati, multitudini quam ſanctitati ſtudetur, & ut numeroſam magis Eccleſiam habeamus opera datur, quam vere piam & ſanctam.

Ideo-

Digitized by Google

Ideoque qua levitate in has vel illas partes concesserunt, eadem, ubi non expedit, ad adversas desciscunt. Exemplo sit Anglia, quæ toties cum Principibus suis fidem mutavit. Iurasses eam sub Eduardo ὀρθοδοξοτάτην, [*quam maxime Orthodoxam,*] quæ mortuo illo, cum non expediret amplius Calvinizein, se finxit καθολικωτάτην. [*quam maxime Catholicam.*] Non desunt exempla domestica in variis Belgii civitatibus, quæ hac rerum tempestate Dominis suis fidem ac conscientiam suam insigni inconstantia gratificatæ sunt.

Nec hoc prætermitti debet, in istiusmodi negociis sæpissime veritatis & innocentiæ doctores persecutionibus infestari, dum mendaciorum, falsæ doctrinæ, ac seditionum ipsis crimen affingitur. Accidit hoc Christo, Apostolis, & Christianorum, sub Romanorum Imperatorum tyrannide, Ecclesiis. Obscura est veritatis dignotio, & quamdiu in terris agimus, per ænigma & speculum videmus. Incerta sæpe sunt & cœca hominum judicia, & tenebras pro luce, falsum pro vero, errorem pro scientia, superstitionem pro vero Dei cultu amplectimur. Vt satius sit, hic aut ἐπέχειν, [*hærere,*] aut finere, ut suo quisque sensu abundet, quam ut carceribus, exiliis, bonorum exactionibus, & id genus similibus pœnis vexentur optimi sæpe mortales, hoc solum nomine invisi, quod de salute nostra se impensius sollicitos esse profiteantur.

Cur non potius Iudæorum exemplum sequimur,

Digitized by Google

mur, quorum hoc erat effatum: Elias corriget omnia difficilia? Cur non Iudæ Machabæi factum placet, qui de ara solidi sacrificii cum quid statueret non haberet, ejus lapides in monte templi loco oportuno posuit, donec adveniret vates aliquis, qui de iis oraculum referret. Vt nihil dicam de Gamalielis consilio, præstiterit meo judicio Romanorum legem de vindiciis sequi, quæ erat hujusmodi: si quis, qui hactenus se pro libero gessisset, vocaretur in jus ab aliquo, qui eum servum esse assereret, interea dum causa pendebat, vindiciæ dabantur secundum libertatem, donec in judicio planum factum esset, utrum is liber an servus foret. Cum enim de ejus conditione dubitaretur, si forte liberam esse contigisset, & interea temporis pendente lite serviliter habitus esset, facta foret homini libero gravis injuria. At quanto id in rebus religionis fieri æquius est, in quibus peccatur gravissime, & ob quæstiones non raro spinosas ac dubias, alii in alios non expectata supremi Iudicis voce latrocinamur, & carnificinam exercemus.

Iam illud quoque ad præsentem rem facit, quod cum dupliciter in Republ. peccetur, vel circa fidem, vel circa mores; illic ignorantia, errore, hæresi, superstitione; hic manifesta improbitate, latrociniis, perjuriis, adulteriis, blasphemiis, cædibus, tam præpostera videamus esse Principum studia, ut Rempubl. perditissimam & sceleratissimis moribus temeratam, quam aliqua sui parte

Digitized by Google

parte impuram, aut erroribus imbutam habere malint. Illic talpis sunt cœciores, hic Lyncei. in illis averruncandis segnes sunt, & turpiter negligentes, in his eradicandis zelotæ sunt & toti flamma, quasi gratior sit Deo cœtus hominum prælectione improbus, quam vel ignorantia, vel humani judicii imbecillitate de Religione male edoctus, idque in rebus sæpe arduis & densa caligine obsessis. Maledictam esse clamant Rempubl. palliati isti rabulæ, si dissentientibus gratia fiat, & tum demum beatam autumant, si revocata ad calculos Scholasticæ subtilitatis, aut Synodi placita Religione tota, compertis sceleribus, ædium inquam direptoribus, calumniatoribus, ac maledicæ plebi peccandi commeatum silentio suo fecerint. Neque enim crimen esse putant, ad quod connivere vident criminum censores publicos. Fingunt non pati Reipubl. statum, ut dissentiens à collegis suis Pastor consentientem sibi Ecclesiam doceat, cum in eadem Republ. comessatorum contubernia, fœneratorum mensas, scortatorum conciliabula, mercantium imposturas, tantam denique scurrarum ubique proluviem æquo animo ferant. At certe quanto minus peccatum est error scelere, ignorantia improbitate, tanto tolerabiliores arbitror, quorum imbecilla est fides, quam obfirmata peccandi consuetudine impietas. Horum siquidem crimen compertum est, illorum dubium; hic prælectione, illic inconsulto peccatur; hi improbitatis suæ contagio nocent semper, illi pro-

Digitized by Google

sunt sæpe, & quos seducere creduntur, ad meliorem frugem revocant. Illi mentem, voluntatem, cor, totumque hominem deteriorem reddunt; hi si forte hallucinentur, sola mente deteriores sunt, cætera probi & recti custodes.

Quum vero plerique arbitrentur, ad societatis humanæ pacem ac tranquillitatem facere, si heterodoxi Doctores exterminentur, minuenda quoque hæc opinio est, & multorum exemplis comprobandum, magis turbatas fuisse istoc rigore Respublicas, quam pacatas. Machabæorum temporibus gravissimis bellis occasionem dedit instituta in Iudæos Religionis ergo ab Antiocho Epiphane persecutio, quæ non nisi cessante hac finita sunt. Demetrius Ephesinus cum Paulum docentem non ferret, magnis tumultibus urbem universam involvit. Idem accidit Hierosolymis Iudæorum in Paulum furore. Quas non turbas orbi dedit Arrianorum in Catholicos, & Catholicorum in Arrianos rabies & immanitas, facem accendentibus tot Conciliorum hinc inde anathematismis. Quisque quem in partes suas pertraxerat Cæsarem, ad oppressionem alterius partis voce & stylo armabat. Nimia Romanorum Pontificum in Græcorum Ecclesias dominandi libido has pessumdedit, & Christiani orbis propugnacula Mahometanis aperuit. Superius seculum evolvite, & tot bellorum, calamitatum, vastationum causam aliam non reperietis, quam sanguinaria Cæsaris in hæreticos, sic vocabant, edicta. Nec pacari ante

Ger-

Digitized by Google

Germania, Gallia, Helvetia potuit, quam conceſſa conſcientiarum & Religionem profitendi libertate. Vtique pacatiſſima videmus regna, ubi hæc viget. quod nec ipſum Turcarum Imperatorem latet, qui non ſuæ Religionis ſolum, ſed & Iudæis & Chriſtianis omnibus docendi copiam facit, nec quid ſentiant rigide inquirit, modo obedientiam ſibi & obſequii ſymbola cenſus annuos præſtent.

Et verum quoque hic eſſe comperimus, ut quales nos erga alios geſſerimus, tales erga nos alios experiamur. Hippone Africæ civitas, cum timore legum imperialium ad unitatem Catholicam compulſa eſſet, mox Vandali Arriana fide per Gotthorum Epiſcopos imbuti, in ſuæ Religionis formulas Epiſcopos orthodoxos jurare coëgerunt, aut Eccleſiis abire. Ea quoque tempeſtate, qua Innocentius Romæ Novatianos aliaſque Sectas perſequi cœpit, & Eccleſias eorum diſſipare, Gotthi Italiam invaſerunt, Romam expugnarunt, omniaque fœdiſſime vaſtarunt. Trahitur in exemplum crudelitas, & placet poſterioribus priorum improbitas. Mahometus Turcarum Imperator ab ipſis Chriſtianis perſecutionum modos didiciſſe perhibetur. Et qua ſævitia nuper Catholici Reformatos, eadem hi variis in locis Catholicos exercuere. Exacti jam ſunt Rhætia Calviniani Paſtores, qui paucis retro annis Pontificios exegerant. Carent iidem Eccleſiis ſuis Aquiſgrani, qui non ita pridem ſuas Ieſuitis invidebant. Occupata in Bohemia ac

Digitized by Google

confœderatis regionibus Catholicorum templa, nunc, ita vertente res humanas Deo, iisdem reddita sunt, ac nuperis Dominis erepta. Tunc Loyolitis exulandum fuit, nunc ibidem Calvinianis Doctoribus. Admirabilia Dei judicia sunt, & arcano providentiæ motu efferos nimis & insolentes Reformatarum, uti vocant, Ecclesiarum spiritus retundit, ne Christiani esse desinerent, dum Principum sceptris inhiando pessimis artibus pomœria sua dilatare student. Qui Synodo Dordracenæ interfuerunt exterorum Theologi, ad Remonstrantium oppressionem consilia & operas contulerunt. At vix domum reversis institit divina Nemesis. Exulant Palatini, necnon Synodi jam dictæ choragus & in sacra ista fabula Davus, Abrahamus Scultetus. Affliguntur Wetteravici, dolent Hassi, tremunt Helvetii, & qui irarum nimbos nupera sua Anatome in exules Remonstrantes effudit Doctor Charentonnensis, nunc fuga vitæ suæ consulere cogitur. Faxit Deus, ne quam à domesticis suis Contraremonstrantibus, injuriam passi sunt Remonstrantes & patiuntur indies, eandem ipsis aliquando pari mensura rependant publici patriæ nostræ hostes. Pythagoreorum vox est: *Qui patitur quod fecit, ei jus contigit æquum.* cui consonum est Christi oraculum: Qua mensura mensi fueritis, eadem metientur vobis *. Vtique justum est apud Deum, viciſſim reddere iis qui affligunt afflictionem: afflictis vero relaxationem †. Et

* *Matth.* 7. † 2 *Thess.* 1.

Digitized by Google

Et mirum tam faciles esse in perficiendis Ecclesiasticorum votis Magistratus, quos prudentia, judicii rectitudo ac erectior indoles populo secrevit. Vident utique, quibus causis ut plurimum ad mutua odia & offensas impulsi, inter se collidi ament, qui Religionis causam prætexunt. Non solus Abel pietatis suæ pœnas invido fratri dedit. Nec Iosepho soli contigit venundari, quod Patri suo gratior esset. Transiit hujus facti imitatio ad Iudæorum proceres, qui optima docentes & suadentes Prophetas crudelissime exceperunt. Tanta invidiæ ac ambitionis vis est. Illa dum virtutis splendorem non fert, sublatos mavult è medio ejus Sectatores, quam ut ea incolumi evilescat prorsus & despectui sit. Hæc dum alios luminibus suis officere videt, nullum non lapidem movet, ut in suspicionem adducendo optime de Repub. ac Ecclesia meritos, sola multitudinis applausus ac magnatum faventiam captet. Ob hanc causam Christum capitaliter oderant Pharisæi, quod hypocrisin ipsorum & fictam sanctimoniæ speciem detegeret, idque apud eos, apud quos bene audire existimationis ipsorum intererat. Alii avaritia correpti & è rebus sacris quæstum facientes hostiliter eos persequuntur, per quos impediri credunt, ne consueta ad res suas fiat accessio. Talis fuit Demetrius iste, argentarius Ephesinus, qui totam Ephesum in Paulum concitavit, quod videret ipsum suis concionibus, non Dianæ solum cultum, sed & quæstum quem inde faciebat

Digitized by Google

uberrimum, imminutum ire. Sunt quos zelus Dei & Religionis ſtudium, ſed cum ignorantia conjunctum transverſos rapit, qui Chriſtianos perſequendo Chriſti ſe cauſam ſtrenue agere ſibi perſuadent, & dum Deo ſuo Maozim, hoc eſt, violentiæ & crudelitati litant, Deo ſe ſacrum facere autumant. Atque his utpote nequaquam peſſimis veniam oravit Chriſtus. Cæteri malitia peccant, licet zeli quoque nomine invidiam, malitiam, avaritiam aliaque vitiorum portenta tegant, nec populum ſolum hiſce præſtigiis faſcinent, ſed & judicum oculis tenebras offundant. Ad quæ ſi attenderent Rerumpub. rectores, parcius Theologorum inſtituto obſequerentur. O ſeculum! Chriſti ſtudio ſanguinarii erimus, qui ne aliorum ſanguis effundendus eſſet, ipſe ſuum effudit. Chriſti ſtudio zizania extirpabimus, qui ne bonæ fruges extirparentur, ad meſſem uſque juſſit relinqui zizania. Chriſti ſtudio alios perſequemur, qui juſſit ut ſi nobis feriatur mala dextera, obvertamus ſiniſtram. Chriſti ſtudio inferemus aliis malum, qui nobis ut pro malo bonum reddamus præcepit.

Illud quoque intelligendum erit, uti omnium peccatorum, ita ſuſceptæ in conſcientias dominationis initia periculoſiſſima eſſe. Placent ſibi Principes nonnulli, ſi à vivicomburiis, laqueis ac gladio abſtinentes, intra exilia, carceres & mulctas pecuniarias conſiſtant. Sed quòtusquisque eſt, qui, poſtquam Chriſtianæ clementiæ fines

Digitized by Google

fines semel transgressus fuerit, non sensim peccando proficiat, & invisam primo sævitiam postremo amet. Rempublicam vestram considerate. Profeciſtis pedetentim, & per gradus à priſtina Batavorum ac Belgarum manſuetudine ac humanitate, quibus virtutibus hactenus celebres fuiſtis, multum deſciviſtis. Itum eſt à mulctis ad proſcriptiones & exilia, ab his ad carceres perpetuos, ab his ad civium expilationes ac ædium direptiones, ab his ad inſontium aliquot animarum, quæ ad verbi divini auditum ſe rus contulerant, ſanguinarias lanienas, non quas feciſtis ipſi, ſed quas aut ab irata plebe, aut effero milite fieri impune permiſiſtis. Itis, quo vos ſubditorum veſtrorum ducit, uti creditur, pertinacia, & dum illi prævaricandi finem non faciunt, nec vos perſequendi. Illi perire malunt, quam ſpiritualis vitæ pabulo privari, vos perdere illos mavultis, quam ut ipſorum zelo zelus veſter, ipſorum conſtantia expugnata videatur veſtra majeſtas. Obverſatur animo illud Iunonium: *Mene incepto deſiſtere victam?*

Quare rectius feceritis Illuſtriſſimi Viri, ſi aliam viam ingreſſi nimios hoſce impetus ſiſtatis, ne ulciſcendi magis libidine, quam Religionis amore duci videamini. Efflagitat hoc multitudo, patitur conſcientia, ſuadet æquitas, fert humanitas. Præſtat in Religionis controverſiis partes admittere, quam pietatis titulo tyrannidem exercere. Multæ in domo Patris manſiones ſunt, nec ob ſolos Calviniſtas creata cœlo-

Digitized by Google

rum machina. Latius patet Ecclesiæ Catholicæ nomen, quam ut tam arctis ea limitibus circumscribi debeat. Quod si ita est, inhumanum erit iis patriæ hujus portiunculam invidere, quos inter cælestis patriæ hæredes ac bonorum suorum consortes adscripsit supremum Numen: iis alimoniam negare, quos pascit Creatoris benignitas: eos anathemate ferire, qui Christianam fidem ex primitivæ Ecclesiæ sensu profitentur. Et quanquam optabilius foret unum esse omnium fidelium cor, unam animam, tamen cum hæc per humanam infirmitatem obtineri non possit Ecclesiæ felicitas, minore incommodo cœtuum variorum admittitur distinctio, quam ut ante tempus messis, cum incerta adhuc est zizaniorum discretio, cum ἀυτοπιστὰ [*ex seipsis fide digna*] non sunt Doctorum judicia, cum multorum injuria ac noxa judicii falcem stringatis. De aperte blasphemis non loquor, nec de iis, qui ipsa probitatis ac recte vivendi præcepta everſum eunt. De iis loquor, qui Dei timentes sunt: quorum vita innocens ac sancta conscientiæ integritatem arguit: nec alio fine sententiæ suæ inhærere probabile est, quam quia sic credere & Deo glorioſius, & nobis salutare magis existimant. Nostrum est, probare Spiritus an ex Deo sint, nec Prophetiarum diversitatem adspernari. Quod si non alio remedio quam persequendo servari posse creditur Ecclesiæ unitas, satius erit distinctos locis Ecclesiæ Catholicæ cœtus admittere, quam hujus vel illius oppressione

Digitized by Google

sione ad fictam ac imaginariam illam unitatem adspirare. Non alia statim est Ecclesia, quæcunque alia aut plus, aut minus sapit, modo Iesum profiteatur eumque crucifixum. Tu quis es, ait Apostolus, qui fratrem tuum condemnas? Nullo non tempore fuit Ecclesia Dei, nec tamen omni tempore ab omnibus credita, quæ nunc singula credi jubentur, & tamen ea credita, quæ necessaria creditu fuere. Hæc pauciſſima sunt. In reliquis aut doctioribus nobis esse licet sine salutis compendio, aut indoctioribus sine salutis dispendio. Nec parum his rationibus momenti adferent clariſſimorum Ecclesiæ procerum judicia, & candidiores calculi. Ita Lactantius *: Distringant, inquit, aciem ingeniorum suorum. Si ratio eorum vera est, parati sumus audire, si doceant: tacentibus certe nihil credimus, sicut ne sævientibus quidem cedimus. Et paulo post: Quid ergo sæviunt? ut stultitiam suam dum minuere volunt, augeant? Longe diversa sunt carnificina & pietas, nec potest aut veritas cum vi, aut justitia cum crudelitate conjungi. Sentiunt nihil esse in rebus humanis Religione præstantius, eamque summa vi oportere defendi: sed ut in ipsa Religione, sic in defensionis genere falluntur. Defendenda enim Religio est, non occidendo, sed monendo; non sævitia, sed patientia; non scelere, sed fide. Illa enim malorum sunt, hæc bonorum. Et necesse quidem est bonum in Religione versari non malum. Nam si sanguine, tor-

* *Lib.* 5. *c.* 20.

Digitized by Google

mentis, addam exilio, carceribus, mulctis Religionem defendere velint, jam non defendetur illa, sed violabitur. Tantum abest, ut probandum sit institutum vestrum, qui non tantum Patria expulistis viros extra controversiam Christianos, sed & aqua, & igni iis interdixistis, & officia humanitatis iisdem præstari & vitæ præsidia suppeditari severe prohibuistis. Alienissimum hoc est ab indole Christiana, alienum à Creatoris vestri moribus, qui dum Solem suum oriri sinit supra bonos & malos, nec hostibus quæ ad victum & amictum necessaria sunt denegari cupit, ad hujus suæ φιλανθρωπίας [*ergà homines benevolentiæ*] imitationem vos invitat. Et quid inhumanius, quam Religionem ad salutem hominum datam, ad bonorum pestem perniciemque conferre? Certe huic insolentiæ adversantur optimi antiquorum Canonum *, qui vetant, ne spirituales ullam ob rem, nedum ob fidem aut hæresin, quemquam occidere, aut ei manus injicere audeant, neque per se, neque per alios: ac neque voluntatem, neque factum, neque consilium suum ad id accommodent: quin etiam alios qui id fecerint, judicent atque puniant. Augustinus cum Manichæorum decertans hæresi ac impiis dogmatibus, hunc in modum illos affatur: Illi sæviant in vos, qui nesciunt cum quo labore verum inveniatur, & quam difficile caveantur errores. Illi sæviant in vos, qui nesciunt

* *Quæst. ult. cap. His à quibus de re jud. lib. 5. Quod de panit. dist. 3; Periculose August. 14. q. 3. Plerique.*

Digitized by Google

neſciunt quantis ſuſpiriis & gemitibus fiat, ut ex quantulacunque parte poſſit intelligi Deus. Ego autem ſævire in vos omnino non poſſum, quos ſicut meipſum illo tempore, ita nunc debeo ſuſtinere, & tanta patientia vobiscum agere, quanta mecum egerunt proximi mei, quum in veſtro dogmate rabioſus & cœcus errarem. Hilarius hanc ſævitiæ in diſſentientes ſpeciem pathetice admodum deplorat adverſus Auxentium Arrianum, his verbis: Ac primum miſerari licet noſtræ ætatis laborem, & præſentium temporum ſtultas opiniones congemiſcere, quibus patrocinari Deo humana creduntur, & ad tuendam Chriſti Eccleſiam ambitione ſeculari laboratur. Oro vos Epiſcopi, qui hoc vos eſſe creditis, quibusnam ſuffragiis ad prædicandum Euangelium Apoſtoli uſi ſunt? quibus adjuti teſtatibus Chriſtum prædicaverunt? gentesque vero omnes ex idolis ad Deum tranſtulerunt? Anne aliquam ſibi aſſumerent è palatio dignitatem, hymnum Deo in carcere inter catenas & poſt flagella cantantes? Edictisne regis Paulus, cum in theatro ſpectaculum ipſe eſſet, Chriſto Eccleſiam congregabat? Nerone, aut Veſpaſiano, aut Decio patrocinantibus tuebatur, quorum in nos odiis confeſſio divinæ prædicationis efloruit? Illi manu atque opere ſe alentes, intra cœnacula, ſecretaque coëuntes, vicos & caſtella, gentesque fere omnes, terra ac mari contra Senatus-conſulta & regum edicta peragrantes, claves (credo) regni cœlorum non habebant? aut non

Digitized by Google

non manifesta se tum Dei virtus contra odia humana porrexit? cum tanto magis Christus prædicaretur, quanto magis prædicari inhiberetur? At nunc proh dolor divinam fidem suffragia terrena commendant: inopsque virtutis suæ Christus, dum ambitio nomini suo conciliatur, arguitur: terret exiliis & carceribus Ecclesia, quæ exiliis & carceribus est credita. Pendet ad dignationem communicantium, quæ persequacium est consecrata terrore. Fugat sacerdotes, quæ fugatis est sacerdotibus propagata. Diligi se gloriatur à mundo, quæ Christi esse non potuit, nisi eam mundus odisset, &c. Eadem Damasceno mens fuit, qui 3 sentent. cap. 32. tradit Euangelium toto orbe fuisse prædicatum, sed nullis telis, aut armis, aut bello suos adversarios vicisse, sed à paucis nudis, pauperibus, indoctis, & flagellatis confusos fuisse sapientes mundi. Quomodo enim posset Ecclesia habere martyres, si ipsa martyres faceret?

His expositis, quid V.V.C.C. agere oporteat, intellectum puto. Nunc si specialius Patriæ nostræ faciem, ac subditorum indolem: si tempora quibus vivimus: si ea, quæ nos manent incommoda & pericula; si Confœderatorum Principum studia, vota & consilia; si controversiarum argumentum: si exempla eorum, quos nimius in dissentientes rigor perdidit; servavit mansuetudo, aliasque circunstantias ponderare libeat, utique aliam regundæ reipublicæ viam ineatis oportet. Non ferunt Belgarum ingenia im-

Digitized by Google

immites Dominos, & duci lenitate gaudent, cogi nolunt. Enimvero insita est animis ipsorum libertatis avitæ memoria, nec aliam ob causam Austriacos dedignati fuerunt, quam quod conscientiis imperiose præscriberent, & uni Religioni, quam fastidiebant nostrates, mancipatos vellent. Quoties majores vestri, quoties vos ipsi de Episcoporum tyrannide, civium carnificina, libertatis fœda oppressione, ac erepta publice docendi facultate conquesti estis. Quoties docuistis, ac in Ordinum comitiis ursistis, non alia ratione, quam conscientiarum libertate componi posse Reip. tempestatem? Quoties ipsi vel in urbibus intra cœnacula, vel extra urbes in compita, lucos, ac loca publica ad conciones confluxistis? Nunc vix in ocio positis eadem sævitiæ exempla placere occœperunt, & damnata in hoste inclementia adlubescit. Non ovum ovo magis simile, quam nupera vestra Edicta Edictis Regis Hispaniarum, solo mortis ac vivicomburii supplicio excepto, nisi forte pejus quiddam morte æstimari possint æterni, iique infames ac delibato scurrarum flori dicati carceres. Suscepta semel vobis Synodici Decreti assertio est; sed quas non illa turbas, quæ non mala dedit? Vultis catalogum. Sic contexo. Primum neci *Ioh. Barneveltii*, ad summa sæpe discrimina delecti viri occasionem dedit & justi speciem, qui ut innovatæ Religionis reus teneri posset, falsitatis & novitatis crimine notanda fuit primitivæ Ecclesiæ sententia. Hinc in Remonstrantes ad Synodum cita-

Digitized by Google

citatos translata tempestas, qui æterno exilio multati sunt, quod sordidi stipendii spe veritatem, quam hactenus professi fuerant, silentio prodere detrectarent. Ab his in reliquos promiscue Ecclesiæ Pastores sævitum, quibus aut exulandum fuit miserrime, aut commissi sibi à Domino talenti promittenda improba suffossio. Nec stetit intra Ecclesiasticos rigor. Sed & Politicos, quotquot placuissent Remonstrantium studia, animadversum. Æternæ custodiæ mancipatur H. Grotius, & qui maris vobis libertatem, qui Reipub. vestræ jus & antiquitatem, qui Pietatem denique vestram scriptis suis constanter asseruit, in Tullianum compingitur. Iustitiæ severus cultor Hogerbetius, par cum Aristide ab ingrata republica præmium reportat. Exulant alii autoritate & prudentia insignes viri, de patria optime meriti. Reipublicæ clavo depulsi sunt passim gubernatores ac rectores fidelissimi, & junioribus ac rerum inexpertis, commissa in tam turbato mari navis Belgica. Civium vestrorum optima pars alibi efferi militis truculentiæ, alibi harpyjarum furoribus, alibi famelicorum prætorum insatiabili objiciuntur avaritiæ. Nempe his victimis litandum fuit Synodi Dordracenæ Patribus, nec nisi miserorum sanguine placari potuit sacræ istius Dianæ rabies. Vt de Schismate jam nihil dicam, quo & patriæ vires & Ecclesiæ distracta unitas. Vtrique moderatione, placabilitate, & concordiæ studiis occurri in tempore potuisset. Nunc extra medelæ spem morbus

Digitized by Google

morbus est, nec remedia admittit, quin certissimam internecionem minatur, nisi urendi & secandi finem feceritis. Flagrant odiis mutuis civium animi, & Cadmæam victoriam affectant, quæ non minus victoribus quam victis luctuosa erit. Patent adulatoribus aures eorum, qui rempublicam gubernant. Delatoribus & sycophantis facta venia, nec tuta ab horum improbitate innocentia multorum. Hypocritarum & foro utentium tanta copia, quanta autumni tempore cicadarum. Et quia Religionem Synodicam profitendo quæstum se facere vident, religiosissimum quisque se simulat, cum sit pessimus. Creditur mercenariis linguis, & venali testimonio succumbit perspecta multorum probitas. Amissa quoque multarum urbium pristina securitas exercitus vestri copias labefactat, & necessariæ fiunt præsidia, dum absque necessitate ut hostes metuitis, quos sola mansuetudine vobis devinxisse oportuit. Et quam pestilens illud in omni Rep. sit malum, libellorum famosorum licentia, probe novistis, quibus causam & fomenta subministrat insueta imperii facies, & Sejanorum subita felicitas. Vacillat publica authoritas, quam impune lacessit subditorum maledicentia, nec tuta sunt imperia, quæ metu magis, quam subditorum conservantur benevolentia. Nec gratis profecto disputatum fuit in Synodo, sed magno ære redempti Canones. Precio empta patriæ infelicitas, & non nisi magna ærarii publici penuria satisfactum Ecclesiasticorum libidini. *Tantæ molis*

Digitized by Google

molis erat Calvini condere gentem. O conditionem miseram Reipubl. vestræ, in qua diligentia plena simultatum est, negligentia vituperationum, ubi severitas periculosa est, liberalitas invita, sermo insidiosus, assentatio pernicioſa, frons omnium hilaris, animus multorum iratus, iracundiæ occultæ, blanditiæ apertæ. O speciem dignitatemque populi vestri, in quo ea, quæ victis civitatibus accidunt, patiuntur cives, disturbantur tecta, diripiuntur fortunæ, gubernatores dejiciuntur, fortissimi, præficiuntur vix prætextati, & de patriæ patribus arbitria funeris petuntur; denique patriæ causa patria amittitur.

Quod si domesticis malis affici vos non patiamini, & invidiam armis vos superasse jam creditis, moveat quæso vos exteri hostis metus. Effluxit induciarum tempus, & recrudescente reens bello & domi & foris bellandum erit. Prudenter veteres Romani tribunitios motus sopiebant, quoties externus hostis finibus instaret. Idem vobis faciendum, nisi vinci vultis ab eo, quem sola civium concordia vicistis hactenus. Horum siquidem discordiæ sunt, quæ hostibus magnarum rerum præbent occasiones. Raro fortuna invidiam suam populo uni in alterius perniciem commodat, nisi prius ille turbatis domi rebus vitia ipse sua viresque regere nesciat. Quare tumultus domesticos, dum tempus est, componite, malorum nostrorum causas tollite, ne verum fiat, quod vaticinatus dicitur Geldorpius quidam, *Principium fuit ex irata plebe tumultus*,

Digitized by Google

tus, Finis ab irata plebe tumultus erit. Nihil Reipubl. periculosius accidit, quam imperantum superba securitas, & iratæ plebis contemptus. Sæpe animus, qui dubiis rebus fuit infirmior, desperatis confirmatus est multum. Vbi vires dominorum suorum frangi videt populus, suas colligere incipit, & injuriam illatam si ulcisci queat, perire amat. Præterea ita ratiocinatur: si propter plebem Rex est, non plebs propter Regem, plebis commoda Regis commodis anteponi debere, nec Regis illum aut Patris gubernatorisque nomen mereri, qui ex civium oppressione gloriam & voluptatem capit.

Et quid non largiendum ingeniis, in tam inextricabili quæstionum sublimium de Prædestinatione Labyrintho? præcipue cum de Ariadnes filo, quo vestigia legere necesse est, controvertatur. Vtinam Cœlestini Episcopi vobis placuisset modestia, qui nec Augustini contemnere audebat placita, nec eadem volebat adstruere. Prisca Ecclesiæ *lumina*, Iustinus, Irenæus, Clemens Alexandrinus, Chrysostomus, Damascenus, Hieronymus, aliique complures, Græci pariter & Latini cum Remonstrantibus credidérunt.

An hos superstites Ecclesiæ communione arceret Calvinus, vos Belgio? Nunquam jure Canonico in ita sentientes animadversum. Nunquam hæc controversiarum puncta dissipandis Ecclesiis, nedum excutiendis Magistratibus occasionem prębuere. Scilicet plus sapimus juvenes

Digitized by Google

Patribus, nepotes majoribus noſtris, & hoc tempore neceſſarium eſſe cœpit, quod nunquam fuit.

Nec ſilentio prætereundum, multa calide, multa inconſiderate & vindictæ potius ſtudio, quam conſulto geri à novitiis Magiſtratibus. Offenſarum ſuarum memor privatas injurias quisque ulciſcitur, & victoria potitus ferocior impotentiorque redditur. Quæ profecto excitare vos debebant, ut propius in Rempubl. aciem intenderetis, & vehementiam multorum ac implacabilem iram in gyrum rectæ rationis duceretis. Nihil enim recte, nihil prudenter fieri poteſt ab animo, quem ira occupavit. Prohibenda hæc eſt maxime in puniendo, cum proprium irati ſit, cupere ei, à quo læſus videatur, quam maximum dolorem inurere.

Eſt adhæc prudentiæ, non oſtendere, quibus rebus impar ſis, & cum ſæviendo compeſci non poſſit populi oppoſitus furor, concedendo eundem vincere. Cunctando non minus, quam aperto Marte reſtituitur res Romana, & peragit poteſtas tranquilla, quod nequit violenta. Nihil vel parum hactenus profeciſtis Edictorum numero ac ſeveritate, nec expugnata plebis conſtantia, (vos pertinaciam vocatis) ſed firmata magis. Et neſcio quo obnitendi ſtudio ea ſæpius committere amant, quæ ſæpe vindicantur. Politicorum monita ſunt: ſeveritatis aſſiduitate authoritatem amitti, & non minus turpia eſſe Principi multa ſupplicia, quam Medico funera.

Nec

Digitized by Google

Nec contemnenda quoque vicinorum Regum de hoc vestro instituto judicia. Anglo quin placeat non est dubium, quanquam vos illi non usque adeo. Vbi in discrimine erunt res vestræ, ociosum se spectatorem præbebit vestræ calamitatis. Gallo quin ægre sit non ignoratis, & insigni Reip. vestræ damno spreti Oratoris Boisisii culpam luitis. Helvetios transalpinos considerate, quos contemptus Legati Gallici pessumdedit, & sero ad pedes Ludovici duodecimi supplices provolvi coëgit. Præstat Prometheos esse, quam Epimetheos. Vereor ne eadem vos propediem mansura sit sors. Non ea imperio vestro parta securitas, ut tanti Regis benevolentiam superbe contemnere debeatis. Sententiam Ecclesiarum suarum in Synodo damnatam esse iniquissime ferunt Daniæ & Sueciæ Reges; & à Calviniſtarum supercilio sibi metuunt. Nec Saxoniæ Duci ob eandem causam gratiores estis, ad cujus offensam hoc accessit, quod vobis authoribus aut saltem fautoribus, (uti fertur) recuperandi Electoratus Saxoniæ spem concipere ausus fuerit Dux Weimarius. Quotquot Confessioni Augustanæ favent Principes, Synodi vestræ Canonibus Anathema scribunt, & qua fide à Pareo aliisque Theologis oblata ipsis fuerit societatis dextera jam didicerunt; nempe, ut in societatem admissi, aut contra, quam sentiunt, credant, aut muniis publicis, cum sacris tum profanis, Remonstrantium exemplo, decedant. Quod si in horum omnium amicitia, fœderibus,

Digitized by Google

auxiliis quidquam positum creditis, tempus est medicam manum laboranti patriæ admovere, & illorum Principum exempla imitari, qui concessa Religionum libertate, pacata habere malunt imperia, quam illa erepta cum intestina civium pertinacia perpetuo luctari. Cum vero imperantium unicus scopus esse debeat, ut opibus firma, copiis locuples, gloria ampla sit Respublica, deliberandum vobis an huic fini accommodata sit præsens imperii forma. Libertatis obtinendæ spe in loca hæc ex omnibus terrarum oris concessere populi, & Christianæ moderationis fama inclaruistis hactenus. Rigida imperia qui ferre nequiverunt, hic sedes suas locatum venerunt, Puritani, Bruniſtæ, Lutherani, Anabaptistarum cœtus varii, Iudæi ipsi. Quibus omnibus dum docendi copiam facitis, & solis Remonstrantibus denegatis, faciliores vos erga exteros quam indigenas præbetis, & dum illos prudenti Religionum tolerantia huc allicitis, hos fastidiose contemnendo è Republica vestra abigitis. Quæ res facit, ut felicitati vestræ inhient vicini Principes, & vestra culpa quisque frui studeat. Invitant ad se, quos vos fastiditis, Danus, Suecus & Holsatiæ Dux. Quin & proprii commodi spe humaniter tractant exules vestros Archiduces, ut, qua illi hactenus male audiverunt, in vos derivent sævitiæ infamiam.

Quæ cum ita sint Illustriss. ac Potentiss. Ordines, revocate jam animos vestros ab hac nostra disputatione ad universam Rempublicam, & ad reli-

Digitized by Google

reliquas vestras, quibus patriam hanc felicissime tutati estis virtutes, fortitudinem, inquam, constantiam, fidem, authoritatem, clementiam quoque adjungite, quæ lenitate, mansuetudine, temperantia sua servatum it eosipsos, qui se perdunt. Hanc si consiliorum vestrorum adhibueritis directricem, securam magis & tutam habebitis Rempublicam, amore popularium, non metu firmatam. Hoc munimento tuti, munimento non egebitis. Firmissimum id imperium, quo obedientes gaudent. Scitote civium non servitutem vobis, sed tutelam creditam esse, nec Rempubl. tam vestram esse, quam vos Reipubl. Insusurrat vobis prudentiæ civilis magister Tacitus; novum imperium inchoantibus utilem esse Clementiæ famam. Pergite iisdem artibus tueri Rempubl. quibus illa nuper ab Hispanorum tyrannide vindicata est. Quod si mutetis indolem, metus est ne fortuna quoque cum moribus mutetur. In nullos magis insurgunt homines, quam in eos, quos imperium in se adfectare sentiscunt. Non solis viribus ac armorum præsidio credere æquum est, sæpe acri potior prudentia dextra. Sint ante oculos illi Principes, quos nimia in subditos inclementia cervicibus publicis depulit. Temperatus timor est, qui cohibet, assiduus & acer in vindictam excitat. Et ut arbores quædam reciſæ magis pullulant, ita publica crudelitas auget inimicorum & malignantium numerum, non minuit. Remove terroris causas, ilicet qui timere desiit, odisse

Digitized by Google

incipiet, & repertis authoribus tollet animos. Male illi & sibi & publico consulunt, qui ex magna fortuna & adversariorum victoria licentiam tantam usurpant, & non tam, quod liceat, quam quot libeat, agunt. Illa demum laudabilis victoria est, quæ cum paucorum exitio conjuncta est, tum ex qua victor majorem prudentiæ moderationisque laudem refert, quam fortitudinis aut felicitatis. Privatas ergo offensas missas facite, quæ non raro rectores Rerumpubl. stimulant in publicum exitium. Absit à consiliis vestris contumacia, nec dedecus fore credite, Edictorum severitatem mitigasse; Moderanda sententia est è Reipubl. tempestate, tanquam navigium aliquod. Non semper it uno gradu vir sapiens, sed una via; nec cursum eundem tenet, sed portum. Arte & flexu subinde opus, & contracta sæpius juvant vela, quæ expansa periculum minantur. Adulatoribus quoque aures occludite, nec ab Ecclesiasticis duci vos sinite, uti nervis alienis mobile lignum. Hi in causa sunt, ut non solum fiant, quæ vultis vos, sed etiam ut ipsis morem gerere vel inviti cogamini. Accendit has dissidiorum faces Religio, quæ nunquam felici successu in Repub. hac vestra coërcita fuit. In Repub. inquam vestra, in qua omnes disputare malunt quam vivere, & libertati assueti dura servitia pati nesciunt.

Quamobrem recte feceritis, si mitigata Edictorum acerbitate docendi libertatem Remonstrantibus concedatis, nec imperium diutius in con-

Digitized by Google

conſcientias vobis affectetis. Connivere hic melius, quam intempeſtivis remediis delicta accendere. Majorum noſtrorum ad Regem Philippum, ad Margaretam Parmenſem vox fuit; Mentium Regem Deum eſſe; Belgarum ingenia non niſi facili fræno regi: Edictorum rigore vaſtari magis civitates, quam corrigi. Cur hæc vobis jam præcepta ſaluberrima diſplicent? Cur in eundem, in quem Auſtriaci, lapidem impingitis? Cæſaris effatum eſt, Potentia mediocritate exercita, omnia parta conſervat. Et remiſſius imperanti melius, inquit Seneca, paretur. Seditionibus, ſi quas metuitis, occurrere in tempore, prudentia, authoritate, potentia poteſtis, quin iis legibus libertatem concionandi circunſcribere, quibus Reipubl. veſtræ ſecuritati abunde proſpectum ſit.

Proſcriptionum, exactionum, incarcerationum (voces ad Reip. perniciem natæ) finem aliquando facite. Rectores vos, non Dominos ſubditos, cives, non ſervos, cogitate. Magis civitates ad obſequium flectit parcitas animadverſionum. Et illud laudabile, ut, ſi pœna opus ſit, ea ad paucos, metus ad omnes redeat.

Iram maxime prohibete in puniendo; nam irati dum ad pœnam acceditis, nunquam mediocritatem illam tenebitis, quæ eſt inter nimium, & parum. Expendite Contraremonſtrantium efferos & ſolo vindictæ ſtudio flagrantes animos, & ab hierarchia ipſorum vobis ſedulo cavete. Turpe eſt eam his hominibus concedi à vobis

Digitized by Google

authoritatem, ut omnium civium ſalus, vita, libertas, aræ, foci, bona, fortunæ, domicilia, ex ipſorum nutu, ac gratia pendere videantur.

Expendite, cum optima Reip. parte vos contendere, quam ſola facilitate placare poteſtis. Nec permittite, ut fictis proditionis criminibus graventur fideliſſimi cives, quorum perſpecta eſt in rebus magnis & honeſtis vita: aut ut ſceleratiſſimorum hominum quotidianis calumniis impune objiciantur devota ad neceſſariam Patriæ defenſionem pectora.

Revocate exules, & culpam hanc ſuam agnoſcant, quod de veſtra clementia hactenus deſperaverint. Si Synodi decretis per conſcientiam ſuffragari nequeunt, ſatis ſit publicis eos functionibus & ſtipendiis privari. Ne triſti divortio à conjugibus maritos, à liberis parentes, à complexu ſuorum diſtrahite vitæ, generis, ſanguinis, affinitatis, & ſtudiorum hactenus genere junctiſſimos. Fruantur illo quoque aëre, in quo nati primum, mox & educati ſunt. Doceant Eccleſias ſuas, quæ doctrinam ipſorum amplexæ ſunt, cum tota fere Religione, imo tota, ſi Chriſtianam ſpectes, diſſidentibus, docendi libertatem non inviti concedatis.

Sinite quæſo, ut aliquid ponderis apud vos habeant, tot civitatum, tam crebræ, tam ſeriæ ſupplicationes, illarum præcipue, quarum vel longa obſidione, vel everſione fracti fuere hoſtium impetus; quarum conſtantia, fide, animi magnitudine Patria noſtra, Deo vindice, ſarta tecta ſtetit.

Hoc

Digitized by Google

Hoc si feceritis, coalescent civium distracti animi; gaudebunt imperio vestro subditi omnes; prudentiæ & clementiæ fama, ad quam omnia dirigenda principibus, clari eritis; belli adhæc subsidia auctius & libentius subministrabuntur; cum ea non in civium oppressionem, sed justam defensionem conferri constabit: dolebunt felicitatem vestram, quotquot ei invident, gratulabuntur Confœderati Principes; reviviscet Religionis anima Charitas, & quas nunc civitates tuentur militum copiæ, solus civium tuebitur favor. Denique, quæ votorum vestrorum summa esse debet, Amorem vestri apud subditos, metum apud hostes relinquetis. Anno 1620, mense Sextili.

6.

BARTOLDO NIHUSIO S. P.

Carissime Doctissimeque Vir,

Facit ea, quam de humanitate tua concepi, fiducia, ut litteris hisce te affari in animum induxerim, non ut de stillicidiis (quod ajunt) aut fundis litem tibi moveam, sed ut tecum de Christianæ fidei capitibus placide & in timore Domini conferam. Innotuisti mihi partim ex amplissimi præstantissimique Viri D. Matthiæ Overbeecquii, summi eruditorum æstimatoris commendatione, partim ex scriptis tuis cum publicis tum privatis. Ita de eruditione tua, & in Religionem Christianam affectu statuo, posse me à te doceri, si errare comperiar, nec gravem te

Digitized by Google

fore in erudiendo eo, quem à recto ſalutis tramite aberrare facile judicabis. Etenim Reformatam (quam vocant) Religionem jam inde à teneris amplexus ſum, & etiamnum amplector. Hac fide aut ſtabo, ſi vera ſit, aut cadam, ſi falſa. Veram eſſe hactenus mihi perſuaſi firmiter. Quicquam me credere, quod damnationis me reum facere poſſit, equidem ignoro. Quicquam me non credere, quod ad ſalutem creditu neceſſarium ſit, itidem ignoro. Tu cum ſtatuas Reformatam Eccleſiam veram Dei Eccleſiam non eſſe, aut ejus partem, me iſtius Eccleſiæ membrum à fidei Chriſtianæ fundamento aberrare credas oportet.

Quare à te indicari velim: Primo articulum aut articulos aliquot, quorum merito damnatorum numero adſcribi debeam. Secundo, quidnam judicio divino ad ſalutem putes creditu neceſſarium eſſe, quod non credam ego cum Eccleſia Reformata. Cum fidem meam Eccleſiæ Reformatæ cancellis ac Confeſſionibus circumſcribo, controverſias iſtas de Prædeſtinatione ejusque annexis excipi volo. In his principiis nos convenire arbitror:

I. Solius Dei eſſe vitam æternam largiri.

II. Nulli eam largiri niſi Religionis veræ cultori.

III. Solius Dei eſſe præſcribere vel mediate, vel immediate, qua Religione ac fide coli ab homine velit.

Hic ſi operam tuam mihi de ſalute mea ſerio cogi-

Digitized by Google

cogitanti commodaveris, summo me beneficio affectum putabo. Faciet hæc res, ut aut propius accedam ad vos, aut ubi sum & steti hactenus, majore animi fiducia persistam. Brevitatem amo, simplicitatem, modestiam, candorem. Has virtutes uti à te expeto, ita ipse quoad possum præstare per Dei gratiam adnitar. Vale vir eruditissime, & fecialem hunc non contendendi, sed discendi studio à me ad te profectum humaniter excipe. Lugd. Bat. IV Non. Maji, An. 1624.

7.

Ecclesiæ, ut vocant, Reformatæ civi isti anonymo, cujus literas, profecto humanissimas, Leydâ ad me curavit Amplissimus D. Overbequius, Salutem omniaque Christiani amoris officia, BARTOLDUS NIHUSIUS.

Clarissime Vir, amice in Christo exoptatissime, tametsi de nomine hauddum cognite. Paucis ac dilucide tibi expediri cupis duo. Vnum est, annon conveniat inter nos de tribus hisce: I. Solius Dei esse, vitam æternam largiri. II. Nulli eam largiri nisi Religionis veræ cultori. III. Solius Dei esse, præscribere vel mediate, vel immediate, qua Religione ac fide coli ab homine velit. Alterum, quidnam in Religione tua esse putem, ob quod salvari nequeas; quidnam item abs te ignoretur eorum, quæ ad salutem creditu sint necessaria.

Non

Digitized by Google

Non quidem Theologus ego, vir humaniſſime, ſed vix Neophytus Eccleſiæ noſtræ Catholicæ; & editum quoque eſt ſat librorum, ad quos remittere te queam: quia tamen meam tenuitatem tanti facis, ut audire illam geſtias, morem gerere oportet. Sane de tribus iſtis, quæ primo loco dixiſti, aſſentior. De duobus autem reliquis ita accipe.

Et de priore quidem prius. Cujus Religio nititur concluſionibus, quæ non ſunt infallibile verbum Dei, ſed fallibile verbum hominum, is ſicuti fidem ſalvificam non habet, ita ſalvari nequit. Talis autem tua Religio. Concluſionibus enim nititur, quæ exſtant in Confeſſionibus Eccleſiæ tuæ Reformatæ; quemadmodum ipſe ſcribis. Non ſunt autem concluſiones iſtæ infallibile verbum Dei, ſed fallibile verbum hominum; utpote neque conſcriptæ, neque adprobatæ à talibus, quales olim Prophetæ, Apoſtoli aut Euangeliſtæ, verum ab iis qui ſaltem ingenii ſui naturale ac fallibile judicium, in Scripturis explicandis indidemque argumentando, ſequuti: quum contra aſſenſus fidei ſalvificæ, absque omni mentis diſcurſu ſit. Ergo ſicuti proinde fidem ſalvificam non habes, ita ſalvari etiam nequis.

Iam de poſteriore. Qui infallibiliter certus eſſe vult, adhærere ſe ipſiſſimo Dei verbo per omnia, ille ſi falli hac in re ipſemet poteſt, ab ore alicujus pendeat neceſſum eſt, qui ſimul & infallibilis heic ſit, &, quoties requiritur, explicando ſeſe clarius, omne penitus dubium tollere valeat.

Digitized by Google

valeat. Neque enim Confessiones illæ vestræ ad id sufficiunt; quum fallibiles sint. Imo neque Scripturæ ipsæ; quod in fide errantibus fluctuantibusque explicare se amplius, quam factum hactenus est, nequeant. Tu sine dubio infallibiliter certus esse vis, adhærere te ipsissimo Dei verbo per omnia: nempe quia salvari aliter haud datur. Ergo quum falli ea in re ipsemet possis, ab ore alicujus pendeas necessum est, qui & infallibilis heic sit, & explicare sese clarius, quoties poscitur, valeat. Ejusmodi autem os infallibile ignoras tu cum tua Ecclesia Reformata. Viden' ergo, quidnam te lateat eorum, quæ ad salutem creditu cumprimis necessaria?

Atque hæc ad tuas, ut voluisti, sermone brevi ac simplici. Plura alias, ubi, quænam sint illæ, quas innuis, Confessiones, propius cognovero. Modestiam & candorem sicuti merito exigis, ita desiderari in me nunquam patiar. In te certe virtutes istas mirifice elucere, argumento tua est epistola. Quam proinde valde exosculatus sum. Sicuti & gratias nunc ago maximas de benevolentia in immerentem me; quam indiciis haud equidem obscuris declarasti. Faxit Numen cœleste, ut videamus nos invicem, superata mortali hac vita, in civitate illa supera, æternum triumphatura. Vale, vir clarissime. Coloniæ, 20 Maji, 1624.

8. BAR-

Digitized by Google

8.

BARTOLDO NIHUSIO S. P.

QVòd tam humaniter ad litteras meas responderis, gratias tibi maximas debeo, doctissime Nihusi. Non fefellit me expectatio mea, quin tui in me, licet tibi ignotum, affectus testimonium luculentum præbuisti tam benigna ac expedita responsione. Vtinam inter sententiis opinionibusque discrepantes, animorum illa hostilis dissensio & personarum exulassent odia. Certe feliciori hactenus successu processisset Christi negotium, & faciliori ad veritatem via itum fuisset. Sed nos priorum naufragiis edocti scopulos istos vitemus, & charitatis ac mansuetudinis spiritu alii alios erudiamus. Hac æmulatione si ducamur, aderit cœptis nostris supremum Numen, nec irreligiose tractabitur veritas, ubi ejus causam amice disceptabit Charitas. Sed ad rem.

Duo postulaveram: Prius erat, ut articulum mihi aut articulos indicares in Religione mea, (cujus summam Confessionibus Reformatarum Ecclesiarum contineri scripseram) quorum nomine salvari non possem. Cum enim plurima Religionis Christianæ dogmata tecum communia habeam, volebam unum aut alterum dogma ex Confessionibus nostris excerpi, quod salutis spem mihi judicio tuo præcideret. Quid facis? latius quam petebam responsum tuum diffundis, & totam Religionem Reformatam argumento

Digitized by Google

mento generaliore convellis. Scio Religionem omnem vel oppugnari posse universim, vel per partes, excutiendo singula aut præcipua ejus dogmata. Posterius ut fieret petieram ego, prius facis.

Dices forte, si in universum mihi persuaderi possit fidem Reformatorum salvificam esse non posse, supervacaneam esse anxiam & sollicitam hujus vel illius dogmatis disquisitionem. Agnosco. Sed jam non ex meo, qui præivi, sed tuo sensu ac præscripto disputabitur.

Verum ne imperiose tibi præscribere velle videar, aut probationis tuæ momenta contemnere, quam feliciter hoc ipsum, quod intendis, præstes, examinandum. Sic disputas:

Cujus Religio nititur conclusionibus, quæ non sunt infallibile Dei verbum, sed fallibile verbum hominum, is, sicuti salvificam fidem non habet, ita salvari nequit.

Talis autem Religio tua. Ergo.

Hujus Syllogismi minorem sic probas: quia nititur conclusionibus quæ exstant in Confessionibus Ecclesiæ tuæ Reformatæ, quemadmodum ipse scribis. Non sunt autem illæ infallibile verbum Dei. At ego, mi Nihusi, confidenter nego à me scriptum esse, Religionem meam niti Confessionibus Ecclesiæ Reformatæ. Quæso literas meas excute, & verba ista profer. Scripsi, fidem meam Confessionibus Ecclesiarum Reformatarum circumscribi. Hoccine tibi est dicere fidem meam iis niti? Non sunt Confessiones fidei fundamenta

Digitized by Google

damenta aut baſes, ſed explicationes illorum ſenſuum, quos ſub Scripturæ phraſibus & verbis concipiunt illi, ad quos eæ Confeſſiones pertinent. Fidei meæ fundamentum unicum cui illa innititur ſunt ſacræ litteræ. Vt autem tibi conſtet, quo ſenſu eas in rebus fidei interpreter, adeoque diſputandi tibi materiam ſufficerem, ad Confeſſiones noſtras te remiſi, & fidem meam iis explicari, & ſummatim comprehendi ſignificare volui. Dico ergo, fidem Reformatæ Religionis, hoc eſt, fidei meæ dogmata contineri Scripturis. Dico eandem contineri Confeſſionibus. Prout Scripturis continetur, & Dei verbis infallibilibus enunciatur, fidei meæ ſalvificæ fundamentum eſt unicum. Prout Confeſſionibus continetur non eſt fidei meæ fundamentum, ſed declaratio ſolummodo ſenſuum Scripturæ circa res fidei. Ne enim ſub verbis Scripturæ hæreticos, aut impios ſenſus fovere credantur Chriſtiani, aut iſtiusmodi ſenſus foventes diſſeminantesque Eccleſiæ ſuæ ſocietate dignari, pia quadam neceſſitate ad Confeſſiones & ſymbola adiguntur. Non ergo fidei ſunt tibicines, ſed potius ſenſuum fidei concordiæque circa illos in hoc vel illo cœtu publici tubicines. Scripſi & hoc: Hac fide, nempe Reformatæ Religionis, aut ſtabo ſi vera ſit, aut cadam ſi falſa. Sed nec inde recte inferas, fidem meam ſalvificam niti Confeſſionibus. Hoc enim ad inſtitutum inter nos certamen reſtringi volo, in quo ſtabo victor, ſi Confeſſiones nihil habeant ob quod ſalvari ne-

Digitized by Google

nequeam, nihil ignorent, quod judicio divino, me scire necesse sit, cadam vero victus, si probaveris eas istis nominibus peccare, adeoque falsas esse. Metaphora sumta est à gladiatoribus, qui ut victores evadant statum suum tueri dicuntur, nec ab eo se deturbari patiuntur. A Confessione hac vel illa deturbari possem, à Scriptura nunquam. Nolim equidem nos hic in disputationem de Confessionum autoritate ac fide divagari, alienum hoc foret à proposito. Verum aut aliter argumentationis tuæ nodum stringe, aut quod malim ostende in Confessionibus Reformatorum dogma unum aut alterum, ob quod salvari nequeam, ὅπερ ἔδει δεῖξαι. [*quod debebat indicari.*] Confessionem elige quam velis, plurimæ enim sunt, sive eam, quæ à Belgicis Ecclesiis exhibita est Philippo II, Hispaniarum Regi, vigente hic persecutionum æstu, sive eam quam amplexus est Palatinatus, Catechesin Heydelbergensem vocant, sive eam, quæ tibi aliquando placuit, Augustanam Confessionem. Plurima in his sunt dogmata, quæ anathemate percussit Synodus Tridentina. Tu unum aut alterum seligе ob quod salvari nequeam.

Posterius quæsitum erat, Quidnam judicio divino ad salutem putes creditu necessarium esse, quod non credam ego cum Ecclesia Reformata.

Respondes, sed quod pace tua, dixerim, non apposite ad quæsitum. Probas & concludis ratione ex naturale dianœa petita necessarium

Digitized by Google

esse, ut ab ore alicujus judicis visibilis pendeam, si certus esse velim me adhærere verbo Dei. Illum autem judicem visibilem me ignorare, ideoque aliquid me ignorare ad salutem creditu necessarium.

Hujus tuæ argumentationis robur jam non expendam, quanquam ea aliqua sui parte falsitate laboret. Illud in præsentiarum urgeo, non satisfactum esse quæsito meo. Non attendisti ad illa verba: Iudicio divino, in quibus emphasin posui. Cum enim Dei solius sit præscribere vel mediate, vel immediate, qua fide ac Religione coli velit, quod principium mihi largitus es, ostendendum tibi fuerat, aliquod dogma me ignorare, quod Deus, Religionis & dogmatum fidei præscriptor unicus, judicat esse ad salutem creditu necessarium. Hic figendus pes, hoc concludendum erat. Non alio fine principium illud tertium præstruxi, nisi ut de dogmatum credendorum necessitate non ex rationibus (quas tamen non averser) sed ex judicio divino, & infallibili Dei autoritate disputaretur. Etenim quandiu certus sum nullum me dogma amplecti ob quod salvari nequeam, vel nullum me dogma ignorare, quod Deus Religionis præscriptor & exactor exigit à me tanquam creditu ad salutem necessarium, causam non video, ob quam à recto salutis tramite aberrare judicari debeam. Quare, tale aliquod dogma mihi indicari velim. Vale ornatissime Nihusi, & nos ac veritatem ante omnia ama. Ita te Deus hic incolumem,

Digitized by Google

lumen, alibi beatum velit. Lugd. Batav. 4 Non. Iun. 1624.

9.

Clarissimo, eruditissimoque Viro N. N. Salutem ex animo, & officia promtissima, B. Nihusius.

CErtamen comitatis ac amoris, quod continuare ita promte occipis, profecto nec ego deseram, postquam, te lacessente, semel ingressus sum. Sic tanto magis aspirabit cœptis nostris Deus. Sic neque frustrabitur voluptate inde sperata Overbequius, Patronus meus venerandus. Pertendamus itaque in affectu isto mutuo, nec facile alium induamus. De cætero, nondum te assequutum video, quid voluerim proxime; (quanquam neque id miror magnopere, quum verborum sat parcus fuerim.) Nunc igitur sensa mentis uberius paulo clariusque explicare conabor. Nec molestum tibi erit, scio, sermonem amicum attentione aliquantula dignari.

Duo postulaveras. Alterum erat, ut in Religione tua (cujus dogmata Confessionibus Ecclesiarum Reformatarum summatim contineri ais,) articulum unum aut plures indicarem, quorum nomine salvari te non posse censerem. Responsi loco hunc syllogismum dedi: Cujus Religio nititur conclusionibus, quæ non sunt infallibile verbum Dei, sed fallibile verbum hominum, is sicuti fidem salvificam non habet, ita salvari

Digitized by Google

nequit. Talis autem tua Religio. Conclusionibus enim nititur, quæ exstant in Confessionibus Ecclesiæ tuæ Reformatæ; quemadmodum ipse scribis. Non sunt autem conclusiones istæ infallibile verbum Dei, sed fallibile verbum hominum; utpote neque conscriptæ, neque approbatæ à talibus, quales olim Prophetæ, Apostoli aut Euangelistæ, verum ab iis qui saltem ingenii sui naturale ac fallibile judicium, in Scripturis explicandis indidemque argumentando, sequuti: quum contra assensus fidei salvificæ, absque omni mentis examine ac discursu sit. Ergo sicuti proinde fidem salvificam non habes, ita salvari etiam nequis.

Heic duo objicis. Primo, non petiisse te argumentum ejusmodi generale contra totam tuam Religionem, sed saltem aliquod speciale contra unum vel alterum articulorum, in quibus hactenus dissentiamus. Secundo, non scripsisse te, Religionem tuam niti Confessionibus Ecclesiarum Reformatarum; imo plane hoc ipsum abs te negari. Sic, inquam, tu. Quid jam ego?

Quod prius attinet, fateor, petiisse te, indicari tibi & argumento aliquo pertentari articulum saltem unum alterumve ex iis, in quibus dissentiamus. At ego petitioni tuæ, plusquam satisfactum iri putabam, si censura unica simul omnes illos absolverem. Et sane licebit jam tibi ipsimet, ad quemcunque lubebit, descendere, & quid pro parte tua possis, periclitari. Neque enim quisquam eorum est infallibile verbum Dei. Sane

Digitized by Google

ne contrarium nunquam ostendes. Imo nec ostendere quidem sufficienter poteris, verbum Dei penes te esse articulos illos cæteros, de quorum veritate nulla inter nos controversia. Hoc, inquam, non minus constanter assevero; tametsi nunc quidem sufficiat, si de istis alteris à nobis disputetur.

Ad posterius. Religionem tuam niti Confessionibus Ecclesiarum Reformatarum, affirmasti omnino, quum verbis hisce utereris: Fidem meam Confessionibus Ecclesiarum Reformatarum circumscribo. Ais jam quidem, Fidem tuam Scripturis, tanquam fundamento, inniti unice, non autem Confessionibus illis; has enim saltem esse explicationem Scripturarum quoad res fidei. Sed non recte me percepisti. Sicuti enim per Religionem tuam non ego intellexi dogmata tua, sed habitum actumque fidei ac Religionis tuæ; sic, niti Confessionibus vestris, idem mihi fuit quod, pro objecto habere sensum dogmatum, quæ explicite tradita sunt in istis Confessionibus: neque enim harum literam objectum fidei tuæ esse volui, sed sensum. Iam quæro, annon habitui actuique fidei tuæ pro objecto unico sit, non quidem litera Confessionum illarum, sed sensus dogmatum, iis comprehensorum? Non poteris negare. Quum igitur nihil aliud dixerim, quam quod etiam tua ipsius sententia verum est, non ego tibi adfinxi quidquam, sed per errorem tu verba mea aliter, quam volui, interpretatus es. Imo liquet jam quoque, non

Digitized by Google

pugnare id cum eo quod contendis, Scripturas agnoſci abs te pro fundamento fidei tuæ unico, ſed revera unum & idem potius eſſe; (accipiendo nempe vocabula, fundamenti & fidei, prout dixi.) Neque enim tam litera Scripturarum, quam ſenſus, objectum fidei tibi erit, ni fallor; quum & litera absque ſenſu nihil quidquam proſit, & ſenſus, ignorata etiam litera, ſufficiat. Senſus autem Scripturarum ſecundum vos idem eſt cum ſenſu veſtrarum Confeſſionum. Nam ſi alius ſit, non eadem heic & illic, ſed diverſa fidei veſtræ dogmata fuerint, atque ita ſpongiam mereatur vox iſta tua: Dico, fidei meæ dogmata contineri Scripturis; dico, eadem contineri Confeſſionibus. Quæ quum ita ſint, argumentum meum verbis magis dilucidis efferri poterit, hoc pacto: Cujus fides pro objecto habet ſenſum concluſionum ſive dogmatum, non à Deo ſibi promulgatum; ſed ab hominibus, hac in re naturale ſaltem & ſic fallibile ingenii ſui dictamen ſequentibus, excogitatum; is ſicuti fide ſalvifica deſtituitur, ita ſalvari nequit. Talis autem tua fides. Pro objecto enim habet ſenſum concluſionum ſive dogmatum, quæ exſtant in Confeſſionibus Eccleſiæ tuæ Reformatæ, ut ipſe affirmas; ſive quod idem eſt, ſenſum illum Scripturarum, quem aliis verbis Confeſſiones iſtæ exprimunt. Senſum autem iſtum à Deo tibi promulgatum dicere nequis, quum ſcribas, à Confeſſione hac vel illa deturbari te poſſe, (quod de ſenſu intelligas oportet, quia, ſalvo eo, literam deſerendi cauſa

Digitized by Google

causa nulla fuerit.) Imo ipse scis, ab hominibus, hac in re naturale tantum & sic fallibile ingenii sui dictamen sequentibus, eum excogitatum unice sive indagatum, præsupposita saltem Scripturarum litera; quam tamen qui admittit, non profecto verum sensum compertum eoipso habet; cujus rei testis locuples est ipsa experientia. Nec minus scis, contra naturam Fidei esse, si sensum credendorum subjiciat examini suo intellectus humanus, antequam ipsis assentiatur. Simpliciter enim apprehendenda illa sunt, itidem ut sine discursu aut mentis agitatione apprehendimus prima principia naturalia. Alioquin fides ex auditu solo non amplius foret, sed industriæ quoque humanæ accepta ferri deberet. Ergo sicuti proinde fidem salvificam non habes, ita salvari etiam nequis. Per fidem, inquam, tuam salvari nequis. An vero ipsa te reum faciat æternæ damnationis, alia quæstio est. Quod si invincibiliter ignoras, non esse eam veram fidem, de suo quidem ipsa tibi nihil oberit, sed oberunt peccata alia, quæ condonari non poterunt, quamdiu degis illic ubi nulla peccatorum remissio. Alias ignorantiam vincibilem pœna dignam in se esse, non est, puto, quod moneam.

Postulatum tuum alterum erat: Quidnam judicio divino ad salutem creditu necessarium existimem, quod non credas tu cum Ecclesiis Reformatis. Respondi his verbis: Qui infallibiliter certus esse vult, adhærere se ipsissimo Dei verbo per omnia, illé si falli hac in re ipsemet potest,

Digitized by Google

ab ore alicujus pendeat necessum est, qui simul & infallibilis heic sit, &, quoties requiritur, explicando sese clarius, omne penitus dubium tollere valeat. Neque enim Confessiones illæ vestræ ad id sufficiunt; quum fallibiles sint. Imo neque Scripturæ ipsæ; quod in fide errantibus fluctuantibusque explicare se amplius, quam factum hactenus est, nequeant; explicatione autem luculentiore illas indigere, ipsimet fateamini: dum Confessiones vestras eis addendas censetis, & eodem fine quoque Synodos nonnunquam cogitis. Tu sine dubio infallibiliter certus esse vis, adhærere te ipsissimo Dei verbo per omnia: nempe quia salvari aliter haud datur. Ergo quum falli ea in re ipsemet possis, ab ore alicujus pendeas necessum est, qui & infallibilis heic sit, & explicare sese clarius, quoties poscitur, valeat. Ejusmodi autem os infallibile ignoras tu cum tua Ecclesia Reformata. Viden' ergo, quidnam te lateat eorum quæ ad salutem creditu cumprimis necessaria? Hactenus ego.

Tu iterum duo objicis. Primo, non satisfactum sic tuo quæsito; debuisse me ostendere, quidnam abs te ignoretur eorum, quæ Deus, Religionis ac dogmatum fidei præscriptor unicus, judicet ad salutem necessaria; id me autem non præstitisse; sine dubio quia non attenderim ad verba illa, *judicio divino*, in quibus emphasin posueris. Secundo, necessitatem judicis visibilis ratione quadam naturali frustra à me probatam esse, tum quia id non petieris, tum quia illa partim etiam falsitate aliqua laboret. Respon-

Digitized by Google

Respondeo ad prius. Fateor, postulatum tuum ita habuisse quemadmodum dicis, neque me directe respondisse. Cæterum non inde id factum, quod voces istas, *judicio divino*, haud attenderim, (bene enim eas & vidi & notavi mecum;) sed quia hactenus nondum inter nos convenit, unde judicium divinum petendum. Tu quidem, ni fallor, ad Scripturas à me remitti gestiisti. Verum Scripturas tibi esse, sive verbum Dei Scriptum, inficior ego. Saltem literam habes, quæ in se nequaquam verbum Dei est, quantumvis etiam divinitus dictata, ac proinde summopere honoranda sit, sed respectu sensus demum: hunc vero an tu infallibiliter exploratum habeas, aut habere etiam possis, tam controversum est quam quod maxime. Sensum itaque intellectui tuo naturali non arridentem rejiceres, & alium esse posse, fingeres pro arbitrio: nempe quia certa interpretationis regula destitueris; sine qua omnino quidvis in dubium vocari facilime potest. Atque ergo Tertulliani consilium heic sequi placuit *: *Non ad Scripturas provocandum est: nec in his constituendum certamen in quibus nulla aut incerta victoria est, aut parum certa. Nam etsi non ita evaderet conlatio Scripturarum, ut utramque partem parem sisteret, ordo rerum desiderabat illud prius proponi, quod nunc solum disputandum est: Quibus competat fides ipsa; cujus sint Scripturæ; à quo & per quos & quando & quibus sit tradita disciplina, qua fiunt Christiani. Ubi enim apparuerit esse veritatem disciplinæ & fidei*

* *Tertull. de Præscript. cap.* 19. *Vide quoque cap.* 15. & 37.

Digitized by Google

Christianæ, illic erit veritas Scripturarum & expositionum, & omnium traditionum Christianarum.

Iam ad posterius. Tametsi ratione naturali concluserim, necessarium tibi creditu esse judicem aliquem visibilem simul & infallibilem, non tamen id frustra erit, (puto,) si modo accurate eam rem tecum expendere velles. Et ergo sine dubio hoc jam facies; maxime quum etiam scribas, *non aversari te ejusmodi rationes.* Falsitatem vero, quam argumento meo subesse innuis, utinam silentio non præteriisses, sed aperte monstrasses. Mihi sane etiamnum nihil non in eo videtur verissimum. Infallibiliter enim certus esse vis, adhærere te ipsissimo verbo Dei salvifico per omnia. Atqui, quum homo sis, fieri facilime potest, uti fallaris habendo aliquid pro verbo Dei salvifico, quod tale non est; nisi, inquam, ab ore aliquo infallibili pendeas, quo mediante *judicium divinum* perspicue tibi innotuerit, ac viva voce explicari queat clarius, quotiescunque orta fuerit dubitatio. Neque enim Scripturarum litera, quantumvis ejus autoritas agnoscatur, illud præstat, ut videmus in tot hæreticorum Sectis; & causa hæc est, quia sicuti sola illa verbum Dei non est, ita solam eam sequentibus liberum semper est, eligere sensum, qui judicio proprio commendatus fuerit maxime. Neque vero infallibilem interpretem in Religione vestra habetis. Aut, si quem haberetis, Ecclesia vestra id foret. At sicuti Confessiones tuas fallibiles esse admittis, imo in negotio de Prædestinatione eas etiam aber-

Digitized by Google

aberraſſe affirmas, ita certe non plus autoritatis tribues Eccleſiæ iſti, earundem autrici ac propagatrici. Quum ergo neque Scripturarum litera infallibiliter te certum reddere valeat, neque etiam Eccleſia cujus te membrum profiteris; quis non vel manibus palpet, ſi fide ſalvifica imbui velis, *judicium divinum* requirendum tibi alibi è *judice* quopiam viſibili, vices Dei (utpote immediate vobis *judicium* ſuum non edifferentis) infallibiliter obeunte? In hanc ſententiam Tertullianus †: *Expetit ſenſus certum interpretationis gubernaculum. Nulla enim vox divina ita diſſoluta eſt & diffuſa, ut verba tantum defendantur, & ratio verborum non conſtituatur.* Et S. Auguſtinus *: *Si providentia Dei non præſidet rebus humanis, nihil eſt de Religione ſatagendum; ſin vero* præſidet, *non eſt deſperandum, ab eodem ipſo Deo autoritatem aliquam conſtitutam, qua velut gradu certo innitentes, attollamur in Deum.* Mirabor, ſi non evidens potius demonſtratio hæc tibi videbitur, quam falſitatis operculum aliquod ſophiſticum.

Epiſtolam, ad quam reſpondi hactenus, ita claudis: *Quamdiu certus ſum, nullum me dogma amplecti, ob quod ſalvari nequeam, vel nullum me dogma ignorare, quod Deus, Religionis præſcriptor & exactor, exigit à me tanquam creditu ad ſalutem neceſſarium, cauſam non video, ob quam à recto ſalutis tramite aberrare judicari debeam.* Claudam ergo & ipſe uno verbo. Ais quidem, de tua ſententia te certum eſſe: at quamdiu nobis certitudinis iſtius ratio-

† *Tertull. ibid. cap. 9.* * *S. Auguſtin. de utilit. credendi cap. 16.*

Digitized by Google

rationem aliquam, viro prudente dignam, assignare non potes, sicuti hactenus profecto non potes, ignoscas mihi (spero) si non magis tibi, id asserenti, fidem habeam, quam eodem sermone utenti Photiniano cupiam aut Anabaptistæ. Imo ipse negasti, te certum esse; nempe quum diceres: *A Confessione hac vel illa deturbari possem.* Subjungis mox quidem: *à Scriptura autem nunquam:* verum licet Scripturam haberes, (quod & ipsum tibi ante negavi,) tamen ab ea quoque dimoveri te posse, è verbis tuis evincitur. Si enim à sensu dogmatum fidei, quæ in Confessionibus subnotata sunt, deturbari potes, à sensu Scripturæ hactenus credito, (utpote qui secundum te idem est cum sensu Confessionum,) & sic à Scriptura sive verbo Dei scripto deturbari itidem poteris. In summa, certitudo ista tua non major est quam fidei mere humanæ. Imo, ut Kellisonus * in Examine Reformationis Calvinianæ quidem ait, fides vestra longe adhuc ignobilior ac miserior est quavis etiam infima fide humana, aut opinione abjectissima. Duriusculum hoc, fateor, sed tamen, quoad rem ipsam, non forsan totum dè nihilo.

Tu mi amice æternum diligende, salve plurimum, &, si me contra amas, omnia in meliorem partem accipe. Quod si vero dimitti prorsus nequeo, nisi designato Religionis tuæ capite uno atque altero, ob quod salvari te non posse arbitrer, age ostende mihi, verbum Dei esse, *in Eucharistia Christum non nisi spiritualiter manducari ac bibi*,

* *Matthæus Kellisonus part. 1. exam. 2. cap. 4. (edit. Duac. anni 1616.)*

Digitized by Google

bibi, item, *quicunque manducet illic sub specie panis, eum quoque præcepto Christi obligatum esse ad bibendum sub specie vini.* Sic enim argumentor. Qui opiniones mere humanas pro verbo Dei in sua Religione habet, is per eam salvari nequit. Tu tales opiniones pro verbo Dei habes; nempe è multis istas quas jam dixi: neque enim hæ quidquam nisi opiniones mere humanæ sunt. Ergo salvari per tuam Religionem nequis. Iterum salve ac vale, Deoque ipso adeo adjuvante, (sic equidem precor,) heic & æternum feliciter age. Coloniæ, 22 Iunii, 1624.

10.

BARTOLDO NIHUSIO S. P.

Clarissime Vir, Si visum tibi fuisset ad propositas à me quæstiones jam inde ab initio directe respondere, breviore gyro stetisset disputatio nostra, nec tanto verborum apparatu opus fuisset, vel in ipso limine. Nunc quia à proposito deflectis, & vagis magis ictibus pugnas, quàm cæsim ac punctim, cogeris latius sermonem diffundere. Et quia male præis, cogor male sequi, nisi à diverticulo, in quod digressus es in viam te revocari patiaris.

Certamen hoc ingressus es, me non lacessente, (uti scribis) sed amice invitante. Imo dixerim fere me à te lacessitum esse. Lectis enim compluribus tuis litteris ad amplissimum D. Overbeecquium datis, in quibus de Iudice Controversiarum disseris, observavi in iis manifesta signa eruditionis

Digitized by Google

tionis tuæ, & singularis in disputando accurationis, etiam animi flagrantis studio conferendi de capitibus Religionis Christianæ, quibus me fateor lacessitum esse, ut in hanc tecum amicæ & modestæ collationis arenam, cum bono Deo, descenderem. Verum quicquid hujus rei sit, sive primus tu, sive lacessiverim ego (modo huic voci διαβλήτῳ [*quam facile calumniari quis posset*] absit invidia) gratulor mihi hoc nomine, quod comitatis & amoris hoc voces certamen, in quo si humanitatis ac benevolentiæ tibi officiis cessero, indignus habear, qui vel lacessiverim primus, vel lacessitus curas tuas studiaque meis postulatis interpellaverim.

Illud non parum miror, quod directam ad postulata mea responsionem etiamnum detrectes.

Primum erat, ut indicares in Confessionibus Reformatorum articulum aut articulos, quorum merito damnari queam. Non indicasti in priore tua, non indicasti in hac altera tua responsione. Causam detrectatæ responsionis non video, cum tam liberalis hac in parte sit Synodus Tridentina, & tam faciles scriptores Pontificii, dum fidem Reformatorum hæreticam, impiam, blasphemam vocant. Cur autem rigidius hoc à te exigam, causa hæc est, quod propositum mihi sit tecum, non de hujus aut illius articuli veritate disputare, factum hoc à Doctoribus nostris & vestris abunde, sed de articulorum credendorum necessitate & momentis. Etenim, mi Nihusi, cum

Digitized by Google

cum ab Ecclesia vestra secessionem facere coactæ sint Ecclesiæ Reformatæ, & secessionem justam fecerint, cum à vobis salutis æternæ spes fidei nostræ hominibus præcidatur, de vestra quoque salute desperent Reformati, aliique in aliorum condemnationem proniores simus, utilissimam semper judicavi illam controversiam, quæ discrepantium opinionum necessitatem propius expenderet. Si enim de capitibus ad salutem absolute creditu necessariis sit dissensio, scio Ecclesiæ unitatem servari non posse; si vero de dogmatibus ad salutem non necessariis, servandam esse & servandam fuisse arbitror. Hic susceptæ tecum disputationis scopus est. Hunc ergo in finem quæsivi scire, Quis fidei meæ articulus, aut qui articuli sint, qui me damnationis æternæ reum faciant, aut quod idem mihi est, à salute æterna excludant. Ad quam quæstionem ut directe respondeas jam tertium peto. Si non libeat, non urgebo amplius, si commode non possis, gratulabor Reformatis in quorum Confessionibus nihil tale reperiri possit.

Nunc quid præter rem respondeas porro examinandum.

Argumentaris in hunc sensum: fidem meam niti Confessionibus, quæ sunt fallibile verbum hominum, ideoque me salvari non posse tali fide. Respondi primum, & respondeo etiamnum te non indicare articulum in Confessionibus Reformatorum, cujus merito salvari nequeam, ideoque directam te responsionem detrectare. Instas, putare

Digitized by Google

putare te plusquam satisfactum iri petitioni meæ, si censura unica omnes illos articulos absolveres, & una fidelia plures dealbares parietes. At ego, ut liberalior sis, quam debebas, non peto. Satisfactum mihi putabo si articulum istiusmodi mihi indices, & syllogismo assertionem tuam munias. Et profecto, si unica censura omnes notare tibi facile est, illam uni aut alteri articulo applicare difficile non erit. Vis à me probari Confessionis nostræ articulos esse verbum Dei infallibile. At hoc est disputantium partes ordinemque invertere. Tu probationis partes, quæ tibi incumbunt, in me transferri vis. Præivi ego, & petii indicari articulum in religione mea, ob quem salvari nequeam. Tuarum ergo partium est istiusmodi articulum designare, & ratione aliqua affirmationem tuam adstruere. Et cur vis à me probari articulos Confessionis esse verbum infallibile? non dixi ego esse infallibile verbum Dei, non dixi esse fidei meæ fundamentum cui illa nitatur. Imo, inquis, ostendere non poteris sufficienter verbum Dei penes te esse articulos illos cæteros, de quibus nulla inter nos controversia. At probare nondum meum est, ad te hoc pertinet. Tuum est indicare articulum, ob quem salvari non possum. Hoc agis, ut à propositis quæstionibus me abducas, & de tuis placitis porro instituatur disputatio, nempe de visibili & infallibili Controversiarum judice, ejusque quæstionis annexis. Fateor controversiam hanc non esse de nihilo, sed eam ut nunc ingre-

Digitized by Google

ingrediar multæ rationes prohibent. Prohibet illa, quod ad quæstiones meas non faciat, prohibet altera, quod ad eam immediata consequentia nondum deductum me videam, prohibet tertia, quod inter Doctores Pontificios & nostros nullæ magis exagitatæ sint quæstiones, quam hæ: unde cognosci possit Scripturam esse verbum Dei; an ad controversiarum decisionem opus sit visibili & infallibili judice, an per Scripturam illæ decidi non possint, an non ab intellectu humano secundum Scripturas judicante, an à Magistratu supremo, an à Conciliis, an à Pontifice Romano, & quæ sunt aliæ his affines.

Verum cum diffiteri non possis multa mihi tecum communia esse fidei dogmata, operæprecium nos facturos arbitror, si de controversis aliquot dogmatibus speciatim inquiratur, num ea tanti sint momenti, ut à salutis æternæ spe vel te vel me excludere credi debeant, quicquid tandem sit de eorum veritate aut falsitate. Neque enim dixeris omne verum præcise ad salutem creditu esse necessarium, aut omne falsum & errores quosvis ἀπιστίας [*infidelitatis*] mortiferæ nomen mereri.

Alterum responsionis meæ ad propositum Syllogismum membrum hoc fuit: negari à me minorem illam: fidem meam niti Confessionibus, quod à me scriptum affirmavisti. Quid tu? perstas in incœpto, & affirmavisse me hoc ipsum vis istis verbis: fidem meam Ecclesiæ Re-

Digitized by Google

formatæ Confessionibus circumscribo. Si dixi, quod mihi humana hallucinatione affingis, aut dixi disertis verbis, aut æquipollentibus. Prius non dixeris. Verba clamant. Posterius nego, neque enim ἰσοδυναμοῦντα [*æquipollentia*] sunt: fidem niti Confessionibus, & fidem Confessionibus circumscribi vel explicari. Ratio est, quia fides niti non potest nisi authoritate Dei infallibili, at fides recte explicari ac circumscribi potest scripto quodam, quod sit authoritatis fallibilis. Prior vox fundamentum dicit, posterior minime, sed exegesin solum. Illustrabo rem exemplo: datur autographum testamenti alicujus: datur ejusdem testamenti exegesis aliqua aut interpretatio, eaque consona autographo. Dico jam hæredem, qui testamentum adit, niti authoritate sola autographi, non ista exegesi, recte tamen dici sensum & mentem testamenti ista exegesi circumscribi & explicari. Cape exemplum in rebus fidei: fides tua vel te fatente nititur Scripturæ sensibus, aut etiam sensibus non scriptis à Pontifice Romano approbatis. At non negabis eosdem sensus hic illic variis vestrorum Doctorum scriptis qua publicis, qua privatis explicari, aliisque verbis circumscribi & proponi, quibus tamen, si nondum accesserit Pontificis approbatio, fidem tuam niti non dixeris. Horum siquidem authoritas fallibilis tibi est, illius infallibilis.

Quin ipse discrimen hic insigne intercedere observasse mihi videris, dum pro voce *Nitendi*, quæ

Digitized by Google

quæ fundamentum innuit, vocem *objecti* substituisti, ut majori probabilitate ac specie hanc voci *Circumscribendi* synonymam faceres. Sed ne sic quidem efficies, quod intendis. Neque enim ignoras diversissimæ significationis esse vocabula, *fundamenti* & objecti, cum nec omne fundamentum objectum sit, nec omne objectum fundamenti nomen mereatur. Hæc synonyma facere est novam Grammaticam cudere.

Addis & aliud emplastrum, quo dicti tui ἀκυρολογίαν [*improprietatem*] lenire studes: nempe per fidem te intelligere habitum fidei meæ, non autem fidei dogmata, ideoque me per errorem scribis aliter, quam sentias, interpretatum esse tua verba. At ego in Syllogismo illo tuo quo dicis fidem meam niti Confessionibus, non gravabor tecum per fidem intelligere fidei habitum, eoque majori fiducia negavi à me scriptum esse habitum fidei niti Confessionibus. Imo dixi, & repeto, eam niti solis scripturis earumque sensibus. Verum tu per errorem manifestum, non meum, sed tuum, in isto tuo syllogismo aliter accepisti fidem ac religionem, quam accepi ego in iis, quas primum ad te dedi litteris. Intellexi enim ego per fidem fidei dogmata, tu habitum. Ergo mea verba male interpretatus es, & quidem culpa tua. Multis enim indiciis iisque manifestis deprehendisse poteras me per fidem metonymice intelligere fidei dogmata. Primo enim scripsi fidem meam circumscribi Confessionibus. An habitus fidei, qualitas ani-

Digitized by Google

mo inhærens, occulta & abſcondita Confeſſionibus circumſcribitur, aut circumſcribi poteſt? deinde ſcripſi fidem meam iis circumſcribi exceptis controverſiis iſtis de Prædeſtinatione ejusque annexis. An controverſias iſtas de Prædeſtinatione ex habitu fidei meæ tibi incognito excipere te volui, an ex cenſu & numero dogmatum controverſorum? poſterius liquet. De iis enim determinant Confeſſiones. Denique ſcripſiſſe me hoc vides, ut diſputandi tibi argumentum ſufficerem. At fidei meæ habitum non oppugnabis opinor, nec oppugnare diſputando poteris, ſed fidei meæ dogmata, eaque vel meis vel Confeſſionis alicujus receptæ verbis enunciata. Verum quicquid ſit, nec fides mea pro habitu ſumta; nec fides mea pro dogmatibus ſumta nititur Confeſſionibus, & vel hoc vel illo ſenſu aut diſertis aut æquipollentibus verbis me illud ipſum ſcripſiſſe evinces nunquam.

Quod cum animadverteres & vocem illam *nitendi* mihi (per errorem opinor) confidentius adſcriptam forte obſervares, longeque aliud ſignificare, quam vocem circumſcribendi, illam prudenter & caute miſſam facis, & expuncta voce nitendi, vocem objecti ſyllogiſmo tuo jam ingeris, quem ſic loquentem facis: Cujus fides pro objecto habet ſenſum concluſionum, ſive dogmatum non à Deo ſibi promulgatum, ſed ab hominibus hac in re naturale ſaltem & ſic fallibile ingenii ſui dictamen ſequentibus excogitatum,

Digitized by Google

tum, is ſicuti fide ſalvifica deſtituitur, ita ſalvari nequit. Talis autem tua fides. Pro objecto enim habet ſenſum concluſionum ſive dogmatum quæ exſtant in Confeſſionibus Eccleſiæ tuæ Reformatæ, uti ipſe affirmas. Ergo. Sed & hic fruſtra laboras, & in eundem lapidem impingis. Nego minorem; nempe fidei meæ objectum eſſe ſenſus concluſionum ſive dogmatum, quæ exſtant in Confeſſionibus. Dicis me hoc affirmare. Nego. Vbi? quibus verbis? an illis? fides mea circumſcribitur Confeſſionibus? at jam oſtendi me in iſtis verbis per fidem intelligere dogmata fidei. Tu per fidem dicis te intelligere habitum fidei. Sed fac & me per fidem habitum intelligere (parum enim hoc ad præſentem rem licet ineptiſſimum foret dicere, habitum circumſcribi Confeſſionibus, & dogmatum fidei objectum eſſe ſenſus dogmatum in Confeſſionibus,) nego hæc æquipollere, fides mea circumſcribitur Confeſſionibus, & fidei meæ objectum ſunt Confeſſiones. Ratio in promptu eſt. Quia ut aliquid ſit fidei ſalvificæ objectum duæ eſſentiales conditiones requiruntur: Prior eſt, ut verum ſit id, quod credis. Poſterior eſt, ut infallibiliter ſit verum. Vt autem dogma aliquod creditum circumſcribatur & explicetur Confeſſione aliqua, ſatis eſt, ut verum habeatur ab iis, qui in illam Confeſſionem pariter conſentiunt. Veritas & infallibilitas eſt in ſenſibus enunciatis Scripturæ & Dei verbis, & ſic fidei meæ objectum ſunt infallibile. In dogmatibus

Digitized by Google

contentis explicatisque Confessionibus scriptisque humanis veritas esse potest, infallibilitas nulla. Dico ergo iterum fidei meæ dogmata & sensus enunciari in scripturis à Deo; Dico eadem enunciari in Confessionibus ab homine. Prout scripturis continentur & à Deo enunciantur fidei meæ objectum sunt. Prout in Confessionibus ab homine enunciantur & explicantur fidei meæ objectum non sunt. Carent enim infallibilitate. Nihil est fidei salvificæ objectum, nisi quod creditur ut infallibile. At urges & dicis, eundem esse nobis sensum Scripturarum & Confessionum, & per consequens si ille est objectum fidei, ergo etiam hic. Nego consequentiam. Quia objectum fidei sunt sensus crediti cum infallibilitate, at cum infallibilitate credi non possunt enunciati hominum verbis, sed solius Dei. Idem verum si Deus dicat & homo dicat, non tamen ejusdem est authoritatis. Dicat Deus duo & tria esse quinque. Dic tu duas & tres unitates esse quinque. Vterque fidem animo meo ingenerare poterit. Vterque verum dicit. Sed quia Deus illum sensum enuncians fallere & falli non potest, credo hoc infallibiliter; quia tu eundem sensum enuncians fallere & falli potes, utpote ψιλὸς ἄνθρωπος, [*nudus homo*,] credam, sed (si authoritatis solum ratio habeatur) fallibiliter & cum dubitatione. Dico ergo sensus esse posse eosdem quoad veritatem, nunquam quoad authoritatem. Quæro ex te, doctissime Nihusi, an non statuas fidei tuæ objectum illud Apostoli Petri;

Digitized by Google

Petri; *Tu es Christus filius Dei viventis.* Non negabis. Quæro iterum, an non idem & quidem totidem verbis dixerit Diabolus? an non idem aliis etiam verbis idem enunciare valeat? nec hoc negabis. Visne ergo objectum fidei esse verbum illud prout profectum à Diabolo patre mendaciorum, cum idem ille quoad verba & sensum dicat, quod Apostolus. Sic ergo Syllogismum tuum retorqueo: cujus fides pro objecto habet sensum dogmatis Diaboli confessione promulgatum, is sicuti fallibile habet objectum, ita fide salvifica destituitur & salvari nequit. Talis autem tua fides. Pro objecto enim habet sensum dogmatis Confessione Diaboli enunciatum. Ergo. Major in tua majori continetur. Minor ex tuis dictis probatur, quia eundem sensum enunciat Diabolus, quem enunciat D. Petrus, vis autem ideo fidei meæ objectum esse Confessionum sensus, quia eosdem sensus, quos Scriptura, enunciant.

Quid *si* idem generis humani hostis libellum conscribat de fidei Christianæ dogmatibus consonum sensibus Concilii Tridentini, eumque edat in lucem non expectata Romani Pontificis approbatione, dicesne objectum fidei tuæ esse sensus illos fallibili authoritate Sathanæ enunciatos? si negas, negabo & ego pari jure objectum fidei esse sensus in Confessionibus enunciatos, quamvis iidem sint cum Scripturæ sensibus. Si concedas, dicam objectum fidei tuæ esse fallibile, utpote à Diabolo enunciatum. Si dicas

Digitized by Google

cas ſenſus illos à Deo profectos eſſe objectum fidei infallibile, à Diabolo vero prolatos eſſe objectum fidei tuæ fallibile, regeram fidem tuam fallibile habere objectum & infallibile. Si dicas hoc non eſſe abſurdum, jam ipſe ſolvis ſyllogismum tuum ſuperiorem, quo probare vis fidei meæ objectum eſſe fallibile, & per conſequens eam non eſſe ſalvificam. Si dicas ſenſus illos à Diabolo non eſſe profectos primo aut tantum, ſed etiam à Deo, dicam & ego ſenſus Confeſſionum primo à Deo in Scripturis eſſe enunciatos. Loquor de ſenſibus veris.

Ex quibus omnibus colligo, perperam te inferre ex meis verbis objectum fidei meæ eſſe ſenſus enunciatos Confeſſionum verbis, uti antea perperam ex iiſdem exſculpere ſtuduiſti hunc ſenſum, fidem meam iis niti.

Quare neceſſum erit denuo ad incudem revocari tuum ſyllogiſmum, ut evidenter probes à me ſcriptum eſſe fidem meam niti Confeſſionibus, quod affirmaſti nuper, vel fidei meæ objectum eſſe ſenſus in Confeſſionibus enunciatos, quod affirmas nunc. Malim tamen ut omiſſis ambagibus articulum indices, ob quem ſalvari nequeam.

Subjungis, aliam eſſe quæſtionem, an per fidem ſalvari nequeam, aliam vero, an fides reum me faciat æternæ damnationis. Credo apud vos diverſa hæc eſſe, qui ſtatum purgatorii medium ponitis inter ſtatum beatorum & damnatorum in æternum. Sed fruſtra hæc apud me. Per quam

Digitized by Google

quam enim fidem, (intelligo fidem totam, non hujus vel illius articuli solummodo) salvari non possum, per eandem damnabor. Non salvari hominem & damnari æternum in Scripturis idem sunt. Si tamen loquaris de fide hujus vel illius articuli solummodo, fateor per fidem alicujus articuli me posse non salvari, nec tamen per fidem ejusdem articuli damnari. Ratio est, quia aliquis articulus erroneus credi potest, per quem non salvabor, nemo enim errore salvatur, aut error neminem salvat. Nec tamen per illum articulum damnabor, aut à salute excludar, quia non omnis error reum damnationis facit. Sed salvabor per alios articulos veros & necessarios ad salutem.

Quæ de ignorantia invincibili & vincibili addis, nempe illam per se non obesse saluti, hanc obesse, nulla necessitate adscribuntur. Aut nulla in me est ignorantia veræ fidei, aut si qua est, vincibilis sit oportet. Quid enim in me invincibilem facere possit ignorantiam non video.

Illam tamen laciniam, quam his tuis dictis intexis, præcidi cupio, *nullam* scilicet *esse remissionem peccatorum, ubi dego.* Profecto & hîc locorum fidelis & contritus animus eam à Deo exposcere potest, cur non impetrare?

Alterum meum postulatum erat, ut articulum indicares judicio divino ad salutem creditu necessarium, quem non credam ego. Ad hoc non respondisti directe in prima tua, nec etiam in altera hac tua responsione.

Digitized by Google

Syllogiſmum propoſuiſti, in hunc fere ſenſum; ignorare me judicem viſibilem & infallibilem, ſine quo certus eſſe non poſſum de verbo Dei ejusque vero ſenſu, quæ tamen certitudo cum ſit neceſſaria ad ſalutem, infers aliquod dogma neceſſarium ad ſalutem me latere.

Reſpondi & reſpondeo denuo, non reſponderi ad quæſitum. Indicandus fuerat articulus judicio divino neceſſarius ad ſalutem. Si enim Deus religionem tibi mihique præſcripſit, quod conceſſiſti, tu indica articulum aliquem, quem Deus exigat tanquam creditu neceſſarium ad ſalutem, quem credas tu, ego non. Quid hic tergiverſaris? da veniam verbo. Aut eam commode dare non potes, aut non libet. Si commode non poſſis, gratulabor fidei meæ, quæ omnia credat ad ſalutem judicio divino creditu neceſſaria; ſi non libet, acquieſcam. Fateris ipſe à te directe reſponſum non eſſe. At ſcis in diſputationibus, præcipue quæ nullius manifeſto incommodo & damno ſuſcipiuntur, directe reſpondendum eſſe, nec incedendum per ambages. Scripſeram te non attendiſſe ad illa verba, *judicio divino*. Regeris, te bene illa vidiſſe & notaſſe tecum, ſed illis verbis te non aptaſſe reſponſionem, quia inter nos non convenit, unde judicium divinum petendum ſit.

Ergo diſputationem juſtam de terminis poſtulati mei ſubterfugere vis, quia non convenit inter nos de iis, quæ neceſſaria ſequela ſecum trahet ipſa diſputatio. Plura ſunt quæ præſentem

Digitized by Google

tem disputationem exceperunt & porro excipient ἀμφισβητήσιμα. [*quæ in controversiam veniunt.*] Ab omni ergo disputatione abstinendum foret. Adhæc ignoras quid tibi hac in parte sim largiturus, quid non. Tu ad quæstionem si placet responde, & judicium divinum interpretare ex tuo sensu. Ego postea videro, an pro Deo substitueris hominem, pro judicio divino humanum, an veram Dei vocem judiciumque allegaveris.

Si necessitas cogat hac de re disputare, fiat, non subducam me, modo immediata consequentia eo perducar.

Scripseram præterea argumentationem tuam falsitate laborare. Respondeo in præsens, eam non una falsitate laborare. Non indicavi, fateor, quia alienum erat à quæstione mea. Quid jam tu? Repetis syllogismum tuum, etiam cum amplificatione & allegatione locorum Tertulliani & Augustini. Non ignoras quæ à Reformatis ad istam tuam argumentationem responderi soleant. Opponunt illi Augustino Augustinum, qui lib. 2. Christ. doctrinæ sic ait: Magnifice & salubriter Spiritus Sanctus ita Scripturas modificavit, ut locis apertioribus fami occurreret, obscurioribus autem fastidia detergeret: nihil enim fere de illis obscuritatibus eruit, quod non planissime alibi dictum reperiatur. Tertulliano opponerent Chrysostomum, qui homil. 3. de Lazaro ait: Apostoli vero & Prophetæ omnia contra fecerunt (loquitur de obscuri-

Digitized by Google

ſcuritate Philoſophorum) manifeſta claraque quæ prodiderunt, expoſuerunt nobis, veluti communes orbis Doctores, ut per ſe quisque diſcere poſſit ea quæ dicuntur, è ſola lectione. Ego ſtudio ab iſtis abſtineo, ne à meis poſtulatis recedam. Non averſor argumentationem illam à naturali ratione & diſcurſu petitam, fateor quoque eam non eſſe fruſtra, & attentionem ac ſeriam reſponſionem mereri. Sed non patitur diſputationis rectæ methodus, ut relictis meis theſibus ad tuas deſcendam, nulla immediata conſequentia ad eas pertractus. Dabitur forte alias occaſio ſuper hac re diſputandi, nec difficilem me præbebo. Forte & hæc ipſa diſputatio conſequentiarum nexu aliquo eo nos perducet. Sed cum nexum illum nondum videam, pedem figo in meis poſtulatis.

Optas falſitatem argumentationis tuæ * à me indicari. Scio te optare, nempe ut egreſſus è meo circo, quem præfixi, in tuum transeam. Illud obiter in transcurſu noto, quod ſcribas, *Scripturarum litteram non eſſe ſolum verbum Dei.* Si litteram opponis ſenſui, quomodo litteram ſine ſenſu verbum Dei vocas? ſi eam opponis verbo non ſcripto, velim memineris horum verborum quæ ad Dominum Overbeecquium perſcripſiſti: Scripturæ ſunt unica fidei Catholicæ norma. Si unica, ergo verbum Dei non ſcriptum non eſt

* *Verba tuæ hæc ſunt: Intelligis autem inde, puto, etiamſi Scriptura ſint norma religionis Catholica unica, ſi tamen fide non humana ſed divina, adeoque Catholica, imbutus eſſe deſiderat, Interprete infallibili te niti oportere, &c. Scripta ſunt litera Colonia 29 Ianuar. 1624.*

Digitized by Google

est norma fidei, quo tamen multa contineri dicunt Catholici creditu necessaria, de quibus altum in Scripturis silentium. Si non est norma fidei, non est verbum Dei. Ergo sola Scriptura verbum Dei. At jam dicis Scripturæ literam non esse solum Dei verbum.

Epistolæ meæ colophon erat: Quamdiu certus sum me nullum dogma amplecti, ob quod salvari nequeam, vel nullum me dogma ignorare, quod Deus religionis præscriptor & exactor exigit à me tanquam creditu ad salutem necessarium, causam non video, ob quam à recto salutis tramite aberrare judicari debeam. Ad hæc reponis, non magis mihi fidem habendam esse isto sermone utenti, quam Photiniano aut Anabaptistæ idem dicenti, nisi certitudinis istius rationem assignem viro prudente dignam.

At sic habe, Vir clarissime, certitudinis meæ rationem, quæ tibi jam sufficere debet, esse hanc, quod rogatus toties ut mihi articulum, vel mortiferum, quem credam, vel salutiferum, quem non credam, indicare digneris; indicare toties detrectes. Si cum Photiniano & Anabaptista tibi negocium esset, & ad eadem postulata responsionem detrectares, merito & illi dixerint, nullam se videre causam cur à salutis recto tramite aberrare à te judicari debeant; quare pari mecum apud te certitudine salutis gloriari poterunt. Sed non sola est hæc certitudinis meæ ratio, sed secundaria. Primaria, & qua totus nitor, est verbum Dei scriptum idque infallibile.

Digitized by Google

bile. Si dicas me ignorare quid sit verbum Dei, multum dicis, sed præter rem foret hac de re jam disputare.

Dicis me certum non esse, quia scripsi; ab hac vel illa Confessione me deturbari posse. Nego consequentiam. Quia certitudo fidei nititur scripturæ, non Confessioni, quæ etiamsi eosdem sensus explicet, quos enunciat scriptura, tamen certus sum de illis ut in scriptura enunciatis, non autem ut in Confessionibus hominum verbis explicantur. Semper enim illud Prophetæ verum: omnis homo mendax. Deturbari possum ab hac vel illa Confessione, partim quia fallibiliter loquitur, partim quia male scripturam interpretari potest. Major tuæ illationis hæc est: qui à Confessione hac vel illa deturbari potest, non est certus de fide aut salute. At jam subsumam. Tu à Concilii Tridentini Confessione deturbari potes; neque enim negabis tibi accidere posse, quod tot Pontificiis accidit, qui amplexi fidem Pontificiam ad Reformatos transierunt. Ergo tu jam non es certus de fide & salute tua.

Dixi me à Scriptura nunquam posse deturbari. Tu ab hac ipsa me dimoveri posse sic concludis: si à sensu dogmatum fidei, quæ in Confessionibus subnotata sunt, deturbari potes, à sensu Scripturæ hactenus credito (utpote qui secundum te idem est cum sensu Confessionum) & sic à Scriptura sive verbo Dei deturbari poteris. Sed verum prius; Ergo. Nego connexum, ea parte

Digitized by Google

parte qua infert, *& sic à Scriptura sive verbo Dei deturbari poteris.* Priorem partem concedo, dimoveri me posse à sensu Scripturæ hactenus credito. Sed illud proba: illum qui à mala Scripturæ interpretatione & sensu hactenus male credito deturbatur, eum ab ipsa Scriptura deturbari. Hoc nego, nisi quis usque adeo à Scripturæ sensu credito deturbetur, ut Gentilis fiat. Illud apud Christianos extra controversiam est, Scripturæ sensibus esse adhærendum, ergo à quocunque sensu se depelli patiatur, semper fatebitur, quoad Christianismum profiteri vult, se Veteris & Novi Testamenti Scripturis adhærere. Ab his recedere non potest, quoad Christum profitetur.

Nonne ipse tu Nihusi deturbatus es à sensu Scripturæ hactenus credito in Confessione Augustana? Non dixeris tamen te deturbatum jam esse à Scriptura & vero ejus sensu, quin potius dices te jam propius ad Scripturam accessisse, & verum ejus sensum ex Pontifice Romano didicisse. Quid? an non ab hoc ipso sensu Pontificis calculo approbato porro dimoveri potes? Si dicas te posse, nec tum dices opinor te Scripturæ in totum valedixisse, si ad Christianorum aliquam Ecclesiam te deflectere contingat. Si dicas te jam non posse deficere, cum autoritas Pontificis tibi sit infallibilis, quæro cur tibi evenire non possit, quod Marco de Dominis Archiepiscopo Spalatensi? Deturbatus hic est à sensu hactenus credito in Pontificia Ecclesia, & amplexus

Digitized by Google

plexus est sensum creditum in Ecclesia Reformata. Deturbatus est iterum à sensu Scripturæ hactenus credito in Ecclesia Reformata, & amplexus est sensum pristinum. Nec tamen unquam dixit, aut dixerit etiam nunc se à Scriptura aut verbo Dei scripto deturbatum esse. Vbicunque stetit, Scripturam pro se stare professus est. Quin etiam ab illo sensu, Pontificem esse infallibilis autoritatis unica fidei tuæ basi dimoveri, per Dei gratiam, potes, sicuti ab illo dimotus fuit jam dictus Archiepiscopus, & dimoti sunt alii complures, etiam nunquam ad Ecclesiam Romanam reversi.

Tandem post exantlatum hunc laborem, ita te componere incipis, ac si ad postulatum meum primum directe esses responsurus. Si dimitti, „ inquis, nequeo, nisi designato religionis tuæ „ capite uno atque altero, ob quod salvari te „ non posse arbitrer, age ostende mihi verbum „ Dei esse: In Eucharistia Christum non nisi spi- „ ritualiter manducari ac bibi; item: Quicunque manducet illic sub specie panis, eum quoque præcepto Christi obligatum esse ad bibendum sub specie vini. At non quæsivi ego, ut ostenderes articulos in Confessionibus Reformatorum, qui tuo judicio verbum Dei non sunt, sed qui crediti à salute excludant. Cur ergo vis me probare hos articulos esse verbum Dei? Tibi adhuc incumbunt partes probandi, non mihi. Dixisse debebas rotunde, te illi articuli jam designati à salute excludunt. Videbaris hoc dicturus esse, cum

Digitized by Google

cum ais: Si dimitti nequeo, nisi designato religionis tuæ capite uno atque altero, ob quod salvari te non posse arbitrer, sed subjungis immediate: Age ostende mihi verbum Dei esse articulos, quos designas. Nihil determinas ejus quod promittere videris. Quare aut vis per illos articulos stare, quo minus salvari queam, aut aliud vis. Si aliud, non respondes ad quæstionem. Si prius, jam fateor directe ad postulatum primum responderis, sed probandum jam tibi erit, illum, qui istos articulos credit, non posse salvari. Cedo rationem tuæ assertionis, vel ostende, ubi dicat Deus, illum non posse salvari, qui credit: in Eucharistia Christum non alio modo quam spiritualiter manducari ac bibi: item, quicunque manducet illic sub specie panis eum præcepto Christi obligatum esse ad bibendum sub specie vini. Subjungis Syllogismum, ut per consequentiam videaris respondisse ad postulatum. Is sic habet: qui opiniones mere humanas pro verbo Dei in sua religione habet, is per eam salvari nequit. Tu tales opiniones pro verbo Dei habes, nempe è multis istas, quam jam dixi: neque enim hæ quidquam nisi opiniones mere humanæ sunt. Ergo salvari per tuam religionem nequis. Respondeo tria. Primum, rursus te de religione mea in genere concludere, concludendum erat, ergo articulos habes in Confessionibus quorum merito damnatorum numero adscriberis, aut à salute excluderis. Tibi probandum est, articulos citatos à te excludere à salute,

Digitized by Google

hoc ergo concludendum fuerat isto Syllogismo.

Alterum est, majorem à me negari. Qui enim opiniones mere humanas pro verbo Dei habet in sua religione, is quidem per illas opiniones mere humanas salvari non potest, sed non sequitur propterea, illum non posse salvari per religionem in qua sunt istiusmodi opiniones. Ratio est, quia potest religio aliqua credere ea omnia, quæ Deus exigit tanquam creditu ad salutem necessaria, & sic salvifica esse, & juxta tamen erroribus aliquot imbuta esse. Rationes dabo, si exigas. Tu proba omnem illum, qui (per errorem) opiniones aliquot humanas in sua religione pro verbo Dei habet, salvari non posse religione in qua sunt isti errores. Ego argumentationem tuam sic retorqueo: qui opiniones mere humanas pro verbo Dei in sua religione habet, is per eam salvari nequit. At Pontificii Doctores quam plurimi judicio aliorum Doctorum Pontificiorum opiniones mere humanas pro verbo Dei in sua religione habent. Ergo per suam religionem, hoc est Pontificiam & tuam salvari nequeunt, & salvari nequis. Major tua est, Minorem probabo abunde, si eam negaveris. Tertium quod respondeo hoc est, minorem quoque à me negari posse, nempe articulos istos esse opiniones mere humanas, ideoque me opiniones mere humanas pro verbo Dei habere. Sed quia de veritate articulorum istorum disputandum non est, sed de necessitate ad salutem, hoc labore supersedebo. Atque hæc quidem ad tuas, doctissime Nihusi.

Digitized by Google

Nihusi. Longius diffluxit oratio mea, quia præivisti prolixior. Peccamus jam prolixitate uterque, sed culpa tua. Dum enim à postulatis meis declinans aliò divertis, cogor deviantem sequi. Si tamen à diverticulo in quod digressus es, in viam te revocari velis, age directe, rotunde & aperte responde ad hæc mea postulata, & quasi de novo disputationem auspicaturus hæc duo retentis meis terminis conclude: 1. Ergo articulum aut articulos aliquot habent Confessiones vestræ quorum merito damnaberis, aut à salute excluderis. 2. Ergo articulum aut articulos aliquot non habent Confessiones vestræ, qui ad salutem judicio divino creditu sunt necessarii. Hoc si feceris, pressius porro disputabitur, & magno me tibi beneficio obstrictum putabo. Nunc sermonis mei copiam libertatemque venia tua dignare. Vale Vir charissime, & nos ama. Deus Opt. Max. studia tua prosperet ac secundet ad nominis sui gloriam & animæ tuæ salutem. Lugd. Batav. 10 Kalend. Sextil. Anno 1624.

II.

N. N. BATAVO B. NIHUSIUS S.P.

Carissime Vir,

Quas Augusti die tertio accepi, vigesimo tertio Iulii datas, in iis & prolixitatis accusas me, & evagationis extra disputationis orbitam. Peccamus jam (ais) prolixitate uterque, sed culpa tua: dum enim à postulatis meis declinans, alio divertis, cogor deviantem sequi. Si autem à

Digitized by Google

diverticulo, in quod digressus es, revocari te in viam velis, age directe, rotunde & aperte respondе ad hæc mea postulata, sive duo hæc retentis meis terminis conclude. 1. Ergo articulum, aut articulos aliquot, habent Confessiones vestræ, quorum merito damnaberis aut à salute excluderis. 2. Ergo articulum aut articulos aliquot non habent Confessiones vestræ, qui ad salutem judicio divino creditu sunt necessarii.

Sane ubi prolixitate peccatum à me sit, non video. Tametsi enim una forte alterave periodo excesserim brevitatem eam, qua uterque nostrum ante usus est, non tamen ob modicum illud prolixus confestim aut magno verborum apparatu usus dici merebar. Fuerim vero prolixus, non tamen hoc ipso contra legem ullam vel honestatis vel civilitatis, imo neque contra promissum ullum egerim. Expetiisti tu quidem initio brevitatem, sed hanc ego consulto non promisi; nempe quod nescirem, quibus illa abs te limitibus circumdaretur, aliis magis aliis minus in arctum eos contrahentibus, prout variant ingenia mortalium. Quod si tu itaque heic peccasti, cur insontem me in reatus consortium trahis? quanquam quid ita scrupulosus es, ut peccasse te existimes? ego te equidem ab omni culpa immunem plane pronuncio. Adeoque per me tibi liberum etiam esto, sive succincte sive plenissime animi tui sensa semper efferre. Imo omnia quoque minuta vocum excutias licebit; ea tamen conditione, ne contra mihi negatum sit præ-

Digitized by Google

præterire interdum, si quæ nimis anxie persequi visus fueris: cujusmodi nunc illud de lacessendi verbo. Sane ad comitatis atque amoris certamen me lacessitum abs te dixi; sed quid heic mali? Nec vero ad disputandum ego te, utpote mihi ignotum, lacessivi ulla ratione aut provocavi, sed tu ipsemet itidem vel sponte tua, vel certe instinctu Domini Overbequii, ut scis, prior te sistens, amice me invitasti. Quod proinde neque indigne fero, sed in optimam potius partem accipio.

Attamen ex arena in diverticula & latebras me statim subduco, contra quam disputatorem decebat. Id quidem exprobras tu mihi, & ingeminas creberrime; nempe quia directe & categorice tibi ad quæsita non responderim, sed ad alia deflectere maluerim, adeoque duas conclusiones hasce substituere: 1. Ergo per fidem tuam salvari, meo judicio, nequis. 2. Ergo in Confessionibus tuis deest articulus ad salutem tibi, meo judicio, necessarius. At bona verba quæso. Fateor lubens, non recta ad ista tua me respondisse, sed hæc mea contra protulisse vel diluenda vel expendenda: nego autem, in diverticula aut latebras digressum me, ceu è circo fugitivum. Quomodo enim deseruerim certamen, quod ne acceptavi quidem, ex quo delatum abs te fuit, multo minus inivi? Nulla, inquam, hactenus facta est à me litis, istius intentatæ, contestatio, vir optime; quum nondum aggrediendum sumserim statum quæstionis abs te mihi propositæ utriusque, imo id facere sciens detrecta-

Digitized by Google

verim potius; ſicuti etiamnum deinceps detrecto plane; non quidem quod haud libeat ſaltem, ſed quod non poſſim : liberet enim utique, ſi poſſem. Ideo autem, ne neſcias, concluſiones iſtas tuas aſſeverandas confirmandasque acceptare haud poſſum, quia prior falſa eſt, poſterior vera quidem, ſed cum importabili probandi onere conjuncta. Quod ipſum uti penitus intelligas, ſic habe.

Falſa, inquam, eſt prior hæc : ergo articulum aut articulos aliquot habent Confeſſiones veſtræ, quorum merito damnaberis aut à ſalute excluderis. Nam inutiles quidem ſunt omnes veſtri articuli ad ſalutem procurandam, (& ſic folummodo loqui conſueverunt noſtri, quum accurate rem tractant,) at vero damnationis æternæ reos vos nullus eorum efficit. Non illi certe, quorum veritas à nobis utrimque admittitur. Sed neque cæteri, de quibus controvertimus. Neque enim quia illic erras, ideo damnabere, ſed ſi damnabere, ob peccata id fiet, quæ ſciens volensque perpetraveris, nec vero expiaveris. At ais, non videre te, cur ego damnare te, & quidem ob errores in fide, nequeam, quum tam liberalis hac in parte ſit Synodus Tridentina, & tam faciles ſcriptores Pontificii, dum fidem Reformatorum hæreticam, impiam, blaſphemam vocant. Reſpondeo. Verum eſt, in Concilio Tridentino anathema dici omnibus errantibus contra ejus decreta; ſed cum hac ſemper limitatione, ſi errent cum pertinacia : reliquos n. nec anathe-

Digitized by Google

anathemate ferit, nec in hæreticis, proprie sic dictis, sive formalibus, numerat. Pertinacia autem nobis est, quum quis Ecclesiam Romanam agnoscit esse veram Dei Ecclesiam, & tamen ei credere abnuit. Iam quis dixerit, omnes Reformatos isto pertinaciæ vitio laborare, quum sine dubio plurimi eorum nesciant, Romanam nostram solam esse veram Ecclesiam, & invincibiliter quidem nesciant, ac fieri queat, ut in horum numero tu quoque sis? Negas quidem, verioris heic doctrinæ ignorantiam, si qua in te sit, invincibilem esse posse: sed videris terminum illum Scholasticum non intelligere. Ignorantia enim invincibilis est, quum nulla tua culpa factum, quo minus compereris hucusque rectiora: indeque & alio cognomine inculpabilis appellatur. Iam quum istiusmodi ignorantiæ obnoxium fuisse me putem, antequam nempe rationes, de autoritate Ecclesiæ Romanæ dubitandi, mihi ex animo essent sublatæ, quidni in te quoque locum eam habere posse credam, qui de industria & candore tantopere prædicaris mihi, ac proinde manus dare hactenus certe non refugeres, modo clare tibi heic innotuissent itidem omnia? Sic tametsi scriptores nostri fidem Reformatorum hæreticam, impiam, & blasphemam vocent, non tamen nisi in eodem sensu, quo Patres Tridentini, loquuntur. Propositiones enim, hæreticas, impias aut blasphemas appellari solitas, pro veris habens, non damnatur ipsis idcirco, sed ob animum demum hæreticum, impium,

Digitized by Google

blaſphemum, aut criminibus aliis infectum. Certe non ita horribile ſive crudele noſtrorum de vobis judicium eſt, ut ſuſpicari ſolenne iſtic eſt. Quod & è ſcriptis ipſorum facilime comperiſſes, modo in ea incidiſſes. Ni fidem habes, vel Aquinatem * conſule: cui neque contradicit quisquam Doctorum cæterorum.

Sic affirmare quidem, ſed non item confirmare promptum eſt concluſionem hanc tuam poſteriorem: Ergo articulum aut articulos aliquot non habent Confeſſiones Reformatorum, qui ad ſalutem judicio divino creditu ſunt neceſſarii. Sane prodire cum tali ſyllogiſmo liceret: Pendendum eſſe à judice quopiam viſibili & infallibili, in Confeſſionibus veſtris non habetur. Et vero id articulus eſt ad ſalutem judicio divino vobis creditu neceſſarius. Ergo aliquis articulus, ad ſalutem judicio divino vobis creditu neceſſarius, in Confeſſionibus veſtris non habetur. At de minore qui certum te reddam, nondum video. Aut enim conceſſa adhibenda fuerint, aut talia, quæ denique è conceſſis evidenter colligi queant. Atqui neutrius generis quidquam ſuppetit. Poſſem quidem ſic argumentari: qui fateri cogitur, pendendum eſſe à judice quopiam viſibili ac infallibili, is fateri etiam cogetur, judicem illum non niſi à Deo ipſo nobis debere eſſe præpoſitum; nempe quum nulla

* *S. Th. 2. 2. q. 10. a. 1. item q. 11. a. 2. & ibi Malderus, Lorca, Koningus, alii. Item Becan. tract. ſcholaſt. de Fide, Spe & Carit. cap. 13. q. 1. cap. 14. q. 1. ac 2. & cap. 15. q. 2. §. 6. nec non Manual. lib. 5. cap. 13. §. 6.*

Digitized by Google

la creatura hominem reddere queat pro se infallibilem. Tu fateri cogeris, pendendum esse à judice quopiam visibili ac infallibili : quod sic ostendo. Qui ab una parte ultro fatetur, infallibiliter sese certum esse oportere de veritate capitum suæ religionis; & à parte altera fateri cogitur, se, sibi soli relictum, falli posse, tum in apprehendendo sensum Scripturæ, tum universim in habendo aliquid pro verbo Dei quod tale non est, vel etiam pro verbo non divino quod revera divinum crediturque necessarium est : is fateri etiam cogitur, pendendum esse à judice quopiam visibili ac infallibili, sive tali, cui teneatur credere nec unquam, circa ejus effata, fidem suspendere; alias enim perinde foret ac si pro fallibili eum haberet, jamque infallibilitatis suæ fulcro destitueretur. Tu ab una parte ultro fateris, oportere te infallibiliter certum esse de veritate capitum tuæ religionis, (videl. quia aliter salvari nequeas;) & à parte altera fateri cogeris, te, tibi soli relictum, falli posse, tum in apprehendendo sensum Scripturæ, tum universim in habendo aliquid pro verbo Dei quod tale non est, vel etiam pro verbo non divino, quod revera divinum crediturque necessarium est; (quidni enim tibi accidere possit, quod accidere tot mortalibus, ipsemet concedes?) Ergo fateri cogeris, pendendum esse à judice quopiam visibili ac infallibili. Iamque concludo : Ergo fateri etiam cogeris, judicem illum non nisi à Deo ipso nobis debere esse præpositum, quicunque tandem

Digitized by Google

ipse sit, (nam investigatio ulterior alio spectat.) Et quoniam conclusionem hanc merito admittes, admittere sine omni controversia & minorem hanc teneberis, quam probandam ante suscipiebamus, adeoque dicere: Ergo pendendum esse ab judice quopiam visibili & infallibili, est articulus ad salutem judicio divino vobis creditu necessarius. Sic, inquam, ratiocinari sane possem ex lege divina naturali. Sed ratiocinationes ejusmodi tu non petis, verum directe monstrari tibi vis legem divinam positivam, sive ubinam Deus ipse eloquatur, articulum illum creditu vobis esse necessarium. Quod mihi præstitu impossibile prorsus est. Tu quidem contendis, esse possibile: sed quomodo id probas? Si, inquis, Deus religionem tibi mihique præscripsit quod concessisti, indicare etiam poteris aliquem articulum, quem Deus exigat tanquam creditu necessarium ad salutem, quem tu credas, non ego. Respondeo. Concessisse me id quod tu ais, equidem haud memini. Imo potius contra sentio. Nam, Deum tibi præscripsisse religionem, idem est ac si dixisses, Deum tibi alicubi loquutum esse, sive verbum suum patefecisse. Hoc autem, meo certe judicio, falsum est. Pictos codices biblicos videris, & sonos inde legentium audieris: at hoc non sufficit. Tum demum Deus alicui de capitibus religionis loquitur, quando simul & verum intimumque eorum sensum intellectui nostro proponi facit, & insuper intellectum eundem illuminat, hoc est, ita ad humilitatem disponit, ut

vel

Digitized by Google

vel æque vel magis etiam promte arcteque assentiatur isti sensui, utut captum suum superanti, quam sensui primorum principiorum naturalium. Iam vero Deus †, meo judicio, intellectum tuum sic non illuminavit, sive quod idem est, habitu fidei divinæ non donavit, quantumvis etiam veritates aliquas, à Deo autore profectas, juxta nobiscum admittas. Quare neque loquutus, meo judicio, tecum est. Imo cum primis neque verum intimumque sensum dogmatum, religioni vestræ propriorum, intellectui tuo proponi fecit sive insinuari. Non profecto per Scripturas, quum pictos quidem codices habeas forsan, ut dixi; Scripturas vero illic hactenus non item. Qui enim alium sub iis sensum concipit *, quam à Deo ipso intentus est, is verbum Dei non habet, sed verbi divini signis pictis figmenta propria palliare saltem quærit. Tu alium illic sub iis sensum concipis meo & Catholicorum judicio, quam à Deo ipso intentus est, eumque pro indubitato verbo divino venditas. Nostro itaque judicio Scripturas, sive verbum Dei scriptum, sic non habes, sed verbi divini signis pictis figmenta propria palliare saltem quæris. Et per consequens, Deus tibi per Scripturas, nostro judicio, verum intimumque sensum dogmatum cumprimis religioni vestræ propriorum, intellectui tuo proponi sive insinuari non fecit. Perinde itaque nunc est, ac si negem, Deum

† *Becan. de Fide, Spe, & Carit. cap.* 11. *q.* 3.

* *Vide Heneticon disfecti Belgii, part.* 4. *cap.* 5. *edit.* 2.

Digitized by Google

Deum tibi religionis capita præscripsisse; (nempe quum solam Scripturam pro verbo Dei agnoscas.) Et ergo falsum est, concedere me, quod Deus religionem non minus tibi præscripserit quam mihi. Quicquid, inquam, à Deo tibi præscriptum putas, de eo non aliunde tibi constat primario, quam quia naturali tuo intellectui placuit sub ea ratione id eligere, ac si Deus tibi intus loquutus fuisset; quæ est miseria vel certe imprudentia maxima. Atque ita immotum adhuc stat, quod dixi; nimirum impossibilem probatu mihi esse Syllogismi mei principalis Minorem.

Hæ, inquam, sunt rationes, cur de duabus istis tuis Conclusionibus tecum, prout voluisti, congredi integrum mihi neque fuerit neque etiam futurum unquam sit. Nihilominus tu id strenue flagitas, & flagitationem quidem istam undiquaque decoram ac justam esse, alta voce exclamas. Sed unde obsecro hoc mihi ostendis? Nihil sane ex te audio, nisi quod magnam ex disputatione de assertionibus istis duabus utilitatem spectes. At non sufficit, carissime mi, affulgere tibi spem aliquam utilitatis, nulla interim habita ratione æquitatis. Alias & ego plurima mihi utilia postulare ab aliis possem, qui & mihi nihil debent, & suis rebus carere sine detrimento ipsimet nequeunt. Faceslat ô faceslat utilitatis respectus, qui conjunctus cum neglectu æquitatis. Revera autem totum iniquum est quod à me fieri voluisti; utpote vires meas excedens. Non,

in-

Digitized by Google

inquam aliam reddis causam, ita audacter me urgendi, quam utilitatem: prout ex tuo ipsius sermone cognoscere licet.

De quæsito enim tuo priore agens: Cur autem, inquis, rigidius heic abs te responsum exigam, causa hæc est, quod propositum mihi sit tecum non de hujus vel illius articuli veritate disputare, (factum hoc à nostris & vestris abunde,) sed de articulorum credendorum necessitate & momentis: (heic temetipsum involvis, dum necessitatis eorum, quæ credenda sunt, mentionem injicis, quæ non huc pertinet, sed ad quæsitum tuum posterius, ut scis.) Etenim, mi Nihusi, cum ab Ecclesia vestra secessionem facere coactæ sint Ecclesiæ Reformatæ, & secessionem justam fecerint, quum à vobis salutis æternæ spes fidei nostræ hominibus præcidatur, de vestra quoque salute desperent Reformati, aliique in aliorum condemnationem proniores simus; utilissimam semper judicavi illam controversiam, quæ discrepantium opinionum necessitatem (apage hinc iterum cum tua necessitate, & usque ad quæsitum posterius eam reserva,) propius expenderet. Si enim de capitibus ad salutem creditu absolute necessariis sit dissensio, (voluisti dicere, si non dissentimus à vobis in iis, quæ nos, tuo judicio, damnant,) scio, Ecclesiæ unitatem servari non posse. Si vero de dogmatibus ad salutem non necessariis, (voluisti dicere, si vero nullus nostrorum articulorum, tuo judicio, nos damnat,) servandam esse & servandam

Digitized by Google

vandam fuisse arbitror. Hunc ergo in finem quæsivi scire: quis fidei meæ articulus, aut qui articuli sint, qui me damnationis æternæ reos faciant, (jam recte siles de necessitate credendorum,) aut quod idem est, à salute æterna excludant. Ecce, utilitatem saltem tuam inculcas, & hanc satis esse censes ad cogendum me, quemadmodum dictum est. Verum id ego jam ante negavi. Nunc addo, quod ita mirabili insuper ac perplexo argumento utilitatem ostendas, uti nesciam equidem, an in formam syllogisticam illud redigi possit. Interim tamen gratias habeo de sermone isto tuo: si dissentimus à Pontificiis in iis, quæ tuo judicio non damnant, servandam esse Ecclesiæ unitatem, & servandam fuisse arbitror. Meo enim judicio, tua te dogmata, quibus à nobis dissentis, tametsi etiam falsa sint, non damnant tamen ex sese, ut audivisti. Secundum te igitur servanda fuit & servanda est Ecclesiæ unitas. Gratias, inquam, habeo. Neque nunc supereſt quidquam, nisi ut spem factam impleas. Adesdum itaque actutum, amice, & serva nobiscum unitatem: adeoque desine dicere, sive præsupponere tanquam principium ab nostrûm utroque concessum, coactos fuisse Reformatos secessionem à nostris facere, & secessionem justam feciſſe, & de salute nostra merito desperare: nihil enim horum apud me Euangelium est. Cæterum quum hactenus nihil minus effeceris, quam jure exigi à me posse responsum istud ad quæsitum tuum prius, an forsan alibi me invadis for-

Digitized by Google

fortius? Verba quidem tua itidem sunt: cum diffiteri non possis, multa mihi tecum communia esse fidei dogmata, operæpretium nos facturos arbitror, si de controversiis aliquot dogmatibus speciatim inquiratur, num ea tanti momenti sint, ut à salutis æternæ spe vel te (expunge illud, vel te; loqueris enim de dogmatis non nisi tuis, quæ certe me non damnabunt,) vel me excludere credi debeant, quicquid sit de eorum veritate aut falsitate. Neque enim dixeris, omne verum præcise ad salutem creditu esse necessarium, (quorsum sodes iterum in mentem tibi loco alieno veniebat necessitas credendorum?) aut omne falsum & errores quosvis ἀπιστίας [*infidelitatem*] mortiferæ nomen mereri. Summa est: operæpretium sive utilitas te in me exstimulat, aliud nihil. Atqui absit, uti utilitatis tuæ gratia affirmem id, quod falsum esse sentio aperteque profiteor. Sed neque utilitatem tamen syllogismo aliquo manifestam facis, verum confusa saltem oratione denuo uteris, perinde ac si rhetorem agere tempus fuisset. Hoc tamen videris velle. Si multa fidei dogmata communia habemus, & fieri potest, uti ea quæ Reformatis sunt propria, quantumvis etiam falsa sint, neminem tamen damnare comperiantur, si disputando hoc investigetur; utile sane fuerit pro tollendo ex Ecclesia schismate, disputationem ea de re institui. Sed multa fidei dogmata communia habemus, & fieri potest, uti ea quæ Reformatis sunt propria, quantumvis etiam falsa sint, neminem tamen damna

Digitized by Google

damnare comperiantur, si disputando hoc investigetur. Ergo utile fuerit pro tollendo Ecclesiæ schismate, disputationem ea de re institui. Respondeo, concessa majore, negari à nobis minorem, non quoad posterius membrum, sed quoad prius. Negamus, inquam, ullum nos habere dogma fidei vobiscum commune. Conceditis quidem, itidem ut nos, trinitatem Personarum, divinitatem Christi, & similia : inde autem non sequitur, articulos fidei divinæ nobis esse communes; quum alioquin fide divina præditos vos esse necessum sit; quod, nostro judicio, falsum est, ut supra monui. Mera, inquam, opinione humana articulis veris astipulamini, perinde atque Iudæi, Turcæ, & id genus cæteri. Qui proinde æque proprie dicerentur habere nobiscum fidem ex parte communem, ac si dicam, ex parte astronomum esse rusticum illum, qui relatu astronomorum cognitam habeat Eclipseos lunaris proxime imminentis horam. Vnde & hoc obiter colligo, articulos fidei tuæ, qui nostro etiam judicio veri sunt, prorsus nihil tibi profuturos ad consequendam salutem æternam. Ecce ne utilitatem quidem recte probasti iterum.

Quæsitum alterum cur itidem urgeas tantopere, peculiariter non explicas. Ergo ex verbis tuis de necessitate credendorum, quæ tibi antea intempestive excidebant, argumentum pro te aliquod ipse formabo. Si quædam fidei dogmata communia habemus, & fieri potest, uti ea, quæ

Digitized by Google

quæ Pontificiis sunt propria, quantumvis etiam vera sint, non tamen judicio divino ad salutem creditu necessaria comperiantur, si disputando inquiramus; utile sane fuerit pro tollendo Ecclesiæ schismate, disputationem hac de re institui. Sed quædam fidei dogmata communia habemus, & fieri potest, uti ea, quæ Pontificiis sunt propria, quantumvis etiam vera sint, non tamen judicio divino ad salutem creditu necessaria comperiantur, si disputando inquiramus. Ergo utile fuerit pro tollendo Ecclesiæ schismate, disputationem hac de re institui. Respondeo, concessa, ut superius, majore, negari, præter prius, etiam posterius membrum minoris. Nunquam enim quisquam disputando evincet, nihil eorum, quæ nobis propria sunt, judicio divino creditu esse necessarium. Quicquid contra objicietur, dissolvere parati sumus. Male ergo & heic utilitatem demonstras. Ac licet eam demonstrasses, non tamen hoc sufficeret, ut jam toties dixi.

Manifestum itaque est, non probatum esse abste, quod ego tenear postulatis tuis satisfacere aut locum dare, ideoque merito adhuc me tibi illud denegare. At inquis exultabundus: Ergo gratulabor Reformatis, in quorum Confessionibus nihil reperiri possit, ob quod damnandi sint, econtra autem omnia contineantur ad salutem judicio divino creditu necessaria. Gratulatio sane duplex, at mirifica utraque. Quid enim refert, inquam, in Confessionibus vestris

Digitized by Google

nihil esse; ob quod damnandi sitis? Sane errores, in quacunque tandem religione sit, non damnant quemquam, sed peccata, quæ sciens quis volens-que commiserit, nec pœnitentiam egerit. Secundum te quidem fidelis & contritus animus veniam peccatorum à Deo obtinere vobiscum potest: secundum nos autem vera fide caretis, nec est vera contritio, quæ non nascitur ex vera fide. Taceo cætera, quæ monere heic possem. Sic, ut ad alteram gratulationis tuæ partem veniam, quî sodes ita tibi plaudis ipse domi, quasi in Confessionibus vestris omnia contineantur ad salutem judicio divino creditu necessaria? Non profecto ego hoc tibi concessi, dum negavi, plura, judicio divino creditu necessaria, demonstrari à me, prout postulasti, posse. Sed nec aliunde certus es. Affirmas quidem, te certum esse; verum certitudinis rationes tales adducis, quæ te incertissimum potius esse produnt. Ita habe, inquis, certitudinis meæ rationem, quæ tibi nunc sufficere debet, esse hanc, quod rogatus toties, ut mihi articulum salutiferum (voluisti dicere, ad salutem judicio divino creditu necessarium, alias enim, quem ego salutiferum esse judicem, indicavi tibi,) quem non credam, indicare toties detrectes. Sed non sola est hæc certitudinis meæ ratio, (ais) verum secundaria. Primaria, & qua totus nitor, est verbum Dei scriptum idque infallibile. Respondeo: Et secundaria & primaria certitudinis tuæ ratio nulla est. Ista sic habet: Nihusius amico suo Batavo demon-

Digitized by Google

monstrare evidenter nequit, quidnam eorum, quæ non continentur in Reformatorum Confessionibus, judicio divino creditu necessarium sit, Ergo Batavus ille certus est, in Confessionibus Reformatorum contineri omnia judicio divino creditu necessaria. Viden'? ratio hæc sufficere mihi certe non debet, quia non potest. Sed neque è Scripturis unquam erues, in Confessionibus Reformatorum contineri omnia judicio divino creditu necessaria. Nullibi, inquam, tale quid reperitur in Scripturis. Mere itaque humanum figmentum est, itidem ut Photiniani & Anabaptistæ fingunt, in suis Confessionibus contineri omnia judicio divino creditu necessaria.

Quare ut, summatim rem totam complectendo, finiam, constat, ni fallor, abunde, & justis de causis disputationem de tuis postulatis me detrectare, & causas tibi contra esse nullas ita vehementer me porro urgendi. Tu nunc obsecro responde mihi ad hæc duo: 1. Ob quem vel quos articulos, quos ego credo hactenus, tu me damnes. 2. Quidnam eorum, quæ ego non credo, creditu necessarium à Deo judicari existimes. Neque vero responde saltem, sed simul argumento aliquo sententiam utrobique tuam haud gravatim nobis confirma. Si commode non potes, imprudenter mihi quæsita tua proposuisti: memor enim esse debuisses, proponi tibi similia posse. Si potes, tenêris utique; utpote qui in eorum cœtu es, qui à nobis discessere, subditi à suis superioribus, oves à Pa-

Digitized by Google

ſtoribus. Quod ſi vero id quod peto, liquido præſtiteris, ſpondeo, ad partes veſtras me conceſſurum. Sin minus, non modo manebo, illic ubi ſum, conſtantiſſime, ſed, quaſi neceſſitas quoque compellat, exprobrabo tibi cum exaggeratione tuum illud calidiuſculum, *coactos fuiſſe Reformatos ſeceſſionem à noſtris facere, & ſeceſſionem juſtam feciſſe, & de ſalute noſtra merito deſperare.*

Atque hæc hactenus. Reliqua, quibus mea reliqua impugnas, examinabo proxime ſeparatim. Nunc hoc ſaltem dico, nec inſcitia artis Logicæ, nec dolo ſophiſtico me, relictis tuis poſtulatis, confeſtim acceſſiſſe ad expedienda hæc duo: 1. In omnibus fidei tuæ articulis, meo judicio, nihil eſſe, quod tibi utile ſit ad ſalutem. 2. Ex iis, quæ hactenus non credis, meo judicio neceſſarium tibi eſſe judicem aliquem infallibilem. Neque enim venditavi hæc pro reſponſis directis ad poſtulata iſta tua, ſed ad id ſaltem, quod ſcire itidem velle non minus videbaris, an articulos tuos revera tibi eſſe proficuos cenſerem, & quoſnam contra ex articulis noſtris propriis haberem pro neceſſariis ad ſalutem. Vale Vir Clariſſime. Coloniæ, 25 Auguſti, 1624.

12.

BARTOLDO NIHUSIO.

QVem tu Britannum eſſe credis, Nihuſi doctiſſime, non magis Britannus eſt, quam Thrax

Digitized by Google

Thrax aut Scytha. Britanniam adivi nunquam, sed redux è Gallia inter Cantium & Iccium promontorium eminus eam vidi, & ex montium albicantium splendore veterum Albiona esse didici. Quare, quod quintum diem mensis Februarii populari meo S. Bonifacio sacrum dicis, ex eodem errore fluxit. licet Sanctorum memoriam non tam diei hujus vel illius, quam virtutum piâ recordatione venerari soleam. Male de Patria mea & rebus edoctus fuit, qui hæc ad te retulit. Nec tamen nullibi verum dixit, cum Philosophiæ me studiosum, & artis Medicæ Doctorem esse affirmavit. Logicam in Academiâ hac; Philósophiam, litterasque humaniores in Collegio Theologico Ill. Ordd. professus fui. Postea communis, quæ patriam universam concussit, calamitas, etiam me triobolarem hominem involvit, & capitis diminutione mulctavit, non ob maleficium aliquod, sed quod Remonstrantium, quos vocant, sententiæ patrocinium meum commodaverim. Ex illo tempore medicinam, veluti alteram naufragii tabulam, amplexus sum, & inter ἰατρῶν παῖδας, [*Medicorum filios*,] nomen meum professus fui, licet à praxi ipsa quam maxime abhorream, partim quod alienâ miseriâ nimis afficiar; partim, quod artem illam magnâ ex parte στοχαστικὴν [*conjecturalem*,] esse comperiam. Quas in me congeris laudes, verecunde amolior. Magis tui erga me affectus, ac singularis tuæ eruditionis testes litteras exosculor. Non diffundam in adu-

Digitized by Google

lationes sermonem. Præclaras ingenii tui dotes agnosco & veneror. Nec ob opinionum diversitatem minus honeste de te sentio, aut minore te obsequio porrò colam. Absit enim ut conscientiæ alienæ iniquus æstimator esse velim. Optaret utique D. Overbeecquius, tui meique amantissimus, se nobis præsentem adesse, quò collatis inter nos sermonibus controversiarum momenta pensiculatius expendi possint. In molem enim excrescunt scripta, & dum etiam minutissima examinantur, fastidium subit, primò scriptionis, inde lectionis. Orationem meam de Ente Rationis, quam petiisti, ad te mitto. Sed cave quæstionum Metaphysicarum, quæ in hoc argumento tractari solent, anxiam decisionem exspectes. Philologica magis est oratio, quam Philosophica, & delectare magis studui, quam prodesse. Et volupe fuit tum temporis Λυκιαν ίζειν [*Luciani more loqui.*] Vale. Salutem tibi dicit D. Overbeecquius, & Kinderlingius. Lugd. Bat. 1625.

13.

GODEFRIDO DE HAESTRECHT S. P.

Litteras tuas, & adjuncta aliorum carmina legi lubens. Priores memoriam mei, & singularem tuam in hoc scriptionis genere diligentiam testabantur, quam te non remittere in ipsis remissionibus lætor. Vegeta ingenia, quò plus recessûs sumunt, hoc vehementiores impetus edunt. Et ita te dignum est, cujus indoles, inge-

Digitized by Google

ingeniumque excellens ad alta te vocant, & illud Homericum instillant, *παντολης ἀρετῆς μιμνήσκεο.* [*omnifariæ virtutis memento.*] Prorsus ad symboli tui sensum te componis, *& parta tenens, non parta sequeris.* Cum hic esses, egregiâ ignorantiæ simulatione nos elusisti, & affectatâ sermonis barbarie frontem mihi aliisque sæpe corrugasti. Nunc alibi positus, ut admirabilior sis, ita scribis, ut etiam doctissimos scribendo post te relinquas. Legerunt litteras tuas viri eruditi complures, qui mihi etiam jurato fidem non habuissent, istas à te profectas esse, nisi manus tuæ character ac inscriptio assensum extorsissent. Habes hanc tuam, mi Haestrechti, hypocrisin communem cum L. Iunio Bruto, primo Romanorum Consule, qui ex industria factus ad imitationem stultitiæ, longè alius ingenio erat, quam cujus simulationem induerat. Habes communem cum Doctore Angelico, quem ob fictam rerum imperitiam & pertinax silentium, bovem condiscipuli vocare solebant. Sed veniam hujus tui facti facile à me impetrabis, in quem, pro tuo in me jure, quidvis tibi licet. Tu tam præclaræ mentis igniculos constanti industriâ suscitare perge. Ita futurum est, ut quæ in te sunt non vulgaris doctrinæ semina, ad eximiam frugem propediem adolescant. Poëma illud in obitum Prætoris à Zuylen optimi textoris carmen est, qui corrasis hinc inde versibus centonem istum contexuit. Sed hoc vulgari nolo: neque enim mei moris est sartoriam aut textoriam

Digitized by Google

riam artem depreciare. Rogas obnixè, ut sæviente hic pestilentiâ ad te veniam; sed ne veniam, in causa sunt tot compedes & numellæ quibus miser constringor. Vis syllabum? prohibet uxor, cui imperii domestici partem dote jam pridem vendidi, prohibent liberi, qui Lapytharum instar, absente me, in se mutuo sæviunt, præcipuè cùm dentibus sacrificandum est, & de partiundâ offâ controversia incidit; prohibent studia, & suscepta Italiæ descriptio, prohibent & alia plura, quæ Elegia mea fusius exequetur, quam propediem mittam. Iuvat enim gratâ studiorum varietate nunc solutâ nunc adstrictâ oratione te affari. De peste quid scribam? Vtinam nihil haberem quod scriberem. *Luctus ubique pavorque & plurima mortis imago.* Augent calamitatem publicam clarissimorum virorum obitus, Vorstii primùm, nunc quoque Thomæ Erpenii. Vorstio oratione publicâ parentavit Cunæus, ego carmine, cujus copiam tibi facio. Erpenio Vossius justa solvit. Orationem utriusque, ubi prælum effugerit, transmittam. Sed à bove ad asinum, ut est in proverbio. Mansfeldius an è naufragio evaserit, an per Neptuni regna ad loca silentum abiverit, in incerto est. Ego evasisse arbitror, & in Angliam appulisse. Καθολικώτεροι [*communiores*] eò perveniisse asseverant, quo dives Tullus & Ancus. Ex fide dignis authoribus habeo in Galliâ conscribi equites mille & quingentos, ut Bredanis unà cum Anglorum copiis succurrant. Vale. 1624. Lugd. Bat. 14. IA-

Digitized by Google

14.

IACOBO PETITIO S. P.

LItteras tuas bilingues, Gallo-Belgicas puto, ſumma cum voluptate legi, amicorum candidiſſime. Niſi ex hominum te ſtirpe ſatum ſcirem, hirudinem te vocarem, cui biſulcam linguam dedit natura. Exſpecto, ut propediem, (libet jam jocari) litteras mittas, fronte Belgicas, ventre Latinas, caudâ Gallicas. Ita chimæram novam cudes, quæ capite leonem, mediâ ſui parte lupam, caudâ Gallum referet. Sed quam tu operoſe ſilentii tui culpam diluis, quantos fluctus in ſimpulo excitas, quam ſudas, ut me eidem culpæ affinem facias. quod cum vel maxime eviceris, gratulabor tamen mihi, qui iſtis querelis effecerim, ut tu antea piſce mutior, factus ſis Romuli nepotum diſertiſſimus. Si ita aliorum cauſas dixeris, uti hic propriam, optimus eris clientum tuorum patronus. Argumentis tam validis, tam denſis adverſus me diſputas, ut concluſionem tuam libens tibi largiar. Quid, quod Dialecticæ artis non immemor, Syllogiſmos cornutos formes, omnium ad conſtringendum adverſarium efficaciſſimos. Scis utique cum Logico tibi rem eſſe, quem proprio armorum genere confoſſum & proſtratum, veluti in pulvere victum, calcas. Supereſt, ut canas:

Ite triumphales circum mea tempora lauri,
Incidit in caſſos præda petita meos.

Etiam, quæ optima diſputandi methodus eſt,

Digitized by Google

retorsionibus uteris. Ego aliquem *Petitissare* scripseram, tu illum *Barlæisare* appositè regeris. Ego Græcum aliquod proverbium adduxeram; tu me Græcissantem explodis, isthoc tuo dicto: Qui Græci vocentur nescio, Græcum non legitur in meo Codice. Cave istiusmodi incondito sermone posthac utaris, ne iniquos erga te Græculos experiaris, genus hominum maledicum, & contemptus impatiens. Non mirum Codicem vestrum Iustinianeum Græcè non loqui, cum vix Latinè loqui sciat. quin & illud crede, libros, quos Pandectas vos vocatis, quasi omnia continentes, minime πᾶσαν σοφίαν δέχεσθαι. [*omnem sapientiam continere.*] Rursus Græcè loquor, vel ob hoc solùm, ut tibi ægrè sit. Narras in litteris tuis casus & fata tuorum; nunc mortes, nunc nuptias, læta, tristia, candida, nigra; rides, fles, in eâdem chartâ comicus & tragicus, nunc soccum nunc cothurnum indutus. In summa, nullibi non mirabilis es; & quod verè oratorum est, jam sublimi, jam humili, jam medio dicendi charactere usus, orationem rebus accommodas. Obitum certè sororis tuæ ex animo doleo, quæ numerosæ proli desiderium sui, marito familiæ curam reliquit. Sed quod Doctorem Borrium scribis afflatum calidiore aura, quæ vulnus alit venis, & cœcos susitat ignes, nescio an dolere, an gaudere debeam. Subit jam enim illud Græcorum Epigramma: Πᾶσα γυνὴ χολός ἐστιν, ἔχῃ &c.

[*Omnis mulier bilio sa est, habet &c.*]

Ego

Digitized by Google

Ego viro optimo & mihi ob raras virtutes colendo, omnes deos & deas conjugales propitias precor. Vtinam parem suis nanciscatur virtutibus. Non debebat, quâ est morum suavitate, esse γυναικοκρατούμενος. [*sub muliebri imperio vivens.*] Meministi insuper D. Iacchæi. Is calide Medicinæ professionem ambit; sed vereor ne in possessione repulsarum sit. Nosti seculi hujus mores. Dignus & indignus ablativum regunt: & uti vos dicitis, plus valet favor in Iudice, quam lex in Codice. Sed ad tuas litteras revertar, satis Latinas, &, qua parte disputas, nervosas. Injuriam profecto & tibi & mihi feceris, nisi sæpius scripseris. Sola Breda, Mansfeldius, Bethlemus Gabor abunde materiem scribendi sufficient. Pro carmine Rectoris vestri, viri doctissimi, gratias tibi ago. non caret Epigramma acumine. Græcum, quin magis emphaticum sit, non dubito. Nunc aliud tibi carmen mitto, quod nuper in obitum D. Vorstii scripsi. Scazon est, sive versus claudicans postremo pede. Plus gravitatis habet quàm nuperum nostrum Epigramma. Remissius jam per Dei gratiam sævit lues ista. Migrarunt superiore hebdomade 280 animæ. Vale, vir doctissime. Lugd. Bat. 17 Decemb. 1624.

15.

EIDEM.

ORnatissime Vir,

Quod litteras tuas priores bilingues vocaverim,

Digitized by Google

caverim, & trilingues me propediem expectare scripserim; non scripsi ut te riderem, sed ut rideres. Cum enim te festivo & minimè moroso esse ingenio virum scirem, studio captavi hoc festivæ dictionis argumentum, & luxuriatus hic nonnihil fui suavius; ut & mihi minus molesta esset scriptio, & tibi minus ingrata litterarum mearum lectio. Putabam etiam licere mihi apud te liberius jocari, nec veritus fui offensiunculam ejus, quem inter amicissimos semper habui. Nec illud, quod de triplici charactere scripsi ab alio animo profectum puta. Familiare est litteris quævis inspargere, læta, tristia, extera, domestica, quæ ad nos, quæ ad alios spectant. Et frustra methodici sunt, qui leges scribendis epistolis ferunt. Nihil hic peccasti, nec te peccavisse innuere volui. Sed ne nihil scriberem, volui lepidè apud te nugari. Quod si nimis hac in parte familiaris tibi fuerim, ignosce quæso, & judicii culpam omnem crede, non animi. Non sum ex eorum numero, qui amicum perdere malunt, quam sententiam. Et tu tamen nigrum salem adspergere videris, dum ita in Criticen inveheris, cujus ego sum osor maximus, ubi intra voculas, commata & puncta constiterit. Quare si isto lapide me feris, innoxium feris, & ut cum Aristotele loquar, tu me lædis, sed ego non lædor. Iterum repetam, jocari volui. Si bona intentio (jam cum Theologis loquor) factum justificat, à culpa omni liber sum. Quidquid sit, offendere amicum non debebam, nec

Digitized by Google

nec volui amicus. Et noſti indolem meam. Odi ſupercilia, frontes caperatas, & moroſam illam quorundam in familiaribus litteris ſermonibusque gravitatem. Quod ſi ſeriam magis amas ſcriptionem, quam jocoſam; induam poſthac faſtum Theologicum, & eo orationis genere utar, quo ſacra ſua peragere ſolent Numæ ſacerdotes, aut in Comitiis declamant Electorum Legati. Sed aut ego vehementer fallor, aut minus ad palatum tuum erunt tam ſacra condimenta. Præſtat ἐφεσμιάζειν. [*Eraſmiano more loqui.*] Bethlemum nominas & Mansfeldium, magna nomina: quorum ille imaginarium, hic verum militem conſcribit. Vterque ſpes noſtras lactant, & maximorum votorum reos Belgas faciunt. Breda Auſtriacum & Auriacum exercet, quo eventu, novit ille, qui res humanas nutu temperat. Is ut valetudinem tibi ſartam tectam præſtet, toto pectore rogo voveoque. 30 Decemb. 1624.

16.

GODEFRIDO DE HAESTRECHT S. P.

TRanſmitto ad Te, Vir Nobiliſſime, effigiem ejus hominis, quem amicis tuis accenſere jampridem dignatus es, hoc eſt, Barlæi tui. Non delineavit eam indocta ac rudis dextera, ſed manus artificioſiſſimi pictoris noſtri Davidis Bailly. Sexies, & amplius, ſellam ſumma patientia preſſi, & vultum ad quietem & gravitatem compoſui. Non perfunctoriè imaginem hanc

Digitized by Google

hanc tractavit author, sed cura & diligentia incredibili, qualem adhibuisse opinor Apellem, cum Venerem pingeret *ἀναδυομένην*. [*è mari emergentem.*] Ipse judica: non ovum ovo, aut ficus ficui similior. Aut malè calculum posui, aut perplacebit tibi hoc vultus nostri ectypon. Quotquot hic viderunt, stupent, & linguis favent: nisi tu quid, docte Virorum, dissentias. Unum peto, ne optima pictoris cœpta perdat nequam sculptoris manus. Suadet seriò pictor Bailly, ut exsculpi imaginem cures Delphis à Wilhelmo Iacobi chalcographo celebri & laudato. Forte minore pretio operam Crispini Pas redimes; sed, *Non curat altâ mente præditus Cato*, *Quot solvat asses*, &c. Libet alludere ad Baudii nostri elegantias. Certe, non potuisses me majore tibi beneficio obstrinxisse. Facies enim, ut per ora multorum volitet, quem publicâ sede excussit temporum calamitas. Et quamvis ipsa virtus sibi precium sit, nec modestia mea externos applausus ambiat, tamen oblatos sponte honores minime fastidit. Ego grati pectoris officia quavis occasione rependam. Et, si quid mea carmina possunt,

Nulla dies unquam memori te subtrahet ævo.

Da veniam, si plusculum mihi tribuere videar; tunc, cum bene de te mereri animum induco meum. Si redimiculis quibusdam imaginem ornari velis, per me licet, sed excrescet valde precium. Vbi eam lustraveris, redeat ad me, & siquid in eâ desideres, adscribe. Versus quoque tuos

Digitized by Google

tuos subjungam, quos recenti adhuc memoriâ circumfero. Sed quæso liceat iis subscribere, G. de Haestrecht. nec hanc, quam ex nominis tui præstantia ac splendore gloriolam capto, mihi invide. Mansfeldius in Zelandiam appulit cum duodecim millibus Anglorum, Scotorum, & Germanorum. è Gallia exspectantur millia septem peditum, equitum duo. Ego Bredæ nostræ metuo. In nervum res eruptura propediem videtur. Audio ex omnibus Germaniæ partibus adventare Cæsarianos, Tillium, Colaldum, Spinellum, Anhaltinum, & quæ non nomina. Ego narrator rerum gerendarum esse malo, quam actor. Vale, Vir præstantissime, & hospitem tuum Equitem Treslongium, alioque nuperi convivii consortes saluta. Lugd. Bat. 20 Februarii 1625.

17.

EIDEM.

PRæstabo fidem, & quasi per Styga juras-sem, *Dî cujus juraſſe timent, & fallere Numen*, promissis non deero. Scribam, vel ad loquacitatem usque, ne denuo aut bilem tibi moveam, aut mihi necessitatem imponam eam placandi. Primum gratulor. Tibi à febribus jam immuni, & ut valetudinem tuam tibi sartam tectamque præstet clementissimum Numen, votis omnibus contendo. Indignor Promethei furtum, & Iovis iram justissimam arbitror qui istum ignis Solaris κλέπτην [*furem*] Caucaso alligavit, & vulture exeden-

Digitized by Google

exedendum horribili decreto sancivit. Inde enim factum, ut mortalium generi febrium turmas immiserit, & nuper tibi quoque. Dicat hoc pro me Flaccus:

Audax Iapeti genus,
Ignem fraude mala gentibus intulit.
Post ignem ætherea domo
Subductum, macies, & nova febrium
Terris incubuit cohors.
Semotique prius tarda necessitas
Lethi corripuit gradum.

Deinde munus illud tuum grato animo exosculor. Donasti me mihi, Ectypon prototypo suo. At ego non æreum tibi Barlæum, sed illum ipsum offero, qui humanitatem tuam cum summa animi magnitudine conjunctam colit ac veneratur. Nec offero solum, sed eundem totum tibi mancipo, non antè emancipandum, quam corporis ergastulo animulam hanc emancipaverit vitæ necisque arbiter. Dignus es, quem docti omnes ament, qui semipaganum Poëtam tantis honoribus condecoras. Sed transeo ad viliora. De perspicillo perscribe distinctius: sunt enim non unius formæ, alia majora, alia minora, quæque contrahi ac extendi possunt per partes, vel uno ac continuo constant tubo. De Lepore noli ultra esse sollicitus. Nec enim in gulæ gratiam tanto molimine ac apparatu mactari cupiam innoxium animal. Rex Bohemiæ ante octiduum Angliam petiit, classi, uti ajunt, nominis sui patrocinium, auxiliumque commodaturus. Legatus

Digitized by Google

tus Regis Daniæ apud Ordines auxiliares copias exoratum venit. Tu priusquam abitum pares, certiorem me fac, utrum posthac litteras ad Dyckium mitti suadeas, an ad alium. Vale. 1625. Lugd. Bat.

18.

IOHANNI NARSIO S. P.

GRatulor te tandem post longos errores, & exilii tædia sospitem in patriam reversum, licet non infeliciter tibi cesserit ista tua peregrinatio. Neque enim, quod Ulyssi contigit, Circes aut Calypsus, contemptissimorum scortillorum gratiam exul meruisti, sed invictissimorum Sueciæ ac Poloniæ Regum, quos munificos quoque erga te expertus es. Ita fit, ut quos domi fastidiunt sui, eos ab omni partium studio alieni exteri venerari soleant. Versus tuos avidè perlegi, quibus hic illic stribliginis nonnihil affudit loci genius. Sunt enim, uti fateris ipse, sub Septentrione, & inimico Musis axe nati. Iambi tui magis placent, Elegi minus. In illis plus laborasse videris, in his minus. Illi omni gravitate non carent, horum nimis humilis est dictio, & minus Poëtica. Non adscriberem judicium meum, nisi ipse exposceres. & scio non ægrè te laturum hanc virgulam censoriam. Aliquot in locis prosodiæ rationem minus habuisse videris. Sed facilis est hic error iis, qui librorum omnium ope destituti versus scribunt. Iam ante quoque libellum poëmatum tuorum

Digitized by Google

Sueco-Polonicorum vidi. Nihil in iis occurrit, quod noſtrates offendere poſſit. nec dubito, quin tutò eos in publicum exponere liceat. Vellem de his & aliis coram tecum loqui, & itineris tui varios caſus & diſcrimina ex te audire. Illud certè in magna felicitatis tuæ parte pono, quod Baculaureatum, quem Batavia & Gallia tibi invidit, Suecus aliquis tibi non rogatus, abſque ornamentis & ſcholarum inſignibus, contulerit. Ego ad nos properanti ædes meas in hoſpitium offerrem, ſed eas undique occuparunt convictores noſtri. Ubi veneris, prolixiore oratione te morabor. Nunc vale, & adverſus ſeculi hujus fraudes prudentia animum tuum muni. Lugd. Bat. 21 Febr. 1625.

19.

CONSTANTINO HUGENIO.

SErmonem Tuum, quo Elegiæ meæ rationes diſpungis, tradidit mihi Doctor Verburchius. Nunquam majore uſura ſortem expoſui. plus quam fenerator ſum, qui pro rancidis veteſiculis graviſſimum tuum carmen lucratus ſum, &, quod omni auro charius habeo, in amicorum tuorum numerum tranſcribi merui. De me ita ſtatuas velim, eum me eſſe, qui ob eximias ingenii dotes, pene ad ſuperſtitionem te veneratus ſui. Sed tacito hactenus animi aſſenſu, nunc apertâ litterarum confeſſione. Mitto jambos aliquot in Otiorum tuorum libros, quibus quanti te amem, ſignificatum volui. Si Poëmatis

tuis

Digitized by Google

tuis eos præfixeris, aliquid forte à nominis tui splendore gratiæ, aliquid à tuorum carminum contactu laudis impetrabunt. Nos hîc in umbra vivimus otiosi, hinc luctantis secum Patriæ, illinc crescentis tuæ virtutis spectatores. Tu, si beare nos velis, Virorum eruditissime, litterarum subinde alloquio de valetudine tua & communibus studiis nos certiores fac. Vale. Lugd. Bat. 10 Mart. 1625.

20.

GODEFRIDO DE HAESTRECHT.

TAndem apud nos belli inclinationem fecit Mavors, & post obsidionem longam Breda hosti cessit. Mirum, quanta hanc calamitatem scruta sit animorum & rerum perturbatio. Nostrates, uti insolitos fortunæ successus minus æquis animis ferunt, ad omnem adversæ sortis immodice stupent. Iam de Patriæ Rectoribus & militiæ Ducibus querelas audias, in quos negligentiæ, peculatus, & proditionis crimina magna orationis libertate congerunt. Præcipuè in odia plebis incurrunt Muysius, prætor Dordracenus, & Marquettus equitum ductor. Ego, uti de arcanis Imperii judicium ferre non præsumo; ita nec vanas plebeculæ voces magni facio, nec maximorum virorum facta anxie ponderare soleo. Illud verum est, illorum jam virtutes prædicari, quos imperii fastigio decussit superiorum temporum iniquitas. Vereque exactiones novæ ac toties iteratæ displicent. Placet

Digitized by Google

cet Patria, Religio, Senatus, quoad vocis ac linguæ præsidio defendi contenta sunt. Vbi zonam sollicitant, & loculorum opem implorant, friget amor Patriæ, nec tanta relligionis vis est, quæ liberalitatem persuadeat. Mirantur omnes tam æquis conditionibus deditam Bredam. quod ipsum alii magnitudinem animi in Marchione interpretantur, qui didicerit adversus vires hostium, non adversus calamitates contendere; alii in adulationem novi Principis factum putant, & istâ moderatione in dubios belli exitus, aut in leges pacis, aut induciarum lenocinia quæri. Illud non parum miseriam publicam auxit, quod paulò antè urbis istius deditione decesserit Princeps Auriacus, magnum septum, μέγα ἔρκος, belli nostri, ut Homerico epitheto utar. Quæ enim urbs dolo victa gloriam nascenti Principi peperit maximam, eâ penè amissa occidit Heros fortissimus. Ex morte ejus quidam lætiora sibi tempora promittunt, quidam tristiora. Iamque animos videntur sumere Remonstrantes, & audacius passim spe impunitatis concionari. Facilem, aut saltem non difficilem sibi pollicentur Principem. Quid ego? ἐπέχω, [*cohibeo me,*] & solatia fortunæ meæ à sola virtute, Dei Opt. Max. providentia, & majorum constantibus exemplis peto. Albim cum exercitu trajecit Danus. quæ res animos nostrorum nonnihil erigit, licet non nobis, sed sibi ipsum belligerare credant prudentiores. In valle Tellina magni hostium

suc-

Digitized by Google

ſucceſſus jam retardati evaneſcunt. Interea dum Hiſpanum bellis laceſſit Gallus, ecce bella civilia redintegrat Dux Soubiſius. Is milite vicina Burdegalenſium loca infeſtat, & claſſe inſtructâ regiis navibus, quâ poteſt, inſidiatur. Ita Regis ſui magnas molitiones intempeſtivâ rebellione eludit. Sed audio adactum Regem, ut aut cum Hiſpano, aut cum Soubiſio paciſcatur, quò belli omnem vim in unum hoſtem convertat. Sed quid Anglia? claſſem molitur, cui ſe jungent naves bellicæ Batavorum viginti. His Gubernatoris titulo præerit Wilhelmus Naſſovius, Vicegubernatoris L. Realius. De Sina & urbe *Todos los Sanctos* incerti rumores feruntur. Sunt qui noſtros, ſunt qui Hiſpanos eum totâ claſſe periiſſe affirmant. Ita facile affectus, partiumque ſtudium cuique verum eſſe dictat, quod rebus ſuis expedire novit. Iam Europam mihi pererraſſe videor, & res novas prolixe ſatis enarraſſe. Finiam itaque, ne hiſtoriam potius & annales, quam epiſtolam ſcribere videar. Vale. Lugd. Bat. Iul. menſe. 1625.

21.

EIDEM.

DEnuò mihi curandas ad te litteras tradit Thibautius. quarum cùm formam aut plicaturam intueor, ab eo proficiſci arbitror, de cujus gente triumphavit olim Cæſar. Didicit opinor Bredæ parvo victitare, & tenui ſalino nudâque Cerere latrantem ſtomachum placare.

Digitized by Google

Majora virtutum documenta ipsi invidit Spinola. Sed & hæc quoque fortitudinis bellicæ laus est, gulæ insaniam pro Patriæ salute perdomuisse. Ad te & me venio, qui litterarum tuarum conspectu languentem animum erexi. Voluissem utique tecum spectare stupendas istas Marchionis operas, & coronas, quibus urbem ad Romanorum exemplum cinxit. Sed quas tu erudito oculo adspexisti, ego artis istius ignarus adspexissem stupidus. Obsidionis istius & subsecutæ victoriæ fama orbem universum implevit, & Gallos, Anglos, Germanosque non leviter perculit. Neque enim crediderant conspirantibus in liberationem ejus quatuor Regibus, urbem illam expugnatum iri. Iamjam hac transit Laurentius Reael vir belli & Musarum studiis clarus. Is ad classem Anglicam cum Hollandorum navibus viginti propediem se conferet. Iter parant septimestre aut octimestre. Mansfeldio iterum potestas facta ab Ordinibus militem conscribendi. Sed eget æris Cappadocum Rex, Mancipiis locuples. Ex Anglis & Gallis conflatus jampridem exercitus penè totus diffluxit. Halberstadiensis oppidulum in agro Colonienſi diripuit, spoliavitque. Cohortes Tillianæ & Anhaltinæ ad nos adventant. Quid Comiti de Hoorn Bommeliæ acciderit, non ignoras. Ego summi viri ingloriam mortem ex animo lugeo. Merito cum Æneа dixerit:

O terque quaterque beatos,
Queis ante ora Patrum Trojæ sub mœnibus altis
Contigit oppetere.

Vale

Digitized by Google

Valè vir integerrimè, & cordatissime. Lugd. Bat. 1625.

22.

PETRO BOR, *Secretario Vltrajectino.*

Amplissime Vir,

Quum domum cogitaret filius D. van Someren, nolui eum sine meis ad te litteris ad suos redire. Etenim captanda nobis fuit occasio hæc, ut initæ inter nos amicitiæ ac necessitudinis sacrum fedus mutuæ scriptionis sacramento firmetur. Volui ego præire, ut tuas elicerem, & respondendi tibi necessitatem imponerem. Fateor, vix tantum tibi otii superesse à Curiæ negotiis, ut his minus lucrosis studiis vacare possis, tamen & amicorum habenda ratio, & post Reip. curas ad hæc studia secessisse, non omnino infrugiferum erit. Faciet hæc exercitatio, ut cum neglectis aliquandiu Musis in gratiam redeas, & quæ subinde in scriptoribus Latinis legis ipse ad usum tuum transferre queas. Qui solâ ciborum contemplatione oculos pascit, frustra est, nisi in succum eos & sanguinem convertat: ita, qui optimorum authorum flosculos ac elegantias legit solum, nec stylo accommodat. Incessit jampridem animum tuum Latini sermonis amor. Sed crede, nullâ re magis illum addisci, quam legendo & scribendo. Quos legere oporteat & quo ordine nuper præscripsi. Iam alterum postulo, ut styli quoque officio animi sensus apud absentes designare

Digitized by Google

queas. Nec est, quod rem magni laboris à me peti putes, cum in hoc studiorum genere te minus exercitatum sciam. Ideo enim optem te scribere, ut sine labore ea propediem possis, quæ jam molestiam fortè aliquam facessent. Illud quoque scies, te homini tui studiosissimo & amantissimo scripturum, qui si quid nævorum aut stribliginis offendet in scriptione tuâ, eadem illud libertate & fide significabit, quâ ad scribendum te impræsentiarum hortatur. Vale, vir spectatissime, & à me salve. Lugd. Bat. Cal. Aug. 1625.

23.

GODEFRIDO DE HAESTRECHT S. P.

FEriæ Caniculares, Nobilissime Vir, quibus animum laxare solent umbratici Doctores, me Vltrajectum invitarunt, cum amicis & dentium & suavissimorum sermonum commercia uti facerem. Te desidero inter omnes primum, inter plures unum. nec tamen ita desidero, quin aliquo modo te frui mihi videar, dum memoriâ humanitatis & singularis tuæ in me benevolentiæ animum sustento. Vti enim in tesseræ ludo, cum id quod volumus non cadit, arte sortem corrigimus; ita dum te careo, ideas tuarum virtutum fingo, meditorque; ac, quod miserorum est, imaginariâ cœna stomachum deludo. Imò hæc ipsa dum scribo, tecum mihi loqui videor, & pristinæ felicitatis portiunculam aliquam delibare. Quam penè totam mihi assequi videor, cum

Digitized by Google

cum litteras tuas video, quarum lectione non minus reviviſco, quam Solis radiis ſub Veris adventum iners tellus. Tu jam in otio poſitus quid agis? cœli ſpatia metiris an terræ? Quodcunque feceris, dignum tuâ indole feceris, & raris ingenii dotibus. Sed & amicitiæ non ita vaſta ſpacia eſſe ſcias, quin & ea quoque metiri poſſis, non radio, ſed mutuis crebriſque ſalutationum & litterarum officiis. Illa dum facis, admirabilis mihi es, hæc cum facies, amabilis fies. Illa te plus quam vulgariter doctum, hæc plus quam vulgariter amicum probabunt. Illis ſtudiis ſapis, his vives. Vitæ enim ſuaviſſimam partem tollit, qui amicitiæ officia, mutuaſque operas, tollit. Mitto apographum ejus Carminis, quod Thibautio ſcripſi, Tu namque putare eſſe aliquid nugaſque meas apinaſque ſolebas. D. Hogerbeetius carceres priſtinos liberiore domicilio commutavit. Intra primum ab urbe lapidem deſignatæ illi ædes, extra quas, Canonicorum initiandorum ritu, pernoctare ipſi non licet. Tantum valuit Principis novi interceſſio. Is Hagæ eſt, miles in præſidiis locatus, Danus adhuc adventat, Gallus fluctuat, Italus victoriæ gloriâ elatior ſua repetere pergit. Oppidum S. Salvatoris in alio Orbe poſitum ad priſtinum dominum rediiſſe creditur. Nautis Duynkerkanis transfugis poteſtas facta eſt impune redeundi. Spinola moras trahit, an quia meſſem expectat? an quia ceris eget? an quia inducias molitur? tu divina, & Vale. Lugd. Bat. menſe Auguſto, 1625.

Digitized by Google

24.

CONSTANTINO HUGENIO.

Nobiliſſime Hugeni,

Heſterno die illuſtriſſimi Principis manibus publica Oratione parentavit Daniel Heinſius, & invicti Herois laudes magnifice exequutus eſt orator diſertiſſimus. Ego quanquam nec ſcripturiam valde, nec tam magno Principe digna à me dici poſſe confidam: in publico hoc tam auguſti funeris apparatu ἀσύμβολον [*inutilis*] eſſe nolui: & famæ periculum ſubire malui, quam profani ſilentii reus haberi. Nec, ut verum fatear, impetrare à me potui, ut tam luculentum & oportunum Poëtarum furoribus argumentum Muſis meis eripi ſinerem. Conatus itaque fui brevi hoc Poëmatio ſumma tantarum laudum faſtigia perſtringere; ne ſine Vate diſcederet is Princeps, cujus virtutum bellicæque fortitudinis vel umbram ſolum nulla vatum encomia exprimere valent. Mitto Carminis iſtius exemplaria aliquot. Optarem etiam Principi Auriaco illud exhiberi, cum faciles aditus & mollia fandi tempora eſſe noveris. Sed ab omni mendicitatis ſpecie hæc mea officia aliena eſſe volo, nec in turpem ſordidamque nundinationem has Muſas extrudo. Pro Poëmatum tuorum libro gratias tibi ago maximas. Eorum lectione ita afficior, ut enthuſiaſmo mihi corripi videar, cum in eruendis profundis eorum ſenſibus verſor. Non ſcripſiſti ea, mî Hugeni, aquæ poto-

Digitized by Google

potoribus, nec iis qui in Belgico carmine nihil præter rhythmum sectantur. Ex Characteribus tuis plenis reconditæ eruditionis, modò sapientiæ, modò virtutis præcepta, modò festivæ oblectationis argumentum delibo. Quàm lepide Medicorum ordinem perstringis? Quam graviter boni Concionatoris munia enarras. Sed cur nullum mali Concionatoris characterem exhibes? An quia nullum talem esse arbitraris? an quia à crabronum ictibus tibi times? Posterius suspicor. Provinciam quam nactus es ampliſſimam digniſſimamque tibi ex animo gratulor, & majora tibi & virtutum tuarum & laudum incrementa precor. Vale Vir præstantissime. Lugd. Bat. 1625. Septemb.

25.

GODEFRIDO DE HAESTRECHT.

NOn oblivione tui, aut negligentiâ mea rariores ad te dedi litteras, Nobiliſſime Haestrechti, sed temporum iniquis occasionibus præpeditus. Avocarunt utique me ab urbe amicorum meorum funera, quorum exequiis, quæ Brilæ celebratæ sunt, me interesse oportuit. Quanquam & operæpretium fuerit aliquandiu siluisse, ut te expostulantem audirem. Exosculor enim illas tui litigantis voces, & tunc te amiciſſimum mihi comperio, cum inimiciſſimum te esse simulas. Verum operam dabo posthac, ne irascaris, aut silentii mei pertinaciam ultrà exprobres. Ita enim te litteris meis obtun-

Digitized by Google

obtundere in animum induxi, ut non ſilentii, ſed nimiæ loquacitatis me propediem ſis incuſaturus. Quæ de valetudine tua triſtia mihi narras, animum mihi penè expectorant. nec jam ipſe meus ſum, quoad tuus eſſe deſinis. Itane vegetum illud, maſculum & toroſum corpus lectulo affixit aliquoties febricula. Odiem funeſtum, quo te maligna illa calamitas, me verò calamitoſum iſtud nuncium perculit. Sed gratulor convaleſcenti, & quaſi eâdem te cum animâ viverem, eundem tecum ſpiritum traherem, idem corpus. circumgeſtarem, & ſalutis tuæ gaudiique, & morbi doloriſque conſortem me experior. Tanta amantium conſpiratio eſt, & arcana connexio, ut vitam penè ac mortem communem ſociamque habeant. Loquor candidè, nec ad apparatum hæc ſcribo. Aut incolumem te videre geſtio, aut jucundiſſimam mihi vitæ meæ partem ereptam arbitror. Non deſinam, quod unum poſſum, apud Deum ſoſpitatorem noſtrum precibus contendere, ut te tibi primum, mox mihi reſtituat iis viribus præditum, quibus *Aiigeras diro fregiſti pulvere nubes.* Nunc per amicitiæ noſtræ ſacra fœdera & ſi quid tibi fuit. Dulce meum, precor, ut vel ad biduum ſaltem ad nos excurras, & tui compotes facias. Fortè in ſinum tuum effundam, quæ religio fuerit ſcribere. Scis, non benevolentia ſolùm & beneficentia, ſed & convictu conſtare amicitiam, qui amicitiæ velut flabellum eſt. Nec fruſtrà diſputat Ariſtoteles, utrum inter abſentes

Digitized by Google

abſentes amicitia coli poſſit. Ego, niſi lectionum compedibus vinctus detinerer, jam ad te non irem ſolùm, non properarem, ſed volarem. Supereſt, ut res geſtas in faſciculum compingam. Dordraci, urbe inter Hollandicas primariâ, acerrimæ contentiones exortæ ſunt inter ..... Iam ad Curiam edicto publico provocatum fuerat, cum ſive contendentium metu, ſive ne plebi in ſuperiores querulæ linguæ dicacis fibula laxaretur, Princeps Auriacus ſequeſter delectus eſt, qui re penſiculatius examinatâ *componere lites Inter Pelidem tentabit & inter Atriden.* Exequiis defuncti Principis Delphis interfui. Sed nec hæ reprehenſionis notam effugere potuerunt. Illud multos malè habuit, Dominum vander Myle in pompa funebri equum duxiſſe, ut Keneburgium alioſque taceam, quos Remonſtrantium ordini inſerunt publica judicia. Scribit ad me è Galliis frater, Soubiſium mari, Eſpernæum terrâ graſſari, illum contra, hunc pro Rege, bellumque illud increſcere indies. Regem pacis novas conditiones obtuliſſe, quas ſi admittant, pacem fore; ſin minus, bella horrida bella: In valle Tellinâ obſidionem Rivæ ſolviſſe Marchionem Couvrenſem, invaleſcente circumcirca Hiſpano: Sabaudum Genuenſi territorio exactum ſuis jam finibus timere. Claſſi Anglicanæ deſtinati milites partim moræ tædio, partim peſtilentiæ metu catervatim aufugiunt. Procerum ibidem Conventum, quem Parlamentum vocant, ſolvit Rep. fæviente ſuprà hominum

Digitized by Google

minum fidem lue istâ, dilapsis hac illac quæstoribus rationes publicæ turbatæ sunt. Vereor, ne magni illi conatus mole suâ & pondere ruant. Classis Duynkerkana adhuc in portu hæret, æstus marini ventorumque tempestates captans. Rex Daniæ vallo se tuetur, & intra terminos inculpatæ tutelæ, ut Iurisconsultorum formulâ utar, se continet. Interea Tillius Ducatum Brunsvicensem expugnat, urbeculas occupat, & præsidiis munit. Nostratibus nondum plenè persuasum est, Sinum illum *Todos los Santos* Hispano deditum. Exercet ille spes nostras, & vel hosti vel nobis ludibrium debebit. Vale, Vir præstantissime, & valetudinem tuam cura diligenter. Si Iupiter essem, ambrosiâ te alerem, quò immortalis efficiaris. Lugd. Bat. 1625.

26.

IOHANNI BOR, *Medico.*

Dilectissime Vir,

Desidero ex te intelligere, quî valeas, una cum mellitissima tuâ conjuge. Facit enim veteris amicitiæ & consuetudinis suavissima recordatio, ut libenter tecum vel præsens vel absens loquar. Ex quo tempore nuptiis tuis interfui, in quibus luculenta satis humanitatis tuæ & benevolentiæ erga me documenta dedisti, parùm aut nihil de te, aut rebus tuis intellexi. Illud tamen, ni fallor, jam nuper audivi, uxorculam tuam abortivisse, & tantos tuos labores absque

Digitized by Google

absque fructu periisse. Non est, quod doleas. Sæpe spes messis agricolam fallit, quam sequenti anno cum fœnore reddit benefica Natura. Forte idem tibi accidet, & unius fœtus jacturam gemellis compensabit Lucina mater. Theologi & Medici proliferum genus sunt: illi ob ocium & dies feriatos, quibus abundant, hi ob artis Medicæ peritiam, quâ naturæ negligentiam castigare, & impedimentis omnibus occurrere didicerunt. Sed quando tandem fidem solves, & nos invisos cum thori tui socià? Reciproca amicorum officia esse oportet. De meo erga se affectu non ambigis. Si minus instructà mensa te excepero, faciam, ne leporibus & suavissimis careas sermonibus. Feriæ Caniculares otia jam nobis faciunt amicis vacandi. Aut ne invisas necesse est, aut in pœnam invisam te. De Patriæ rebus quid scribam? Nota hæc arcana tibi magis, quam mihi. Fratrem enim habes, qui propius deos contingit. Vale pectus integerrimum, & uxori, parentibus, fratribusque salutem imperti. Lugd. Bat. 1625.

27.

GODEFRIDO HAESTRECHTIO.

Nobilissime Haestrechti,

Telam, quam tuo mandato orsus sum, feliciter pertexam, & ne veteri officio desim, res novas porrò enarrare pergam, licet non eâ gravitate, quâ res Romanas recitat scriptor Patavinus. Classis Anglicana, quæ hactenus Europæi

Digitized by Google

ropæi Orbis judicia exercuit, centum & octoginta navibus è portu solvit. Sunt qui eam Lusitaniæ, sunt qui Hispaniæ, non desunt qui Flandricis Insulis, quas *Azores* vocant, insidiari credant. Verùm, uti jam fama est, humanorum judiciorum temeritatem divina providentia elusit, disjectis hac illac dissipatisque ingenti tempestate navibus. *Dii meliora piis, erroremque hostibus illum.* Duynkerkana classis ejusdem tempestatis præsidio excessit, evasit, erupit. Dum enim nostri longius à littore recedere coguntur, ne, flante Aquilone, in Flandriæ vada impingant, illa spacium elabendi nacta nostros plorare jussit. Nunc in piscatores impune grassatur, & vota mercantium verberat. Arsenius in Galliam legatus abiit, ut inito cum Anglis fœderi Francorum Regis suffragio robur authoritatemque addat. Nec friget in Italia Mars. Hispanus Veruæ urbis portas ac propugnacula expugnat per ignes suppositos cineri doloso. Nempe, sub terrâ etiam bellum gerunt terræ filii, nec cœlum solum, uti Titanes olim, sed & Acheronta lacessunt. Genuates Pinnam arcem Sabaudo eripuerunt: In Valle Tellinâ Galli novis copiis aucto exercitu, quæ passi sunt à Papenheymio damna, quà possunt, resarciunt. Rex Cimbrorum bellum trahit, edoctus cunctatione subinde perfici plus posse, quam impetu & furore. Edictum ab Ordinibus Generalibus emanavit, quo reversi ex India Occidentali Argonautæ promissis stipendiis excidisse denuncian-

tur.

Digitized by Google

tur. Ita Salvator malè servatus servatores suos perdidit. Illud constat, remigium illud Ulyssis abominanda libidine, flagitiisque turpissimis indelebilem notam genti nostræ inussisse. *Nulla fides pietasque viris qui castra sequuntur.* Vale. Cal. Novemb. 1625. Lugd. Bat.

28.

IACOBO PETITIO S. P.

EXemplaria ista vultus mei curasti, sed sero admodum. Iam Panegyricum meum Henrico Principi dictum ad te transmitto. Tibi exemplar serva. reliqua amicis distribue, Goyeris, Helsdingio, & Borriis fratribus. Malim in his officiis tuâ, quam aliorum operâ uti: nec enim aliis ita familiariter usus sum, uti te. Etiam mihi vicissim quod curatum velis manda. Prætorem vestrum audio acrius in Remonstrantes animadvertere, uti & nuper Rotterodamensis concionem satis frequentem interpellavit. Collidimur magis magisque, & frangemur tandem, nisi avertat clementissimus Deus. O si sereno vultu nos adspectet votis multorum expetita pax. Iam bella sæviunt, & foris cum Hispano, domi inter nos committimur. *Quem das finem, Rex magne, laborum!* Scis quid Græciam perdiderit? Oratorum petulantia. Scis quid Romam fastigio decusserit? ἔρις. [*discordia.*] Et quod, quæso, malum nos perdet? οὐκ ὁρίζω. [*non determino.*]. Tu senti quod velis. nobis quod sentimus scribere non libet. Vale, vir amicissime,

Digitized by Google

ciſſime, & num verſiculi mei Canonico iſti placuerint fac ſciam. Ego, quâ ſum facilitate, illos ſcripſi tuo rogatu, in gratiam amici. Siletis uterque, & faſtiditis hominem vobis addictiſſimum. Nempe Aulæ viciniores eſtis, & mores Procerum imbibitis, qui humile vulgus vix nutu dignantur. Lugd. Bat. 20 Nov. 1625.

29.

CONSTANTINO HUGENIO.

NEc litterarum, nec amicitiæ officiis tibi cedam, doctiſſime Hugeni. Tu me verſibus tuis aliquoties alloqui dignatus es, & jam nuper ingenioſiſſimo Epigrammate, quod ob ἐναντιοφανεῖς ἀντιφάσεις mirifice placuit. Iam verſus repono, ſed, heu, claudicantes, quibus ſola carminum forma præjudicium creet. Vna cum iis Panegyricum meum mitto dictum Frederico Henrico Arauſiorum Principi. Nec enim, dum animum à rancidis Philoſophorum inſtitutionibus relaxo, quicquam magis, quam poëtarum ſeceſſus placent. Nec malè me de Republicâ mereri arbitror, cum Rectores ejus laudo. Scio non egere tantilli homuncionis præconio ſummos Principes, nec meo applauſu in tam auguſto Famæ theatro poſitis opus eſſe. Tamen volui, vel cum offenſæ metu, affectum meum erga Naſſovios teſtari, & nimis officioſus audire, dummodo civis bonus & φιλόπατρις [*amans patriæ*] habear. Nec honores prenſo, nec præmia aucupor. Vtraque

ſupra

Digitized by Google

supra sortem meam sunt. Scis Petronii dictum de bonæ mentis sorore. Nisi fortè paucis serus accidat, *quos æquus amavit Iupiter*. Ego tua & paucorum familiaritate opes meas æstimo, & à litterarum tuarum lectione lætior abeo, *Quam si me liquidus fortunæ, rivus inuret*. Vale, mi Hugeni, & quem amicum sors tibi obtulit, constanti ratione ama. Lugd. Bat. 17 Cal. Decemb. 1625.

30.

GODEFRIDO DE HAESTRECHT.

QVid causæ sit, Vir Nobilissime, quod tantopere de litterarum mearum tarditate conqueraris, non video. Ex quo enim tempore Ultrajecto discessisti, binas ad te dedi, uti non nisi binas ad te recepi. Nisi fortè hydropicis similis evadas, quibus *quo plus sunt potæ, plus sitiuntur aquæ*. Quas liticulas moves de *ab* & *de*, nec non de syllaba *chi*, infra Catonem sunt. Nec in eo res Græcorum positas arbitramur. Vti enim tu in imagine mea libenter Barlæum recognoscis, ita ego in istis nominis tui lineamentis te. Mitto iterum munusculum chartaceum, Panegyricum meum. Aliæ enim merces non supperunt, quas ad te extrudam. Sed ô miseriam! Danum fama est ingenti prælio à Tillio fusum, cæsis duobus Ducibus Wismariæ, capto aut cæso Obertrautio, aliisque exercitus regii præfectis. Concionatores nostri, ob missas naves in suppetias Regi adversus Rupellenses, ex

Digitized by Google

umbone in Ordines debacchantur, etiam editis concionibus, & religionis ſuæ ſocios ab iis opprimi conqueruntur, à quibus præſidium & opem expectare debebant. Nondum appulit Britannorum Legatus Buckingamus. Commiſſæ navali prælio Duynkerkanorum, naves & noſtratium aliquot: ex his duæ deſideratæ, reliquæ infami fuga ſibi conſuluerunt. Et terreſtres & æquoreos Deos adverſos experimur. Dic placandi viam & rationem. Aſſi aliam eſſe putas, quam ſeriam peccatorum reſipiſcentium & precum ardorem? Ego, cum & Patriæ bene velim, mi Haeſtrechti, doleo adverſam ejus ſortem, & iratum nobis ſupremum Numen: cumque tibi bene velim, eundem Deum efflictim rogo, ut mentem tibi ſanam, & noſtri amantem in ſano corpore uſque conſervet. Vale. Lugd. Bat. 16 Novemb. 1625.

31.

IOHANNI BODÆO à STAPEL.

MItto ad te, amicorum integerrime, Panegyricum hunc meum, quo ſummi Principis laudes adumbravi verius, quam expreſſi. Quod enim Fratri nuper præſtiti officium, etiam Huic me debere putavi. Aliæ merces in foro meo non proſtant. Vobis opes ſunt aureæ & argenteæ, nobis ſicca papyrus. Tantum inter Mercurium & Apollinem intereſt, quorum ille Amſtelodamenſium, hic Leydæ meæ tutelaris eſt Deus. Propitio ſatis utor Apolline, ſed minus

Digitized by Google

minus faventem habeo istum Atlantis nepotem. Nempe hic fraudum ac mendaciorum Deus est, sine quibus infeliciter mercatura exercetur. At Apollo noster *integer vitæ est scelerisque purus.* Illum vobis non invideo, modo hunc mihi indulgeant *Musæ*, *noster amor.* Vale. 24 Novemb. 1625.

32.

CONSTANTINO HUGENIO.

NEc de fide tua ac sollicitudine dubitavi, Hugeni nobilissime, nec me à te negligi suspicatus sum. Verum observantior fui amicitiæ, qua me dignatur tua humanitas, quam ut eam voluerim iterata petitione ac Principis tui interpellatione obsolefieri, ac veluti profanari. Verebar quoque, ne nimium familiariter te uti velle viderer, & jus scriptionis, quod mihi apud te esse pateris, utilitate quodam, & privati cujusdam commodi aucupio ac spe metiri. Iam cum reapse experiar, majore me adfectu à te diligi, quam vel credideram unquam, vel ingenii mei mereri potuit tenuitas, gratiam me tibi maximam & habere & debere profiteor: & huic soli culpæ me affinem esse agnosco, quod de tua erga me benevolentia minus confidenter præsumere ausus fuerim. Sed quam tu Barlæum tibi obstringis, qui honesta vocis tuæ suffragatione tantum Principem mihi conciliasti, usque adeo, ut etiam δωροδότης [*munificus, sive munerum dator*] esse velit. Scilicet in Aula notus

Digitized by Google

esse cœpi umbraticus doctor, & ejus favore dignus haberi

ὦ λαοί τ' ἐπιτέλεσφόρτιν, ἠ τόπα μέμηλε.

Cui populi sunt commissi, & qui talia curat.

Crede, mi Hugeni, tum me voti mei compotem factum, cum Principi tuo hoc qualiscunque officii genus non displicuisse ex litteris tuis intelligam. reliqua minus miror, licet, ut Homerico utar:

ἔστι κἀπὸ ξείλη' ἐστὶ, θεῶν ἐρικύδεα δῶρα.

Nec enim contemnenda sunt Deorum valdè glorioſa dona.

Quidquid sit, tibi id omne debebo, qui tuæ commendationis accessione pretium litterariis nostris mercibus non leve addidisti. Hodoporicum tuum legi summa cum voluptate. Et legimus plures. Neque enim præstantes istos ingenii tui fœtus, quasi mihi commodus uni, solus exosculari satis habui. Nos domi inter chartas librosque positi vix versus scribimus:

Tu pervigil illo (hic risimus divinæ Poëta istud divisum L illo)

Tempore, quo placidis Thetiis irata Camœnis
Obstrepit, & vatum turbant commenta procellæ,
Auriaci meditaris iter, plebejaque passim
Gaudia patricio cantas conjuncta favori.

Sparsus nuperrimè fuit rumor, Amstelodami Hermaphroditum, hactenus maritum, peperisse. Ea res, quanquam per eburneam portam, *Qua falsa ad cœlum mittunt insomnia manes*, erupisse credatur, visa tamen mihi fuit idoneum Epigram-

Digitized by Google

grammatis argumentum. Mitto tibi apographum, ut rideas; sed his legibus: primò, ne si quid comicum occurrat, fontem corruges. Nec enim semper serius est ipse Πατὴρ ἀνδρῶντε Θεῶντε, Ζεὺς ὑψιβρεμέτης. [*Virum Pater atque Deorum Iupiter altifremus.* Deinde, ne in Catonis cujusdam, aut supercilioſi hominis manus incidat. Vale, Hugeni clarissime, & diu lætus interſis populo Βαταβῶν. [*Batavorum.*] Prid. Cal. Decemb. 1625. Lugd. Bat.

33.
GODEFRIDO HAESTRECHTIO.

POëtarum princeps Maro circa finem lib. 6. Æneid. duplicem affingit Inferno portam; corneam unam, eburneam alteram, illam veri, hanc ficti falsique nunciam. Per hanc illud quoque erupit, quod non ita pridem de Rupellensium deditione scripseram. Nondum enim in Regis sui potestatem transierunt, sed terrâ à Gallis, mari ab Hautenio, obsessi, belli fortunam magnis animis sustinent. Dux de Rohan μέγα ἔρκος πολέμοιο [*magnum belli sepimentum,*] militem passim conscribit, ut obsessis succurrat, qui jam ad esuritionem penè adacti videntur. Ita & domesticis motibus concutitur regnum potentissimum, & externo in Galliâ Cisalpinâ bello parum aut nihil proficit. Classis Anglicana in Gaditano stat littoræ, ultimos veteris mundi fines, Herculisque columnas expugnatura. Sed in primâ excensione infeliciter à nostris pugna-

Digitized by Google

tum fuit, desideratis, ut ferunt, mille quingentis, tormentis sex, & equis rhedariis trecentis. Ita facilius non admittitur, quam ejicitur hospes. Quo jam se receperit iste Neptuni exercitus non dixerim. Buckingamus Hagæcomitis cum Ordinum delegatis, & Anglorum, Gallorum & Regis Daniæ Legatis de regni rebus consilia habet. Eorum cum nihil in vulgus dispalleſcat, sacro silentio mecum ista arcana venerare. Donec tenuis famæ aura ad nos perlabatur. Arsenius Parisiis est, regi & regiis consiliariis gratissimus. Agnosce vultus Aulæ mutabiles, & personatam regiam. Gubernator Isendici, cui nomen est Grenu, variarum fraudum in Patriæ bonum infelix fabricator, prope Grevelingam in Morinis, habitu indutus rustico, ab hostibus agnitus captivus ibidem detinetur. Nempe Arcem istam exploraturus iverat, ut si quà posset, Sinoniis artibus eam occuparet Martis axioma est: *Dolus an virtus quis in hoste requirat.* Rex Daniæ inducias quatuordecim dierum cum Tillio pepigit, pessimis, ut auguror, auspiciis. Remonstrantes ad Rotteram novis motibus urbem concutiunt, & modò sub Iove frigido, modò sub his vel illis mercatorum tectis magna frequentia concionantur. Recordor istius Horatiani:

O navis, referent in mare te novi
Fluctus.

Vale. 14 Decemb. 1625. Lugd. Bat.

34. CON-

Digitized by Google

34.

CONSTANTINO HUGENIO.

HOc ipso die, summo mane, honorarium Principis Auriaci in manus Iunonis meæ devenit, quæ aureo illo imbre perfusa frontem lætius exporrexit, & diem hunc inter auspicatos habere cœpit. Ego, mi Hugeni, Iovem illum, non Dictæum, sed Batavum colo veneror-que, non solum ob insignem munificentiam, qua me supra meriti mei sortem inauravit, sed quod in eorum me numero esse voluerit, quibus se quicquam debere putavit domus Nassovica. Vbi occasio feret summas Illustrissimo Principi gratias meis verbis age; si, ut hoc fiat, necessum putaveris, & Aulæ officia moresque exigant. In his enim plane ἄγροικος [*imperitus, rudis,*] sum, & pene ad pudorem stupidus. Sed quibus tandem officiis apud Te nomina mea expungam, qui tot humanitatis tuæ erga me testimoniis totum tibi obcerasti. Tu hederam suspendisti vino non vendibili. Tu litterarias nostras merces Principi encomio tuo & suffragio comprobasti, tantumque iis conciliasti gratiæ ac precii, ut luculentum adeo iis ἀνταπόδωρον [*remunerationem*] decreverit. Forte in heroïcam mentem subiit illud Salustii: Armis quam munificentia vinci Principem, minus flagitiosum est. Ego, cum alia ratione non possim; hæc benevolentiæ tuæ erga me argumenta grata animi recordatione circumferam, & bene de Republica ac Princi-

Digitized by Google

pe tuo, & re litteraria merendo, operam dabo, ne beneficium istud perierit. Vale, vir Amplissime, & nos porro ama. Lugd. Bat. 24 Decemb. 1625.

35.

DANIELI HEINSIO.

Vir Clarissime,

Epicedium hoc, quod in obitum viri præstantissimi Iani Rutgersii affinis tui conscripsi, ad te transmitto, ut videas, quantum me & tibi & affini tuo debere putem. Certè utrumque ob rares eruditionis dotes summopere veneratus sum, licet silendo magis quam loquendo. Vnum doleo, quod tanti viri amicitiam temporum mihi inviderit iniquitas. Nunc, quem vivum non potui, mortuum exosculor, & quum alia ratione non possim, hoc qualicunque pietatis officio prosequor. Aliorum quorundam Poëtarum censuram deprecari forte necesse non habebo. Tuam tamen, poëtarum hujus seculi facile principis seriò deprecor. Farre libant, qui thura non habent. Et gratas quoque Iovi esse nosti victimas, quæ infra hecatomben sunt. Si quid in carmine hoc nostro mutari velis, si quid addi, libere significa. Nulla religio mihi erit in hos abortivos Musarum fœtus sævire, ut si qua fieri possit in melius refingantur. Vale, vir clarissime, & me tui amantissimum redama. Lugd. Bat. 24 Decemb. 1625.

36. GO-

Digitized by Google

36.

GODEFRIDO DE HAESTRECHT.

Præstantissime Vir,

Non parum dignitatis ac splendoris nomini meo accessisse arbitror, ex quo tempore rerum novarum tum quæ domi, tum quæ foris geruntur, scriptorem me esse voluisti. Habent idem in mandatis Regum Principumque Legati. Quibus si honorificum creditur istud munus, nec mihi dedecori erit, aliqua officiorum parte ipsis comparari. Et quanquam Reip. nostræ Ephoris minus familiariter utar, ut quid rex reginæ in aurem dixerit, quid Iuno fabulata sit cum Iove enarrare queam, tamen ad Templariorum colloquia & sermones interdum admittor, qui jejunum stomachum pascunt horribilibus regnorum secretis: quæ tamen, quod in Veneris sacris nefas erat, revelare licet. Ajunt illi, arcem S. Angeli in Hetruriæ finibus eis Tiberim novis propugnaculis à Pontifice muniri, quo consilio non dixerim. Gubernator Mediolanensis Veruam oppidum in Padi ripa positum arcta obsidione premit, & Sabaudo necessitatem imposuit, se suaque tuendi. Brunsvicenses prælio superiores fuerunt, utinam bello essent. Danus occupatas à Tillio primo impetu urbeculas aliquot recuperavit. Comes Holsatiæ, qui Equitum Cæsarianorum agmen duxit, à rusticorum colluvie trucidatus, ignobili morte periit, ὡς φασὶ: [*uti ajunt*] Nec enim Æneæ dextra

Digitized by Google

dextra cecidit, quod Turno & Mezentio glorioſum fuit. Bethlemum Gaborem fati jura expleviſſe fama eſt. Quod ſi verum eſt, doleo tam oportunum mendaciis noſtratium argumentum ereptum eſſe utramque enim paginam facere ſolebat in Amſtelodamenſium chartis, hoc eſt annalibus Volusi. Non tot ver ranas, aut æſtas cicadas genuit, quot ille Hungarorum & Tartarorum millia ſola fama armavit. Lacunas habebunt hebdomadales faſti, quos ille mendaciorum pater fictis ſuis copiis aliquot retrò annis complevit. De Anglica claſſe hoc unum ſcimus:

Anchora de prora jacitur, ſtant littore puppes.

Ad domeſtica venio. Milites noſtri & Argonautæ, aut ſi navis, Senatus populusque ſcurrarum è Sinu, quem *Todos los Santos* Hiſpani vocant, domum reverſi ſunt: verum in Frederici Toletani laudes immoderatius effuſi, ſuſpicionem proditionis apud Indicæ Societatis Præfectos concitarunt. Centurionum aliquot capti Hagæ-Comitis in vinculis habentur. Nodus in ſcirpo quæritur, & tantæ calamitatis author aliquis & fatalis Ionas. Ex militibus præſidiariis, qui Delphis hyberna ſua habuerunt, & turbas nuper non leves dedere, nonnulli miſſa ſorte inanes ſuſpenſi ad ventos, avibus pro terriculamento ſunt, metu, ut in ſeditionibus fieri ſolet, ad plures, pœna ad paucos redeunte. Vale. Lugd. Bat. 1625.

37. IO-

Digitized by Google

37.

IOHANNI BOR, *Medico.*

CRebrioribus ego tibi litteris obstreperem, dilectissime Borri, nisi essent, qui domi mihi obstreperent. Hinc proles numerosa & garrula, hinc studiosorum interpellantium frequentia. Nec minus tamen tui meminisse vacat, & ex redeuntibus Ultrajecto amicis de valetudine tua sedulo perconctor. Quod si nihil ab illis audiam siniſtri aut inauspicati, acquiesco, & satis benè mecum agi arbitror, si vobis benè sit. Calendæ ad vos Iani redierunt, quibus vota facere solent amici, & fausta comprecari. Ego nec officio meo hâc in parte deesse volui, nec à Medicorum filiis aliena verba præfabor. Primum te sospitem & incolumem esse volo : ne cum tuâ ipse egueris operâ, alii eam frustra requirant. Deinde non optem, ut in tui gratiam multi ægrotent. nec enim patitur hoc Christiana charitas. Sed ut, cum ægrotare multos fecerit gula, à te morborum suorum solatio petitum veniant. Tertio, ne unquam te fallant dies critici, nec spem tuam ægrique frustretur iners ac ignora potio. Denique, ut qua facilitate laborantibus opem fers, eadem illi viciſſim dextram tuam inurent. Celeres enim solent esse pedes Medicum advocantium, tardi remunerantium. Iam Christiani hominis vota audi : Fidem infractam, charitatem sine hypocrisi, spem in adversis erectam serva, & vitæ hujus restitutor, æter-

Digitized by Google

æternam cogita. Vale. Lugd. Batav. Calend. Ian. 1626.

38.
THEODORO GRAVIO.

ETsi conspectus tuis multo mihi foret jucundior, gratiores verò sermones tui, tamen ingens illud utriusque desiderium lepidissimis tuis ad me litteris non parum solatus es. Itane apud Blæsios vivitur, ut ipsæ sordes, & sputa & latrinæ Gallorum materiam tibi scribendi suppeditent; & facundiam tuam ac lepores in putidis Francorum habitaculis explicare necessum habeas? Qualem tu mihi aulam depingis, & non potius Trophonii aut Caci antrum, domum à supellectile omni, hospitem à nummis imparatum filias tali patre dignas, & nescio qualem Grammatistam, *Perfectum* nomine, caput Anticyras relegandum. Oportunam tuis jocis gentem nactus es, cui si non absimiles offendes Italos, habebis jocularium satis, quibus itineris tui fastos infarcias. Non dubito, quin nullibi non Bataviam, & mundiciem illam Hollandicam requiras. Sed transiisti Rubiconum. Ista terrarum, hospitiorum, populorum, victus & amictus tædia tibi devoranda jam sunt. Tu exterorum mores, vitia ac virtutes in tuum transfer commodum, & honestis exemplis animum firma. Hospitam illam Ulyssis, & Sireneos cantus prætervehere. Numen illud summum ac tremendum antè oculos habe. Nec enim, si parentum aut ami-

Digitized by Google

amicorum te oculis subduxeris, illius subduci poteris. *Multa audi, dic pauca, tace abdita, parce minori: doctus majori cedere, ferre parem.* His præceptis munitus vel inter ipsos Getas tutus ambulabis. Reversus verò ad tuos, audies, *multum terris jactatus & alto.* De rebus meis quid scribam? valemus per Dei gratiam omnes, ego, uxor, liberi. Horum cum discederes paria numerabas tria; sed ubi ad nos redieris, ad septenarium excrevisse comperies. Nempe naturalissimum opus animantis est, perhibet Philosophus, τεκνοποιεῖν. [*liberis dare operam.*] Nec sacra conjugii aliter constant. Vale, mi Gravi, & ubicunque locorum fueris, honestam mei memoriam circumfer, valetudinem cura, & ab hominibus tibi cave. Lugd. Bat. mense Martio, 1626.

39.

GODEFRIDO DE HAESTRECHT.

ITane per scelestam hyemem amicitia tua refrixit; & quæ interjectos amnes, etiam amoris tui impetum stitit? Bis te absentem compellavi. semel per litteras, semel carmine, quod in Equi tui laudes fudi. Respondes solo silentio. quam vereor, ne quod Amyclas olim perdidit silentium, etiam amicitiæ nostræ jura pervertat. Meminit Plinius animalium, quæ amphibia vocat, quod partim in aquis, partim in terris degant. Horum exemplo modò apud Brabantos, modò apud Batavos habitas, illos terrarum, hos aquarum verius incolas. ut Mercurio opus sit, qui

Digitized by Google

qui viarum tuarum, & itinerum vestigia rimetur. Iam sero admodum intellexi, te Vltrajectum rediisse, nec minus elinguis es, quam piscis. Nisi amori nostro divortium scripseris, fac sciam quid de tuo in me affectu porro statuere debeam. Reapse comperis, amicitiam inter dispares minus stabilem esse. An maligna aliqua & hostilis aura afflavit genium tuum, ut jam negligenter habeas hominem tibi antehac clarissimum, & intimæ admissionis? Omnino futurum spero, ut cum vere incalescas, & sopitos pristinæ necessitudinis igniculos novo calore excuscites. Ego præco, tu nisi pari affectu responderis, fecialem mittam, qui bellum indicat, & capitalia odia denunciet, nullis hecatombis expianda. Mitto tibi Epithalamium, quod in Nuptias Hugenii lusi. Cogor amicorum votis obsequi, & invitiis subinde in Caballino monte obdormiscere. Nisi his officiis ad meliorem mentem revocari te patiaris, feram patienter contemptum. Novi nihil scribam, sed in adventum tuum reservabo horribilia secreta, quæ non nisi coram tibi recludere animus est. Vale vir præstantissime, & amicorum frigidissimè. Lugd. Bat. 10 Mart. 1626.

40.

CONSTANTINO HUGENIO.

Dilectissime Hugeni,

Nec litteras, nec versus rescribe, ne in novum discrimen valetudinem dubiam adhuc addu-

Digitized by Google

adducas. Facile enim, dum neuter adhuc ſtatus eſt, ex attentiore meditatione incaleſcent ſpiritus, hinc ſanguis, hinc habitus corporis. Tui magis, quam amici rationem habeas. Vbi firmior ac ſecura magis obtigerit valetudo, genio tuo obſequere, & loquacitatem meam ulciſcere. Mirabar, imo ſtupebam, te ad nuperos meos verſus tam cito, tam copioſe, tam ingenioſe reſpondere potuiſſe, idque ægro adhuc corpore. Vel tuo jam exemplo diſco, verum eſſe illud Ariſtotelis placitum: Animam non eſſe organicam, ſed ἀπαθῆ. [*affici neſciam.*] At contradictoria videor ſcribere, dum organicam eſſe nego, & tamen ex attentiori cura corpus affici dixi. Verum, cum intelligentem oporteat ſpeculari phantaſmata, fit, ut agente intellectu phantaſia ſuas quoque peragat partes. At hæc, cum corporea ſit facultas; fit, ut affectis ſpiritibus, proximo phantaſiæ inſtrumento, porro in corpus ſerpat noxa. Sed hæc Medicorum & Philoſophorum pulpam ſapiunt. Tu valetudinem tuam cura diligenter, ſi amas meam. D. Verburghio velim imperes, ut de valetudine tua me certiorem reddat, idque quam frequentiſſime. Iamjam ex litteris ejus ad parentes datis intelligo, nondum te eſſe ἀπύρετον, hoc eſt, ſine febre. Quare videbor intempeſtive Apollini egiſſe gratias, & claſſicum ante victoriam cecinisſe. Fiduciam hanc mihi fecerat carmen tuum, quod à febricitante Poëta profectum vix mihi veriſimile videbatur. Quæ ad plenam valetu-

Digitized by Google

dinis tuæ ſecuritatem faciant, ſuppleat ſupremi Numinis benignitas, cui aut porro vive, aut beatus morere. Lugd. Bat. 21 Iun. 1626.

41.

WILHELMO HERBERTO,

Penbrociæ Comiti, Supremo Magnæ Britanniæ Regis Cubiculario.

QVantum illuſtri tuo nomini debeam, Comes generoſiſſime, ex Oldisworthi tui ad Nobiliſſimum virum Conſtantinum Hugenium litteris, iiſque plane euangelici tenoris, jamjam intellexi. Nec enim in tam excelſo dignitatis gradu poſitus. Regique maximo vicinior, aſpernatus es hominem exterum, & longe infra mediocritatem eruditorum poſitum. Et cum admiratio tuis, ſolummodo virtutibus debeatur, dignatus quoque & gratiæ tuæ ac benignitatis patrocinium ſtudiis meis carminibusque impartiri. Non ſperaveram unquam futurum, ut Poëmation illud meum regium limen contingeret, nec tam faciles mihi ac benignos rerum æſtimatores polliceri auſus fui; quibus ignobilis poëtæ tantillus labor probaretur, nedum ut tanti Regis munificentiam prolectaret. Satis fuerit huic generi ſcriptionis, ſi intra veniæ ſpem conſiſtat. Nec mihi tam ſum Suffenus, ut etiam plauſum mereri arbitrer iſtos ingenii mei fœtus, aut potius abortus; quos licet ſingularis meus erga Regem Patriæ meæ fœderatum affectus extuderit, minus æquus tamen Apollo re-

Digitized by Google

respexit. Quæ enim dicendis tanti Regis laudibus par oratio inveniri potest ? Quis illa regiæ Majestatis decora digne expresserit poëta ? Vti Solis intuitu caligat oculorum acies & hebescit ; ita Regalis excellentiæ fulgor vatum mentem præstringit ; & in tantis conatibus utcunque cum industria pro virili quis contenderit, semper habebit materies, quod arti exprobret. Quamobrem quodcunque ad me redibit ἀνταπόδωρον [*remunerationis donum*] Regis, id omne gratiæ ac superfluæ largitati, nec non benignæ Celsitudinis Tuæ interlocutioni imputabo. Et quanquam generosior sit Musarum indoles, quam ut mercenariam operam vel summis Principibus locare credi debeant : tamen nec par est virtutis studiosum honesta ejus fastidire præmia, nec à glorioſis deorum muneribus vir sapiens abhorrebit. Vnum serio & obnixe precor, ut si quid de regiis virtutibus ingenii vel poëseos culpa detriverim, judicii tui æquitate excuses. Abunde, quod carminis elegantiæ deest, argumenti majestas dignitasque supplebit. Tibi vero, Illustrissime Heros, gratias me maximas & habere & debere porro profiteor, quod nomen meum regio favori insinuaveris, & quæ votorum meorum summa est, purpuræ contactu, ac propitio Serenissimi Regis Caroli vultu Musas meas beaveris. Feci ego, quod in augustis olim Romanorum Imperatorum triumphis fieri solebat, ubi post Senatus, Equitumque applausus ; suum quoque χαῖρε [*salve*] accinuit

Digitized by Google

nuit Quiritium vulgus. Vale, Comes generosissime, & Musarum alumnos tutela tua ac favore dignare. Lugd. Bat. 17 Cal. Iun. 1626.

42.

D. M. OLDISWORTHO,

Generosissimo Penbrociæ Comiti à Secretis.

SOlemni me tibi beneficio obstrinxisti, doctissime Oldisworthe, quod Regio nomini dicatum Poëmation Illustrissimo Penbrociæ Comiti, cum commendationis tuæ accessione exhibere non fueris dedignatus. Quibus enim gradibus tu Generosissimum Comitem, Comes Sereniſſimum Regem propius contingit; iisdem rusticis meis Musis in ipsam regiam aditus patuit. Vtique parario opus fuit, ut merces istas in tam augustum forum extruderem. Vix dixerim, quam me litterarum tuarum ad Nob. Virum, Constantinum Hugenium, argumento exhilaraveris: non solum, quod ex iis non subobscure colligam Britanniarum Numini placuisse hoc adfectus mei, aut potius ingenuæ temeritatis documentum: verum etiam quod tuo quoque calculo Poëtarum ordini accenseri merear, &, quod quantivis est pretii, luculentas mihi rationes suppedites virtutes tuas in posterum venerandi. Argumentum tractavi regium & illustre, ut tanto illustrior crederer vates. Solent quippe sculptores, ut mercibus pretium concilient, regum principumque vultus in æs aurumve inducere. Idem mihi institutum ex heroum laudibus

Digitized by Google

dibus famam mereri, & quam ab ingenio non possum, ab argumenti splendore benevolentiam aucupari. Nec ignoras, Musarum hæc esse privilegia, quamvis nullo Imperatorum edicto sancita: adire Principes, quos videris nunquam, salutare ignotos, laudare supra invidiam positos. Nec primum hoc à me factitatum, nec sine veterum ac recentiorum poëtarum exemplo. Vtinam, quam aliis non gravate concedis te subinde compellandi licentiam, etiam mihi tua facilitate usurpare liceat. Faxo propediem, ut Barlæum in eorum quoque censu habeas, qui procul ab omni simulatione & ambitioso fastu, amicitiam virtute, morum suavitate, & jucundo litterarum commercio æstimare ac colere didicerunt. Vale, vir eximie, & me ama, qui te quam maxime. 13 Cal. Iun. 1626. Lugd. Bat.

43.

CONSTANTINO HUGENIO.

OMnis, quæ hinc ad Penbrociæ Comitem, hinc ad Oldisworthum dirigitur gratiarum actio, *A te principium, tibi desinet*, Hugeni Nobilissime. Vnus enim tu horum omnium mihi favorem gratiamque conciliasti; dum nec domi nec foris illaudatum me posteris, & facundiam tuam explicas in laudes hominis nullo tibi merito obstricti. Sunt profecto hæc non levia sortis meæ solatia, quod sterili hac amicorum tempestate hos qualescunque ingenii mei proventus tibi probaverim. Amant applausum

Digitized by Google

Camœnæ & magnorum virorum suffragatione frontem lætius exporrigunt. Sed utinam aliâ ratione, quam litterarum officio & gratiarum actione gratitudinem meam testari possem. Verum nec erecta tua indoles requirit aliud redhostimentum, nec patitur fortunæ meæ tenuitas, ut paria tibi officia præstem. Vnum hoc superest, ut meritorum tuorum memoriam religiosè conservem; & diligentius aliquando excutiam vires patrimonii, quod Apollinis dono mihi obtigit. Vt si lege mutui mecum experiri aliquando in animum inducas, iftis bonis nomen meum aliqua expungam. Mitto litteras ad Britannos. Num inscriptiones conveniant tantis heroïbus velim advertas. Nec enim adsuevi terrarum Deos affari. Lætius in deprædicandâ Regis liberalitate exspatiatus fuissem, nisi obscurius hac de re ad te perscripsisset Oldisworthus. Nec ausus fui explicatius loqui, ne vel inanes spes voviſſe, aut confidentius quidquam mihi promisisse videri possem. Omnino decrevi operosiore sermone uti, quin etiam carmine affari Comitem Penbrociæ & adventantem Legatum, ubi de regiâ voluntate propius constiterit. Iam vale, & mecum aureos montes somnia. 2 Iul. 1626. Lugd. Bat.

44.
ARNOLDO BUCHELIO.

LItteras tuas, doctissime Bucheli, tradidit mihi cognatus tuas D. Vorstius, quæ me cum-

Digitized by Google

cumularunt ingenti lætitia. Gaudeo enim tibi emunctæ naris viro versiculos istos placuisse, perfunctorie, ut verum dicam, exaratos, & prout forte occurrebant in Goltzio numismatum formæ. Certè tuo judicio plusculum mihi tribuere ausim, eoque honesta ambitione in hoc scribendi genere nonnihil incitor. Scis laudatam virtutem crescere, & aliquod calcar subdere etiam mediocribus ingeniis applausus doctorum. Tuum erga me affectum, quem litteris tuis luculenter testaris, unice exosculor, & benevolentiam tuam officiaque, quæ mihi liberaliter ac prolixe offers, amplector. Non desinam ultra tibi nugis meis obstrepere, quarum quia aliquod apud te precium est, mitto Epicedium, quod scripsi in obitum Willebrordi Snellii Mathematici incomparabilis. Alluси ad celebratas Astrologis siderum imagines, iisque suum cuique luctum affinxi. Vides cur Ποιητὴς [*Poëtæ*] dicamur. Vale, vir humanissime, & quantum studiis, mihi fave. Lugd. Bat. mens. Aug. 1626.

45.

CONSTANTINO HUGENIO *Sponso.*

NOn utar longa circuitione, Hugeni clarissime, nec amorum solennia longa oratione interpellabo. Vnum petam, ut Poëmation hoc meum eo vultu excipias, quo jam Sponsam tuam adspectas. Versus istos intempestivos, &

Digitized by Google

veri accommodos mutaſſem facile, ſed nolui fœtum nova cura refingere. Periculoſa eſt omnis ſuperfœtatio in humano ſexu; nec minus in carmine. Tu interim amoribus tuis feliciter fruere, & more majorum de humano genere bene mereri incipe. Uxorem duxiſti, & in ordinem maritorum adſcriptus es, in quo nec Lentulos te, nec Celeres imitari oportet. Longa ſunt conjugii ſpatia, quæ moderata feſtinatione decurres citius, quam impetu. Raro diurnant athletæ fervidiores. Etiam hic intra auream mediocritatem ſtetiſſe virtutis erit. Nec tamen ea gravitate ad tribunal Veneris accede, qua Principum aulas conſcendis, & Naſſoviorum reſponſa expedis. Blandum eſt & imbelle animal uxorcula, quæ in viri comitate & lubentia ſolatium quærit. Faſtidiunt contemplationi deditos novæ nuptæ, & vivendi genus amant περιπλικὸν. [*activum.*] In ſcena modo ſerium, modo jocularem vultum actores induunt. Alium quoque tu in thalamo, alium in aula. Hic ſapiendum, illic deſipiendum, niſi forte ſapientiæ partes eſſe putes σωφρονίζειν. [*coire.*] Hactenus ex nullius præſcripto & dormiviſti & vigilaſti. Iam vero ad alterius arbitrium moderanda erunt hæc naturæ officia. Quæ Muſis aliquando indulſiſti pervigiliæ, amori indulge; & qui noctes antehac inter ſomnum & Poëticos furores dividere ſolitus es, inter ſomnum & Cypridem eaſdem partire. In iſtius jam militiæ conſenſiſti leges, in qua militare ſacramentum eſt: Mos

geren-

Digitized by Google

gerendus Thaïdi. In hac, ut pergam jocari, ita ſtationem tuam tuere, ne aut Sponſæ verecundiam expugnes vehementius, aut invadas timidius. Vale, 3 Non. Aug. 1626. Lugd. Bat.

46.

GODEFRIDO DE HAESTRECHT.

SEptimanæ jam effluxerunt tres & amplius, ex quo in publicum non prodii. In cauſa fuit febris recidiva, quæ cum variolorum reliquiis idque gravius quam ante me invaſit. Citius, quam oportebat, me aëri expoſuiſſe credor, & in proprias leges peccaſſe ipſe Medicus. Adeò facile, cum valemus, recta conſilia ægrotis damus, ægri ea ipſi negligimus aut faſtidimus. Interea non ſemel tui memoria animum meum ſubiit, & pertinax tuum ſilentium impatientiſſime tuli. Cogitabam diſplicere fortè amicum ægrum, quem non niſi ſanum vegetumque hactenus amaſſes: nec placere quicquam, niſi quod Deus & natura integrum ac ſalubre velint. Sed tantus tui animum meum inceſſit ardor, ut & gravius in me peccandi veniam tibi faciam. Imò negligentiæ tuæ ac inertiæ præmia mitto verſus hoſce, quos æger adhuc, ſed lentè convaleſcens, ſcripſi. Videbis adſperſas eſſe à febricula languoris poëtici notas. Tu judica, nec ſublime illud dicendi genus, quod in Panegyricis uſurpari ſolet, hic deſidera. Alia irati Achillis, alia amantis Paridis oratio eſt. Nunc ad publica me converto. Poſt ſuperatam & ſolo æquatam ve-

Digitized by Google

terum Saliorum urbem, Hulſtam Flandriæ propugnaculum ſtratagemate tentaſſe videtur Princeps, ſed fruſtra, uti belli incerta ſæpe ſunt molimina & eventus dubii. Præmonitum fuiſſe ab exploratoribus, aut transfugis hoſtem non dubito. Murmurat plebes, & proditionis crimina ipſis Proceribus ſolitâ temeritate impingit. Nempe effectum vellet omne illud, quod Principum conſiliis præconcipitur. Fama eſt, nec vanis autoribus ad nos perlata ingenti prælio inter Danum & Tillium pugnatum fuiſſe. Illum in fugam actum, deſideratis quinque aut ſex peditum millibus, equitatu diſſipato. Etiam Suecorum & Polonorum exercitus inter ſe commiſſi mutuis cladibus attriti ſunt. In Britannia turbata adhuc omnia ac ſuſpenſa. Rex, Gallorum, ut ajunt, inſolentia irritatus, omnem Reginæ comitatum, qui ex Gallis conſtabat, in Galliam abire juſſit. Buckingamo patrocinatur regius favor. Cætera, publici odii victima eſt. Gallus bello Italico expeditus pacem otiumque, armis præfert. Vtinam & nos aliquando ſalutaris illa dea reſpiciat. Sed altius Hiſpanorum animis inſedit Belgarum odium, quam ut Pacis conſilia audiant, aut admittant. Cauſa Præfectorum Maris, quos vulgo Admiralitates vocant, ſub judice adhuc eſt. Metuuntur calculi nigri, protrahitur ſententiæ dictio, amicis, uti opinor, intercurſantibus. Ni me fallit conjectura, dabitur venia corvis. Spinolæ modeſtiam laudo, qui otioſus noſtrorum laborum ſpectator, partis ac-

Digitized by Google

acquiescere videtur. Fortè annonæ, aut ærarii penuriâ. Vale, vir amicissime, & de pristino tuo in nos affectu cave quidquam remittas. 10. Septemb. 1626. Lugd. Bat.

47.

IACOBO PETITIO.

IAm antè ex nauta reduce itineris tui labores & errores intellexeram. Habes hoc cum magnis Ducibus Æneæ & Ulyssi commune: *Multum terris jactatus & alto.* Non alium ego profectionis tuæ eventum augurabar. Serius enim à nobis discesseras, quam ut ante occiduum solem trajicere posses. Per easdem quoque ambages, nos paulò ante ad nuptias tuas proficiscentes, circumduxerant isti remiges non uno digni suspendio. Dolui maximè uxoris tuæ vicem, cui ἐν γαστρὶ ἐχούσῃ [*uterum gerenti*] omnia mala duplicata accidunt. De obitu Pinackeri nostri nihil inaudiveram, sed certâ auditione habeo Molanum Brielæ è vivis excessisse, & funus publicis exequiis, connivente Magistratu, elatum. Hanecopii factum an prudentiæ an timori magis affine sit, ambigo. Non debebat, me judice, Ecclesiam deserere, nondum ab eâ desertus. Transivit hàc Canonicus iste ex Holsatia redux, *dives agri* (uti jactitat) *dives positis in fenore nummis.* ideoque me Cappadocum regem alloquio suo dignatus non fuit. Stochios, aliosque Lucullos adiit. Ego fastidiosi hominis sermonibus carere possum, & plorare eum jubeo. Non

Digitized by Google

Non libenter pediculosi itineris narrationibus aures commodo. Hesterno die percrebuerat rumor Principem adventare. Iussi sunt ilicet cives omnes in armis adesse, epulumque paratum Principi vel ad luxum. Expectatum fuit in seram vesperam, faces passim per plateas accensæ diem mentiebantur. Tandem nuntiatum, Principem, ubi Leyderdorpiam venisset, Hagam deflexisse. Tum se quisque domum recipere, alii Principem, alii Magistratum, à quo præmonitus non fuerat Princeps, nedum invitatus, culpare, quisque, prout in eum erat animo, mussitare. Hostis jam totus est in perfodiendis Cliviæ agris, ut Mosam Rhenumque committat. Legatus iste Gondamar, qui simulatis nuptiis ante annos aliquot Regem Iacobum à Germanico bello avocavisse creditur, Bruxellis Hispaniam repetens in itinere obiit. Tillius in agro Brunsvicensi rerum potitur. Danus reliquias colligit *Danaum atque immitis Achillei.* Transiit hàc Professor iste è Gallia redux, cui, *Cæsaries calvum contegit empta caput.* Sed nec hujus alloquio frui licuit. Vale. 8 Kal. Novemb. 1626. Lugd. Bat.

48.

GODEFRIDO DE HAESTRECHT.

NEscio an præsagi & fatorum præscii fuerint sermones isti, quos non ita pridem de Snellio mecum habuisti: quippe quos postero die excepit viri clarissimi mors. Præstat librum istum

Digitized by Google

istum Thibautii apud te servari, quam ut in manus hominum artis istius imperitorum deveniat. Non malè evenit tibi tua divinatio. At doleo publicam Academiæ nostræ jacturam, quæ tanto viro orbata frustra parem sperabit. Minus enim parabiles hoc seculo sunt Mathematici, & rarius hæc studia penitus addiscuntur, ut docere ea possint, qui didicerunt. Excessit è vivorum numero magnus ille numerorum arbiter & judex. Extincta sunt lumina, quæ Batavi luminum oculorumque doctrinam illustraverunt: operiet jam illum tellus, quem toties conversis in se oculis detinuit stellifer æther. Sepulchri angustias corpusculo suo metitur, *qui radio totum descripsit gentibus Orbem.* Ad Eratosthenem suum abiit, nec reducet eum Tiphys. Quis Atlanti isti succedet Hercules? Annonæ magna jam apud Brabantos tuos est caritas. Non minor apud nos Mathematicorum. Crastino die horâ secundâ pomeridianâ postremum illi humanitatis officium persolvemus. Vellem te adesse, & ductorem aliquando tuum sequi. Post funus oratione laudes ejus exequetur D. Iacchæus. Ei hæc provincia demandata à Senatu Academico. Hæc dum scribo, nuncium adfertur, hostem ingenti stratagemate Slusam tentasse. Certum cæsi glorioſæ victoriæ spem morte redemerunt, reliqui fugati dissipatique. Habemus jam quo malos nostrorum successus & frustra tentatam Hulstam solemur. Vale. Lugd. Bat. 1626. 3 Novemb.

49. CON-

Digitized by Google

49.

CONSTANTINO HUGENIO.

IAmdudum ad te in castris hærentem scripturivi, Hugeni Nobilissime, verum cum didicissem nihil Musis cum Marte esse commune, & humaniores litteras classicorum strepitus aversari, officium styli in hoc tempus distuli. Gaudeo equidem te sospitem & incolumem è Morbonia ad tuos reversum, & vagos insalubresque castrorum situs stabili magisque salubri loco commutasse. Habes & domi, ubi castra metari possis, sed extra telorum jactum, in Polybii aut Vegetii campis. Vallos, propugnacula, aliaque exercitus munimenta formabit tibi apud Annalium scriptorem Drusus. Illa lustrare & oculis usurpare licebit etiam post indictum castris silentium & sacra vigiliarum tempora. Minus te afficiet Varus cadens, legiones cæsæ, aquilæ raptæ, quam turbatæ Batavorum phalanges, captus Wismarienſis, & manu, voce, vulnere pugnam sustentans Dominus de Potles. Si vinctum Rhenum, si pontes sublicios visere amas, etiam in Cæsaris Commentariis Rhenum ponte stratum in Menapiis & Trevirorum finibus comperies. Si Principum tentoria oberrare animus tibi est, tetendit illa apud Curtium Pellæus juvenis. Si classium placet conspectus, quantas tibi depinget Trogi abbreviator? quantas Patavinus scriptor in Libybæo promontorio? Faciem hanc belli, domi, cum libet, vides, ipse securus quid Tyri-

Digitized by Google

Tyridatem terreat, & quid Rex gelidæ meditetur oræ. Ego castra nec amo, nec sequor, nisi illa fortè, in quibus imbellis cum matrem puer semotis arbitris belli damna resarcit. Aliorum bellorum narrator esse malo, quam spectator, nec in illa fabulâ Purgopolinices sum aut Danus. Si quid hebdomadales chartulæ nobis impertiant, quod boni sit commatis, avidus illud arripio, & benè cum patriâ agi puto, cum tantis historicis securitatem suam probaverit. Sed hæc per jocum. Snellii nostri Mathematici summi mortem jam antè intellexisti. Ejus manibus hoc carmine parentavi. Præterea

Ausonias arces, & nomina clara triumphis
Accipe, nec nostræ sordeat artis opus.
Dissimulet Domini quamvis hæc pagina nomen,
Debebit domino non minus illa suo.

Nomen meum, inquam, non adscripsi, quia Italiam ipse non vidi, & ex aliorum solummodo narrationibus sapiendum mihi fuit, quorum si quis fortè fuerit, errorem & culpam præstare nolui. Vale, Hugeni præstantissime, & frater à me salutem. Me ut redames non petam, cum non amare candorem non possis. Mense Novemb. 1626. Lugd. Bat.

50.

GODEFRIDO DE HAESTRECHT.

HErbæ istius precium mihi numeravit vir iste à secretis Brederodio. Eam epigrammate hoc vel potius ænigmate describi posse arbitror.

Digitized by Google

bitror. Ego Sphynx, tu Oedipus logogryphum hunc explica. quod difficile tibi non erit, cui ingenium omnis elegantiæ capaciſſimum largita eſt benefica natura. Veniunt juxta ad te verſus in obitum Snellii ſcripti. Ad manum tum temporis erat Sphæra cœleſtis, in qua dum depictas viderem ſyderum imagines, ſubiit animum voluptas ea omnia breviter carmine complectendi, & ut quæque Manibus Snellii indoluerint poëticè explicandi. Crede, verſus extemporanei ſunt, nec ter ſcribenti effluxit clepſydra. Feſtinabat enim typographus, qui vacuas aliquot paginas ſordibus iſtis conſpergi volebat. Equi tui panegyricum ad te probè curatum non eſt quod dubitem. Si quid ſit, quod diſpliceat, præſertim circa colophonem, nullo negocio mutabimus. fœtus enim ſuos lambere & lambendo refingere, non urſorum modo, ſed & Poëtarum eſt. Hactenus feliciter pugnatum à ruſticis Auſtriacis. Iam omnis ſpes reſtituendæ per ipſos rei decollaſſe videtur. Habent quod indignentur Pappenheymio, qui ruſticitatem ipſis unà cum vita exuit. Danorum Rex in Albis ripâ copias colligit. Naves Morinorum & noſtratium bellicæ in Hiſpanico mari Martem ſpirant. Illic ſuper Phryxeo vellere, quod non è Colchide, ſed occiduo orbe petitum quotannis eunt Hiſpani, ſeriò pugnabitur. Vtinam Medeam habeamus, quæ Draconem aurei velleris cuſtodem ſopiat. Vale. menſe Novemb. 1626. Lugd. Bat.

51. GUI-

Digitized by Google

51.

GUILIELMO GROTIO.

VAcat adhuc in ædibus meis convictori locus: idem nempe ille, quem antehac occupavit cognatus tuus Brielius. Quare adolescentem, quisquis fuerit, libens recepturus sum, & qua potero viam illi ad uberiorem doctrinam & probitatem præmonstrabo. Ipsius erit ductorem sequi, & ad modestiam omnem vitam moresque componere. Nec enim aut nocturnos grassatores, aut bibaces spongias amo, quales ædibus meis exesse jubeo. Iisdem legibus, quibus aliis, & ipsi vivendum erit. Eum bonarum esse partium gratulor. Non parum enim ad familiæ quoque tranquillitatem hodie facit ἡ ὁμοδοξία. [*opiniorum consensus.*] & quoties inter pocula de rebus communibus sermo incidit, istos ἀντιλέγοντας [*contradicentes*] vix fero. Sunt ejusdem notæ & reliqui mei convictores. idem omnes volunt & nolunt, qualem veram esse scis amicitiam. Vale, charissime Groti, & juvenem istum non nisi post ferias Paschales adducito. Interim fac sciam, an parentibus stet sententia illum ad nos mittendi. Solent enim statim à Paschæ festo plures hinc inde è triviis Leydam advolare. Lugd. Bat. mense Febr. 1627.

Digitized by Google

52.

CORNELIO VANDER MYLE.

PArum forte obſervans dignitatis tuæ videbor, Nobiliſſime Myli, ſi petaces haſce Tibi chartas obtruſero. Verum cum benignitatis tuæ fiduciam mihi jampridem ingeneraverit perſpecta pluribus humanitas tua, nec ejuſcemodi litterarum miſſitatione moleſtus tibi eſſe ſoleam, omnino confido, aliquid ponderis apud te habituram commendationem meam, quâ maximi & mihi conjunctiſſimi viri cauſam apud te defero. Eſt is D. Matthias Overbequius, vir ſummis virtutibus ornatus, qui præterquam quod litteras humaniores & Philoſophiæ ſtudia non ſegniter tractet, earum quoque cultores liberalitate ſuâ fovet & erigit, partimque in Germaniâ, partim in hac noſtrâ Academiâ ſtudioſos duodecim ſuo ære ſuſtentat, raro & ſingulari exemplo. Litem huic viro apud Senatum Academicum movit Germanus quidam Bohemus, quem fodinis ſuis in Bohemiâ antè annos aliquot præfecit. Cumque Bohemus iſte laborum ſuorum fructus ab hoc repetat, hic à Bohemo viciſſim rationes accepti & expenſi exigat, longius quam par eſt negocium hoc à Senatu Academico, fortè iſtarum controverſiarum minus gnaro, protrahitur. Impetravit nuper Bohemus iſte litteras συζηλικὰς [*commendatitias*] à matre Principis Palatini, nec non à Palatino ipſo, & hoc agere videtur, ut cauſæ faciem Principum interceſſione

Digitized by Google

ne & authoritate invertat. Quamobrem petit obnixè noster, ut vel opere vel consilio ipsum juves, quo à Principe Auriaco litteris ad Senatum Academicum impetret, quibus causam ipsius eidem Senatui insinuet & commendet, ne præjudicium aliquod illi creet aliorum Principum interlocutio. Ego seriò rogo & obsecro, ut virum hunc de re litterariâ & communibus studiis egregie meritum favore tuo prosequi digneris, & voti istius compotem ipsum facias, vel per te, qui apud Principem gratiâ & autoritate vales, vel per alium, quem huic negotio idoneum judicabis. Hoc beneficio non me solum infimi subsellii hominem, sed virum hunc Amplissimum, cui felicitatis suæ partem debent Musæ, æternum obstringes. Vale. Lugd. Bat. 18 Feb. 1627.

53.

BALDUINO HAMÆO, *Anglo.*

IAm de fide tua ac promissis dubitare incipiebam, Hamæe charissime, & silentium tuum sequius interpretabar; cum oppido mihi litteras tuas tradidit Utenbogartius: quæ negligentiæ conceptam suspitiunculam discusserunt, & fidem tuam mihi probavere. Memor es transmarini præceptoris, ex cujus ore pependisti aliquando auditor, & humaniter me compellas, quem propriis tibi officiis devinxisti. Ego uti egregias animi tui dotes, & minimè vulgarem eruditionem semper æstimavi, ita mihi gratulor in Bri-

Digitized by Google

tanniâ obtigiſſe amicum, qui cum per litteras loqui poſthac licebit. Tuum erit in laudabili hoc cœpto perſeverare, nec tam grandis boni uſurâ privabis hominem tui amantiſſimum & ſtudioſiſſimum. Quæ de Regni veſtri ſtatu ſcribis, anxios nos reddunt & ſollicitos. cum præcipuum ſecuritatis noſtræ præſidium in veſtrâ poſitum ſit ſalute. Optarem domeſticas iſtas ſimultates ſopitas eſſe, quo junctis viribus communi hoſti obviam iri poſſet. Nunc, dum hic Britannorum, illic Gallorum, alibi Germanorum vires atteruntur, publicorum conſiliorum vis evaneſcit, & magnus ille Europæi orbis terror elabitur. quin commiſſis jam ſecum nuperi belli ſociis Gallo & Britanno in ſinu gaudet, & vicinorum Principum diſſenſiones, ad Philippi Macedonis exemplum, in lucro deputat. Quæ enim Erinnys vos cum Gallis commiſit? aut ut Homeri utar verſibus:

Τίς τ' ἄρ σφῶε Θεῶν ἔριδι ξυνέηκε μάχεσθαι?

Quisnam ipſos deorum liti commiſit ut pugnarent? Sane, *Hoc Ithacus velit, & magno mercentur Atridæ.* Loquar explicatius: *Hoc Aſtur velit, & magno mercentur Iberi.* De Buckingamo hic alii aliter ſentiunt. Scis querulum eſſe in rectores ſuos vulgus, & calumnias pronis auribus excipi, quas poſtea dies deterit. Mihi Heros iſte nec beneficio nec injuria cognitus eſt. Quare malim ἐπέχειν, [*judicium ſuſpendere,*] quam temerario & præcipiti judicio flagellare nomina publica. Rex Daniæ novis conſcriptis copiis bellum redin-

Digitized by Google

redintegrat. Præfectus Morgan Anglorum aliquot cohortes hinc in Germaniam transfert. Nobis minari quoque videtur Spinola, & novam obsidionem moliri. Nec segnius Ordines nostri & Auriacus de rerum summâ deliberant, ne quid Respublica capiat detrimenti. Venio ad privata. Victor ille noster tandem victus succubuit, & indignantem animam, nexosque artus resolvit. Exercuerunt in hoc juvene omne lanienæ genus Medici & Chirurgi. Fuisti ἀνυπόπλης [*oculatus testis*] aliquoties. Idem ejus malum hâc æstate recruduit, eodem quo ante loco absessum gigni vidimus, eadem symptomata afflixerunt miserum, tandemque subsecuta ἀτροφία [*alimenti defectus*] hominem confecit. Aperto abdomine, deprehensum fuit, musculum ψόας, [*lumbos*,] cui ren dexter, incumbit, computruisse. Hinc collecta puris copia versus inguina & partes inferiores prolapsa viam sibi fecit. Viscera omnia sana erant, & extra noxam omnem. En vitæ humanæ scenam, & miserrimam catastrophen. Ego te, mi Hamæe, valere jubeo, & ut de valetudine tua ac rerum vestrarum statu sæpius perscribas, obsecro. Lugd. Bat. 25 Mart. 1627.

54.

ABRAHAMO DOMINICI, *Frisio.*

Doctissime vir, Iam verum esse comperio Homeri illud ἄλλῳ ἄλλα ἔδωκε θεὸς. [*alii alia tribuit Deus.*] cui consonum est istud

Digitized by Google

Pauli : (si sacra licet conferre profanis) *distinctiones donorum sunt, sed idem Spiritus.* Ne longius abeam; intra Theologiæ fines consistant. In ea alii disputandi acumine, alii scripturarum intelligentia, alii in asserenda veritate, alii in expugnanda falsitate, alii apud populum dicendo, alii antiquæ Ecclesiæ & Patrum sententias scrutando reliquos post se relinquunt. Pauciſſimos tamen hæc cura mordet, ut dogmatum momenta, & eorum, quæ agere oportet, necessitatem serio expendant. Hinc fit, ut & controversiis inutilibus strepant Scholæ, personent templa, & traditionum rituumque non necessariorum mole, quasi sub onere, gemant Ecclesiæ, & Iudaicæ servitutis imaginem circumferant. Verum his malis te ἀλεξίκακον [*Averruncum*] videntur fata destinasse, qui viam monstrate aggrederis, qua commodissime necessaria à non necessariis discerni queant, quæque ea sint, quæ auri argentique & pretiosorum lapidum precia adæquent; quæ lignorum, fœni & stipulæ. In quo argumento videris ἴδιον [*aliquid peculiare*] à summo illo omnis boni datore Deo consecutus. Miratus sui, tam multa à te in hanc rem excogitari potuisse, ut vix quidquam aliis reliquisse videaris. Potuissent quædam latinius dicta fuisse. Sed dicam ingenuè, quod sentio. Amant sacra simplicitatem, & comptum illud dicendi genus fastidiunt. Rhetorum flosculos & verborum phaletas sectentur, quibus opus est suspensa hedera. Theologia, quæ fidem meretur, ob dicentis

Digitized by Google

centis autoritatem, calamistratam orationem, & mellitos verborum globulos negligit. Umbraticiis hæc Doctoribus relinquantur, qui levibus atque inanibus sæpe schematibus corpus orationis Theologicæ enervant. Sed quam vellem, ut qui singulari felicitate τεκμήρια [*certa indicia*] ista dignoscendi necessaria à non necessariis consignasti, jam à thesi ad hypothesin maxime necessariam descendas, & Articulos omnes tum fidei, tum morum in fasciculos colligas, quos tuis istis notis insignitos necessarios judicabis. Hæc enim vela illa fuerit & genuina veritatis πρὸς εὐσέβειαν [*secundum pietatem*] synopsis. Et magno redimam, si in talem aliquam synopsin, & sanorum verborum formulam conveniant Christiani. Elegiæ istius editionem, me inscio, nimis operose excusas. Nihil hic peccatum, cum jam Poëmatum meorum rapsodiam prælo commiserim. Sed risi deliberationes vestras super duplici Christi dextra. Rectè tu dexteram adjectivè interpretaris, prout idem significat quod propitius. Sic apud Poëtam: *Adsis mihi dexter Apollo.* Adhæc scis controverti apud doctos: num, quam siniſtram vocamus, sit dextera dicenda. Addam aliquid ex Philosophia nostra: dextrum & siniſtrum nihil esse in rebus, sed solummodo esse rationis entia. ut pro diversa mentis comparatione nihil vetet idem dextrum & siniſtrum dicere. Idumæos à Iudæis distingui notissimum est, sed promiscuè sæpe sumi apud Poëtas non minus notum:

Digitized by Google

Claudite Idumæi vasta Sacra funera petra,
Et tumulum armiferis cingite militibus.

Sed in his Batavorum res non vertuntur. Vale, & D. Pruyssenium saluta. Lugd. Bat. 15 Apr. 1627.

55.

SIXTO AMAMÆ.

QVem tu non postremum decus Bataviæ appellas, clarissime Amama, ut aliquid dicas ὑπερβολικώτερον, [*per excessum*] is se Bataviæ suæ non postremum dedecus & Academiæ hujus everriculum verius dixerit. Adeo quas in illo agnoscis virtutes, aut non habet ipse, aut si quas habet, quæ infra mediocritatem consistunt, pro despectis habent Batavi. Megarenses sumus οὔτε τρίτοι οὔτε τέταρτοι. [*neque tertii, neque quarti.*] Quo magis mihi gratulandum censeo, quod benigniora multo vestra judicia experior, judiciis nostratium. Licet & contemni pro nihilo ducam, & supra modum laudari fastidio sit. Incidi miser in infesta & sæva studiis meis tempora, nec ingenii tenuitate superare potui vitia illa magnis parvisque civitatibus communia, ignorantiam recti, & invidiam. Nec tamen adeo virtutum sterile est seculum, ut non & bona exempla prodiderit, & vigentibus aliorum odiis amicos mihi alibi conciliet, etiam in Frisia vestra, ubi Abrahamum Dominici & Staackmannum nominas, humanitatis, ita vocas, meæ præcones, & te ad mutua litterarum officia

Digitized by Google

officia demittis. quorum ego omnium amicitiam tanti facio, ut naufragii mei jacturam tot amicorum inopinato appulsu aliqua redemptam putem. Est hoc lenocinantis sibi naturæ vitium, ut magnorum virorum honestas amet suffragationes, & ex aliorum commendatione famæ aucupium querat. Abrahamum Dominici ex Eirenico suo nuper nosse cœpi. Staackmannum ex versibus istis, quibus Professorum vestrorum trigam celebravit. In illo uti singulare pacis Christianæ studium, ita in hoc egregium litterarum amorem exoscular. De te loquar parcissime, qui hoc nostro orbe facem Hebræis præfers, & eruditionis fama Curatores nuper nostros tui potiundi cupiditate accendisti. Sed ut ad litteras tuas revertar; Overbequius iste vir est eruditorum omnium & elegantiarum cultor summus. qui in magna opum affluentia, grande vectigal putat parsimoniam. Eum ut amicum, non ut patronum veneror. Si subinde unctior ab illo redeam, mercedem laborum meorum refero. Mecœnates olim Roma habuit, Batavia nostra desiderat. Superos fortè imitatur, qui dona non nisi laboribus vendunt. Vt illi libros istos I. Drusii inscribas, suadere non ausim, nec tamen dissuadeo. Si feceris, interlocutione mea viduæ causam & necessitates, quam potero benignè, ipsi exponam, & quid commendationis meæ accessio possit experiar. Ad laudem ejus hæc faciunt: quod cum Philosophiæ studiis Theologiam quoque conjunxerit:

Digitized by Google

rit : præclara ingenia liberalitate sua foverit & erexerit, quorum non pauci publicas professiones in variis Germaniæ Academiis adepti sunt. Adhæc in ipsa Batavorum Academia studiosos duodecim & ultra raro exemplo ære suo sublevat ac sustentat. Hæc ὀικεῖα [*peculiaria*] sunt. communia prætereo, quæ, prout visum tibi, dedicationi hic illic insperges. Aut ego malè calculum posui, aut spem viduæ non fruſtrabitur. Hujus verò consilii ipsum præmoneri minimè consultum arbitror. Nec enim videri volet ambitionem precio redemisse. Præstat facto ipso vim inferri ipsius liberalitati, quam per ambages eam circumveniri. Sed fac sciam ubi ad ipsum exemplar unum aut alterum transmissum fuerit. Vale vir præstantissimè, & nos ama. Lugd. Bat. mense Nov. 1627.

56.

CONSTANTINO HUGENIO.

Nobilissime Hugeni,

Bacchum olim antiquitas lætitiæ datorem dixit, coluitque, ego Te. Adeo beneficium beneficio, gaudium gaudio cumulas : ut jam de mutando foro cogitem, cum rationibus subductis non videam, qua me via tuo ære extricem. Cum Æschine meipsum offero, penè dixissem vernam, imò mediastinum : nisi, quæ tua est humanitas, manumittendos esse putes poëtas, vel propter mediocre ingenium. Quod si nolis, age, vel pedes meos creta alba nota, Romanorum more ; vel Iudæorum ritu aurem mihi perpu-

Digitized by Google

tunde, ut me non mei amplius, sed tui juris esse publice constet. Illustrissimum Carletonum intra biduum aut triduum Scazonte compellabo, eique adventum in Batavis gratulabor, unaque pro perlato ad me regio munere gratias agam. Postea Penbrociæ Comes & Oldisworthis luculentiore vel carmine vel epistola compellandi erunt. Verum, quod regiam istam liberalitatem silentio premi cupis, gravatè obsequar. Citius ringar, quam ut insignem Regis summi munificentiam, & ingentia tua erga me merita ingrato silentio involvam. Quid enim? vis me cogitasse, quid optandum fuerit, non quid impetratum sit? vis me æstimasse beneficium, non benefactorem? præterquam quod sciri expediat, aliquod quoque precium esse studiorum meorum apud exteros. Vale, mi Hugeni, & Patriæ, Principi, tuisque charus vive. Lugd. Bat. Cal. Maji, 1627.

57.

ARNOLDO BUCHELIO.

CArè satis versus meos redimis, Bucheli clarissime, qui pro tralatitiis istis Elegis integros remittis libros, Augerios, Salvianos, Riolanos, Actuarios. Si fas esset Musas ad mercatum ire, tecum eas mercari vellem, qui æstimare illa studia didicisti, quibus necessitas humana absque incommodo carere potest. Illud tamen ingenuè eloquar, pudori meo à te vim inferri, dum litterariis istis munusculis illum oppugnare non desinis. Quanquam enim non

Digitized by Google

non is sit rerum mearum status, ut δοτῆρας ἐάων [*largitores bonorum*] fastidire debeam, tamen sorte meâ majorem animum gero: nec is haberi velim, qui mercenarias domi Musas alam, & in scribendo carmine liberalior esse amem questus spe. Statueram omnino non amplius carmine te affari, ne viderer posthac utiliter fuisse officiosus. Verum cum ab amore & affectu in me tuo illa humanitatis tuæ officia profecta non dubitem, & egregium me vitæ meæ fructum referre credam, cum litterarum tuarum alloquio fruor: operæ pretium me facturum puto, si simili per otium arrhabone amicitiæ nostræ fedus obsignem. Quid, quod à morosis Philosophorum controversiis ad tranquillitatem carminis, tanquam ad portum faciliorem refugere amem. ut difficile mihi sit, hunc furorem non furere. Mitto itaque Elegiam extemporaneam, de Ascensu Christi in cœlos, ut quem in Cruce pendentem legisti, omni specie ac decore exutum, & veluti piacularem victimam, jam triumphantem ac supra cœlos ascendentem animo prosequaris. Scilicet, qua præivit caput nostrum, fas est subsequi membra: nec perpetuas diremtiones esse sinit amor conjugalis inter Sponsum Christum, & Sponsam, quæ Ecclesia est. Hâc spe erigimur in malis, & fastidimus præsens seculum, futuri conscii. Hac spe in terris hospites cœlum incolimus, & alterius Reip. coloni, alterius cives sumus. Symbolam tuam offers ad editionem Poëmatum meorum. Sed eam omnem

Digitized by Google

nem ſuis ſumptibus adornat typographus. Interea prolixam iſtam tuam humanitatem, animumque erga me propenſiſſimum venerabor & colam, quoad ſpiritus hos reget artus. Plura non addam, niſi ut tui obſervantiſſimum amare perſeveres. Lugd. Bat. 8 Maji, 1627.

58.

GODEFRIDO DE HAESTRECHT.

REdiit ab expeditione maritimâ Realius, verum nec ſuo, nec hoſtium ſuorum ſanguine adſperſus. Circa littora Portugalliæ per menſes quinque oberravit, in omnes nocendi occaſiones intentus. Sed hoſtium aut timiditas, aut prudentia magnas rerum gerundarum ſpes eluſit. Illi ſe portubus ſuis continuerunt, rati inter vanum timorem, & inconſultam audaciam medium iter teneri poſſe, nec probari prælia, niſi quæ neceſſitas imperaverit. E Britannia appulit Carletonus, extra ordinem miſſus Legatus, nec non regius quidam Miniſter, qui periſcelidis aureæ inſignia in Principem Henricum collaturus venit. Par enim eſt, ut qui laborum, etiam fratris ſui honorum particeps fiat. Nec mihi in auſpicatus fuit iſtius Herois adventus. Ante pauculos dies ad me miſit, Sereniſſimi Regis nomine, aureum torquem, δῶρον verè βασιλικὸν. [*donum regium.*] Iactet vetuſtas laureatos aut hederaceos Poëtas, ego auratus eſſe malim. Nec tamen tanti apud me eſt particula iſta melioris metalli, quanti favor regius, cujus

Digitized by Google

cujus ego hoc monumentum, quâ par est veneratione, inter sacra κειμήλια [*depositа*] asservabo, non contrectandum, nisi cum honoris præfatione. Iam enim libet apud te frontem exporrigere, nec aliter atræ diffugiunt sollicitudines. Hagæ Comitis de capite Remonstrantium comitia habentur. De Dano, Sueco, Gallo nihil habeo, quod scribam. Si tibi otium, aut scribendi argumentum non suppetit, majusculis litteris scribe vocem hanc emphaticam, *Valeo*. Ego longis hoc logis antepoſuero. Vale. 10 Maji 1627. Lugd. Bat.

59.

IACOBO PETITIO.

Dilectissime Petiti,

Ex quo Ultrajecto discessi, nihil de te vel fando audivi, ut cogar his litterulis & tuum & meum veternum excutere. Sed, quam stupui, cum audirem affinis tui filiolum, bene habitum illud βρέφος, [*infantem*] & naturæ luxuriantis germen decessisse. In illorum ordine est, de quibus Virgilius:

Quos dulcis vitæ exsortes, & ab ubere primo
Abstulit atra dies, & funere mersit acerbo.

Puto nimia cura & importuna sollicitudine enecatum infantem. Simiæ in tergum conjectæ & à matribus negligentius habitæ diurnant: at quæ amplexibus matris inhærent, petris facilè scopulisque illiduntur. Placet mihi tua in amando prudens mediocritas. Inter sordidam enim negli-

Digitized by Google

negligentiam, & profusum amorem medium iter teneri posse arbitror. Serenissimus Britanniæ Rex ante pauculos dies me aureo torque inauravit, per Illustrissimum Carletonum Legatum. Itaque damno illud Nasonis: *studium quid inutile tractas?* Et licet eo fine versus istos non scripserim, ut utiles essent; tamen minimè expedit, sapientem ista beatitudinis adminicula aversari. Duo adminicula: nec enim ad Beatitudinis essentiam faciunt, ut cum Philosopho loquar, sed eam illustriorem, splendidioremque reddunt. Ubi ad nos veneris, attrectare tibi non licebit sacrum illud depositum, nisi post solennem purificationem. Vale, vir suavissime, & multis mihi nominibus colende. Filiolæ tuæ valetudinem cura non nimis diligenter. Fruendum est liberis, sed ita, ut carere possis. Lugd. Bat. 7 Cal. Iun. 1627.

60.

M. OLDISWORTHO, *Britanno.*

MUnus istud regale hesterno die tuâ curâ ad me transmissum, Oldisworthe amplissime, qua decuit veneratione exosculatus sum, tuumque in illo erga me affectum studiumque singulare agnovi. Nunquam scripsi versus utiliores, licet iis non quæstum, sed gloriolam mihi quæsiverim. Habet enim, nescio quid, affine cum Philosophorum εὐδαιμονίᾳ [*felicitate*] Poësis. Illa propter se expetitur, sibique precium est. Poësis quoque in alios fines fordidos

Digitized by Google

didos ac ignobiles, præterquam sui amorem dirigi non amat. Illam divinum & πρωτότατον [*pretiosissimum*] bonum dixit Philosophus: Sed hæc Θεῖόν τι [*divini quid*] habet, utpote profecta à spiritu, quem æthereis sedibus derivant ejus mystæ. Quin & in hoc conveniunt: quod quemadmodum virtutis actio adminicula prosperioris fortunæ, ac præcipuè honorem anxiè non petit; ita & hæc nostræ contemplatio *Fortunæ secura nitet, nec fascibus ullis erigitur, plausuque cupit clarescere vulgi.* Verum, uti illam blande vestigat & ultrò ambit honor, etiam Poësis Regum, Principumque applausus & benigna suffragatione tacite fruitur. Nunc mihi longè à vero recessisse putandus est Petronius, elegantiarum sub Nerone Arbiter, homo Latini sermonis potens, cetera nequam. Is in Satyrico suo, sub persona Eumolpi exagitat Poëtarum sortem, qui in spem esuritionis versus scriptitent, & propter hoc ipsum malè vestiti incedant, quod poëtæ sint. Gratulatur adulatoribus, qui picto ostro ebrii jacent: gratulatur mercatorum sorti, qui dum se pelago credunt, ingens fœnus colligunt: gratulatur militibus, qui dum pugnas & castra petunt, auro donantur. Laudat conjugiorum pararios, qui præmiorum spe nuptas sollicitant. At solus, inquit, amor ingenii neminem divitem facit. Hinc querelæ ejus de bonæ mentis sorore, paupertate, de litterarum amatoribus infra pecuniam positis, quorum notam esse dicit, cultum non speciosum. Seculi nempe sui

Digitized by Google

sui vitium deplorat, ignarus futuri. Vivebat homo eruditus sub flagitiosissimo Principe, qui cum ingeniosas sectaretur libidines, coronas ad imperitos deferre solebat, tantoque mox litterarum odio exarsit, ut in hoc voto diem suum clauserit: Vtinam nescirem litteras. Alias vobis Britannis meus est, qui humaniorum artium studiis, Musarum patrocinio, & poëtarum egregio amore, Romanos posthabetis, & ingratitudinem istius seculi laudatissimo exemplo flagellatis. Obversabatur vobis Antoninus Severi Imperatoris filius, cujus erga Oppianum poëtam liberalitas veterum monumentis inclaruit. Obversabantur Honorius, Theodosiusque, qui honoris sui præconem Claudianum summis honoribus decorarunt. Et fortè Venetis laudem magnificentiæ invidistis, apud quos quantivis precii fuit Sanazarius. Quæ à me non dicuntur, ut cum tantis viris comparari velim, ipse humillimi spiritus poëta, sed ut ostendam, etiam mediocris Poëtæ habitam apud vos rationem, & in censum me venire illorum, quibus Reges annuere non abnuunt. Tibi verò, Oldisworthe humanissime, gratias ago, si possem, etiam referrem. Quanto excellentius est, Regis Serenissimi donum, tanto excellentius beneficium tuum: cujus magnitudinem dum serio cogito, ad silentium redigor, non immemor beneficii, sed oppressus. Torquem mittis, cujus cum plurimos annulos intueor, tot me tibi nominibus obstrictum puto. Torquem mittis, cujus cum nullibi

Digitized by Google

sit principium, nullibi finis, pari me forte involutum video, qui justæ gratiarum actionis nec principium nec finem invenire possum. Torquem mittis, cujus cum ζυζυγίαν [*copulatam feriem*] adspecto, Gratiarum Musarumque in te indivulsam copulam contemplor. Mittis aureum, ut regiæ Majestatis splendor, & Camœnarum precium eluceſcat. Mittis ponderosum, ac si sentire magis beneficium me velis, quam eloqui. Quare in Torquatorum familiam adscitus, hoc Regis dono, tua opera, quæram cum Statio: *Qua celebrem tua vota lyrâ?* & respondebo cum Marone: *grates persolvere dignas Non opis est nostræ.* Dicam cum eodem, ex veterum formula,

Dii tibi, si qua pios respectant numina, si quid
Usquam justitiæ est, & mens sibi conscia recti,
Præmia digna ferant.

Vale, vir doctissime, & longum vale. Lugd. Bat. 20 Aug. 1627.

61.

ARNOLDO BUCHELIO.

LIbentissime legi tuas litteras, Bucheli doctissime, in quibus jucundissimum mihi fuit, quod de regiâ liberalitate mihi gratularis. Est utique amicorum, & fecundis & adversis rebus mutuo affici, nec nisi communia putare tum calamitates, tum commoda eorum, quibus benè volumus. Apud Tragicum est: καλὸν θέαμα δ' ἐσὶν εὖ πεφ' ἕπων φίλος. [*pulchrum est spectaculum amicus felix.*] Iam ante per litteras te hujus

Digitized by Google

jus meæ felicitatis compotem feciſſem, ſed verebar, ne qua ex prudentia inſolentis me lætitiæ apud animum tuum redargueres, & immoderatius hunc blandientis fortunæ riſum ferre exiſtimares. Continui itaque me, contentus iis amicis hoc ipſum ſignificaſſe, apud quos metum tacitæ reprehenſionis diſcuſſit præconcepta ſummæ familiaritatis opinio, & morum inter ætate pares ſimilitudo. Docet Philoſophus, aliud eſſe inter æquales, aliud inter inæquales amicos officiorum genus. Et penſiculatius res humanas expendat Neſtor, quam Atridæ juvenes, Cato ſenex, quam junior Scipio. Tu, ſi libet, me jam non inter laureatos, ſed torquatos poëtas numera, quos, uti olim triumviros, ſua quoque commendat paucitas. Illud minimè vulgare eſt: Regem Magnæ Britanniæ Poëmation illud meum à capite ad calcem perlegiſſe, adhibitus duobus interpretibus, viris doctiſſimis, qui difficiliora quædam explanarent. Habeo hoc ex fide dignis autoribus. Comiti Pembrociæ Regiæ Aulæ præfecto ſummo poëtarum Mecœnati alio poëmate gratias egi, uti & Oldisworthο ejusdem Comitis Secretario. Vides, mi Bucheli, non ſolum fecundo calici vim iſtam ineſſe, ut diſertos faciat. Baudii ſortem memoras, cui minus feliciter ſucceſſit poëticum hoc negotium. Memini Scaligerum abiturium illi in Angliam cum ingenti lamborum mole ad Iacobum Regem, dixiſſe: Baudi, tu abis in Angliam gravis ſpe, ſed redibis levis ære. Nec fe-

Digitized by Google

fellit Vatem augurium istud. Quid dicam? Etiam hic Pluti sui lippitudinem detestetur Aristophanes. Vale, mi Bucheli, & valetudinem tuam seriò cura. Addidi litteris hisce exemplar Epithalamii. Sed nescio an dignum tuo serio & moribus. Veniam mihi da, si in hoc argumento minus sim gravis. Sacra illa aliter non constant, nec nefas esse puto alludere ad concessas voluptates. Steti tamen longè citra fescenninos. Vale, vir doctissime, & qui valeas, fac sæpe sciam. Lugd. Bat. 12 Iun. 1627.

62.

CONSTANTINO HUGENIO.

GRata mihi vehementer est memoria nostri tua, quam etiam inter arma & lituos non deponis. Eam ut conserves, non quo de tua constantia dubitem, sed quia mos est ita rogandi, rogo. D. Vossii, viri eruditissimi amicitiam Tibi non intercessio mea, sed præclaræ tuæ virtutes, & à summo ingenio profectæ lucubrationes facilè impetraverunt. Cui enim te minus notum esse putas, ejus jam ante judicio inter Patriæ nostræ lumina habitus es. Nec enim latere potest laus tua excelso & illustri loco posita, & clarissimis ingenii tui monumentis quaquaversum diffusa, quam & tunc illustriorem facis, cum humaniorum artium cultores singulari tua humanitate, sermonibusque suavissimis erigis & solaris: in quorum numero & me, nullo meo merito provocatus, esse voluisti. Librum viri istius

Digitized by Google

istius de Historicis Latinis, prout jusseras, apud Elzevirium compingi curassem, sed prævenit autoris liberalitas, qui simulac à Te desiderari illum intellexisset, exemplar tibi transmittere ultro voluit: partim, quod ad laudem quoque suam pertinere putaret à te judicari, partim ut hoc litterario munusculo amicitiam tuam, quâ nihil ipsi est antiquius, aliqua appignoraret. Magnam nos hic spem concepimus potiundi Grollâ; sed moras incusant, qui belli rationes & incertos casus ignorant. Ego de Principe nostro ita statuo, nihil esse, quod non existimem laudis & gloriæ causa facturum. Tuam vicem doleo, qui mitissimi vir ingenii, & à cruentis istis spectaculis ac militum laniena, qui decem & minus denariis, teste Tacito, venales habent animas, alienissimi, ea coram vides, & oculis usurpas, quæ nobis vel auditu acerbissima sunt. Nisi Batavus essem, exclamarem cum Virgilio:

Nulla salus bello, pacem te poscimus omnes.

Nunc fortè dicere expediet: *Una salus bello, pacem sic poscimus omnes.* Quod mihi amorem tui toties commendas, facis tu quidem amicorum more: sed velim, sic existimes, me quum amori, quem inter nos mutuum esse gaudeo, plurimum tribuere, tum de summo ingenio & optimis studiis tuis ita judicare, ut neminem tibi anteponam, comparem paucos. Vale, Hugeni, & da operam, ut valeas; hoc mihi gratius nihil facere potes, ὡς γεγράφῃ [*ut scribit*] Cicero ad Cornificium. Lugd. Bat. 18 Iul. 1627.

63.
MATTHIÆ OVERBEQUIO.

PRimum tibi, ut debeo, gratulor, Overbequi chariſſime, lætorque, quod ſoſpes & incolumis poſt devorata maris terræque tædia ad urbem deſtinatam appuleris. Nec profecto fas erat, iratis illum Diis navigare, qui tot Dearum (Muſas intelligo) patronus audit & fautor. Anxium ſæpe me habuerunt ſubortæ tempeſtates, quæ ne te quoque mari vectum proſequerentur, ſerio timebam. Supereſt, ut jam redituro propediem votis precibusque juvem. Si uxor eſſem, in hæc verba ſcriberem:

Nil mihi reſcribas, attamen ipſe veni.

Iam rerum noſtrarum hiſtoriam audi. Princeps noſter propè Arcem Schenckii, quæ in divergio Rheni eſt, undique è præſidiis evocato milite potentiſſimum cœgit exercitum, copiis conſtantem pedeſtribus ducentis & ſexaginta, equeſtribus quinquaginta. Curribus navibusque commeatum, aliaque caſtrorum impedimenta vehentibus fervent viæ & flumina. Incertis adhuc auguriis tenemur, quo hæc tendant. Niſi quod jam eò hic apparatus ſpectare videatur, ut Foſſam illam magnis ſumptibus ab Iſabella ad committendos Rhenum & Moſam duci cœptam, vi ſubruamus. quod ſi feliciter ſucceſſerit, tum de obſidenda Veſaliâ cogitari conſtans fama eſt. Embricam cum exercitu Princeps præteriviſſe dicitur, altiusque verſus Geldram

Digitized by Google

dram & Venlonium contendere, quæ loca, uti & cœptam fossam, tuetur Comes Henricus Bergius, exercitu non adeò numeroso, equitum turmis triginta, peditum septuaginta. A classe Anglicana, quæ jam in littore stat, metuunt sibi Flander & Gallus. Gliscunt adhuc inter hunc & Britannum obortæ contentiones. Classis nostra Indica ad Occidentem aliquot Hispanorum naves mercibus exuit, quarum quatuor jam pleno spoliis hostibus ventre appulerunt. Northeymium tandem in potestatem Cæsaris transiit. Danus exercitum milite pedestri ex Anglia, Scotia & Gallia evocato supplet. Ex re Batavorum foret, si bellum istud Albim & Visurgim inter protrahi posset. Nos hic feriamur & ocio abundamus. Academia missa est. Domi tuæ omnia salva sunt ad equos & gallinas usque. Domi nostræ filiola mea Elisabetha cum lento morbo conflictatur. Vxor ab exulcerata mamillâ malè habet. Hæc conjugii sunt præmia, his voluptas tantilla doloribus emitur. Sed sero sapiunt Phryges. Vale, vir amicissime, & valetudinem tuam cura, si amas meam. Lugd. Bat. 19 Iul. 1627.

64.

ARNOLDO BUCHELIO.

AD priores tuas litteras jamdudum respondissem, reverende Bucheli, sed frigoris inclementia, quæ flumina, etiam scribendi impetum retardavit. postea etiam ipsius inertiæ subiit

dulcedo quædam, & inviſam primo deſidiam amare cœpi. Nunc ſerò ad officium revertor, & cum glebâ ac tellure reſolvor. Illud pudet, quod ſenex juveni veternum excuſſeris, & humaniſſimis tuis litteris excitaveris ſopitum penè quem profecto ſoporem meum aut languorem ſuccidanea diligentia corrigam, nec patiar, ut à ſexagenario de ponte dejiciar, aut poſthac benevolentiæ ſtudiis poſterior ſim. Academia noſtra poſt longas ferias tandem ad ſolitas operas reverſa eſt. Mirum, quam amet dilucida illa intervalla, & frigoris incommoda in lucio deputet. Heinſii Ariſtarchus, ſive in Nonnî Euangelicam paraphraſin notæ jam carceres mordent. uti & Voſſii de Hiſtoricis Latinis libri. Melchior iſte Barlæus, cujus mentionem injicis, patruus meus fuit, poëta celeberrimus, qui præter illum de Diis Gentium, quem habes, etiam Brabantiados libros ſcripſit, de Raptu Ganymedis tres, aliaque, quorum exemplar unum apud me aſſervo. Fratrem habuit Caſparem, patrem meum, & hunc poëtam, ſed humilioris ſpiritus; & tres alios Iacobum, Iohannem, Balthaſarem, omnes humanioribus litteris inſtructos, natos patre Lamberto Barlæo, archivis Curiæ Antverpienſis præfecto, qui in magnâ felicitatis ſuæ parte ponere ſolebat, quod cum magno Eraſmo ſermones contuliſſet. Τῦτο πατρὸς ἔυχομαι εἶναι. [*hoc me glorior patre natum.*] Et ſi poëtices ſtudia ſpectes, uſurpare poſſum illud Virgilii: *Et me animo repetentem exem-*

Digitized by Google

exempla meorum, Et pater Æneas, & avunculus excitet Hector. Adlubescunt mihi lusus isti Poëtarum fateor; sed à gravioribus studiis sæpe avocant, & prurítu incessabili mentem lancinant, ut difficile sit ab iis temperare, etiam cum maxime expediat. Nec enim amor Heliconis quenquam divitem fecit, & ut ad Petronii versus alludam:

Ista pruinosis horret facundia pannis,
Atque inopi linguâ desertas invocat artes.

Poëmata mea tandem, amicorum rogatu, prælo commisi, quibus non parum gloriæ ac decoris fenerabit nominis tui dignitas ac reverentia. Pro Medicis istis opusculis gratias tibi ago maximas, & siclum istum ob veteris ævi memoriam veneror. Elegiam in ἀνλάδωρον [*remunerationem*] mitto, de Cruce Christi, hoc tempore scriptam, quo Passionis Dominicæ memoriam celebramus. Si Poëtarum flosculos in eâ desideras, pietatis tamen professione excusabitur. Vale. Lugd. Bat. 20 Sept. 1627.

65.

ADRIANO BLYENBURGIO.

QVanquam sine versibus, & tua & sponsæ vota expleri possunt, Blyenburgi præstantissime, nec tempus illud hoc studiorum genus valde requirat: tamen ne aut officio meo aut promissis defuisse viderer, scripsi, quod jam mitto, Poëmatum. Sub Prosopopejæ schemate dixi, quæ inpræsentiarum dicenda habui. Iam

Oceanum patrem, jam matrem Amphitriten, jam Vahalim loquentes facio & gratulantes. Hoc unum ſtudui, ut & tempori, & perſonis accommoda dicerem. Hinc illa in agri Dordraceni inundationem digreſſio, ſtatus vidui commendatio, & prætoriæ laudes. Si minus ſerius, aut Philoſophus tibi fuiſſe videor, cogita, conjugum officia luſus eſſe, nec hic de Stoïcorum ſeveris præceptis ſermones habendos. Tolle feſtivitatem, tolle joces, & γλυκυθυμίαν, [*cupidinis blandimentum,*] periit Epithalamium. Tu, quibus oculis ad blanditiem & amorem compoſitis Saræ tuæ jam annuis, verſiculos meos luſtra, ſed non niſi poſt perſolutum Veneri tributum. Alia enim jam te cura coquit, & verſat ſub pectore fixa. Vbi deſævierit prima tempeſtas, tranquilliore magiſque attento animo ad has poëtarum nænias accedes. Iam vale, & *novis ordire maritum Auſpiciis.* Lugd. Bat. 20 Septemb. 1627.

66.

IACOBO PETITIO.

HAc te tranſiviſſe, chariſſime Petiti, jam ante ex aurigarum parario intellexeram. nec ægrè fero, ſi ſocero feſtinanti morem geſſeris. Alias alienum eſt à moribus tuis amicorum fores prætervehi, absque diverticulo. Et benè quidem tibi ceſſit iſta feſtinatio, cum eadem nocte prole te auxerit Lucina, licet ſequioris ſexus. Candidatus es τεκνοποιητικῆς, [*tec-*

Digitized by Google

[*tecnopoëtices. id est artis illius quæ in liberis procreandis versatur*,] lauream impetraturus, ubi tui similem genueris. Dicam cum Iuvenali: *foribus suspende coronas, Iam pater es.* Quin virum te esse memineris, & illorum ordini adscriptum, qui de humano genere benè mereri in animum induxerunt. Quantum enim est, hominem dedisse mundo, patriæ civem, Ecclesiæ Christianum genuisse. Si vota exigis, faxit Deus, ut adultior illa cum forma pudicitiam, cum opibus pietatem conjungat, & parentibus suis in solatium pariter ac subsidium crescat. Consules vobis melioris commatis obtigisse gratulor, quanquam parum ista ad restaurandum Ilium. morientibus lenta parari remedia video, fortè profutura nepotibus, aut qui nascentur ab illis. Sed audi, quo te nuncio percellam. Nicolaus Hasius, cujus te memoriam prorsus non exuisse arbitror, post trium lustrorum absentiam, ex Italiâ huc ad nos rediit, vegetus & sanus. Nobilis iste Gedanensis, cui hactenus operam dentium locavit, Parisiis fatis concessit. Te aliosque amicos invisere statuit. Vale, & puerperæ uxori tuæ nostro nomine solennia verba profare. Rectoratu Academico hoc anno fungetur D. Polyander. Antonius Victor in Teutonicæ domus ordinem adscitus lentis passibus ad generum Cereris properare creditur. Cadaver dixeris non hominem. Vale. Lugd. Bat. mense Octob. 1627.

67. COR-

67.

CORNELIO QUACQUIO, *Sponso.*

Doctor Quacqui,

Vtique gratulor, tantum valuisse commendationem meam, ut voti tui sponsæque compos factus fueris. Nec tamen illam à singulari meo in te affectu solummodo profectam puta, sed à virtutum tuarum conscientiâ quam maximè. Etenim & modestiæ diligentiæ & tuæ memoriam recentem adhuc circumfero. Nunc supereſt, ut propitios tibi Deos conjugales comprecer, &, ut tempori convenientia loquar, facilem sponsam. Nuptiis tuis per occupationes privatas, & quotidianas lectiones interesse non possum. Animo tamen & votis tua gaudia prosequar, quæ ut læto quoque fine coronet copulæ conjugalis autor Deus serió precor. Gratias tibi quam maximas ago, quod ad hoc solenne conjugii tui festum me ac uxorem perhumaniter voces. Nec enim gratitudinis solum in præceptorem & hospitem, verum etiam tuæ erga me benevolentiæ testimonium præbes luculentum. Quod si tamen honestam tui memoriam conservare velis apud Deos minorum gentium, quibus edendi cupidine dentes jugiter pruriunt, fac spicilegium aliquod habeant bellariorum nuptialium. Scis enim istis victimis, non hecatombis, placari edacem turbam. Vale, vir ornatissime, & prudenter ama. Etiam in amore locum habet illud: Festina lentè. Lugd. Bat. 16 Octob. 1627.

68. GO-

Digitized by Google

67.
UACQUIO, Spe

r, tantum valuiſſe con
ut voti tui ſponſore
Nec tamen illam à te
ſolummodo profectu
uarum conſcientiâ qua
deſtiæ diligentiæ & c
ihuc circumfero. Ne
tibi Deos conjugi
ori convenientia loqua
is tuis per occupation
lectiones intereſſe co
& votis tua gaudia pro
oque fine coronet co
eus ſerìò precor. Ge
go, quod ad hoch
me ac uxorem pertu
gratitudinis ſolum
, verum etiam co
imonium præbes h
honeſtam tui memo
Deos minorum gen
idine dentes jugu
aliquod habeant be
enim iſtis victimis,
acem turbam. Vale
zer ama. Etiam i
Feſtina lentè. Lugd
68. GO

68.

GODEFRIDO DE HAESTRECHT.

CONſtantinus Imperator Adrianum Imperatorem herbam parietariam vocare ſolebat, quod paſſim in compitis & foris ejus ſpectaretur aut imago, aut inſcriptio. Idem mihi accidit, qui ſive exequiæ, ſive nuptiæ, ſive ſolennitates Academicæ celebrandæ ſunt, ubique herbæ parietariæ in morem aut epicedio aut epithalamio conſpicior. Nec tamen ea mihi ſcribendi libido, ut quieſcere non poſſim, verum amicorum precibus poſtulationibusque victus morem gerere cogor iis, quibus hoc qualecunque officium denegare perdifficile eſt. Hinc fit, ut qua ſemel inſanire cœpi inſania, liberari miſer nequeam. Et quia furorem hunc noſtrum non omnino adſpernaris, mitto ſubinde ad te libellos meos, quos iſtis furiis correpta mens extrudere ſolet. Loquendum mihi ſubinde eſt de amoribus, quem iſtarum voluptatum jamdudum cœpit ſatietas. quare ſi amantium genium moresque minus expreſſero, ſcias eo me animo has res tractare, quo ſenes puerorum crepundia ſolent, aut clypeos haſtasque emeriti milites. Propugnacula iſta, quæ ad Schaldin & in ipſo Schaldi exſtruit hoſtis, noſtros valdè angunt, præcipue Toxandros. Rex Daniæ adverſo Marte pugnare pergit, qui nondum illi ἀμφοτερόφιλος [*nunc huic nunc alteri favens*] fuit. Angli non tam lentis maxillis edunt, quam lentis operis bellum

in

in Insulâ S. Martini promovent. Vale. Lugd. Bat. 1 Nov. 1627.

69.
PETRO C. HOOFT, *Sponso.*

Vir Amplissime,

Cum hac ante pauculos dies transiret vir Nobilisl. Laurentius Realius, petiit à me instanter, ut aliquâ gratulatione Nuptias tuas prosequi vellem. Cui postulato non difficulter assensi: partim, quod amicorum ejusmodi petitiones pro imperiis habeam, partim, quod sperarem hac ratione futurum, ut in eorum quoque me censum reciperes, qui summas ingenii tui dotes æstimare didicerunt. Dicam ingenuè, nec palpum obtrudam candori tuo. Affecit me ante multos annos Tragœdiæ tuæ & aliorum carminum lectio, in quibus & sublime illud tuum dicendi genus, orationisque majestatem, & rerum juxta uberem copiam admiratus sum. Ne itaque ægrè feras, si poëta poëtam compellem. Est enim uti studiorum, ita & animorum inter poëtas communio quædam. Et ista versificandi prurigo jamdudum me incessit. Nuptiis tuis ex animo gratulor, & ut iis benedicat summum Numen serio precor. Me si amicorum tuorum numero vel postremum accensere dignaberis, non leve me felicitatis meæ incrementum feciſſe arbitrabor. Vale. Lugd. Bat. 28 Nov. 1627.

70. PE-

Digitized by Google

70.

PETRO GRUTERO.

IAm dudum ad litteras tuas respondissem, mi Grutere, si desiderio ac votis tuis satisfacere potuissem. Nec enim quidquam de Sparta ista Dordrechtanâ rescisci licuit, utcunque inquisiverim curiosius. ut nesciam, an Andromedam istam (ita tu ἀλληγορεῖς) [*allegorice loqueris*] elocaverint Reip. istius patres, an verò elocanda adhuc sponsum expectet. Ego satur Andromedarum, illam tibi Perseo suo occupandam relinquo. Nec enim cluniſpicum ambitu teneor, aut ad palatia vestra adspiro, ubi vivorum hominum posticum corylorum extremitates lancinant. Ego tenui forte contentus sceptra pædagogorum fastidio, quæ si fortè arripere suadeat lucelli spes, planè ne arripiam, facit illud Bilbilicum Epigramma:

Quid mihi nunc tecum est ludi scelerate magister,
Invisum pueris, virginibusque caput.

Reliqua apud Epigrammatum scriptorem lege, lib. 9. Epigr. 68. Vale, vir humaniſſime, & Laconismum excusa. Nec enim Asiaticus sum, sed Belga. Lugd. Bat. mense Decemb. 1627.

71.

EIDEM, STYLO GRUTERIANO.

OBlationes amicitiæ tuæ clariſſime Grutere, minimè fastidioso stomacho admitto, quin potius

potius incredibili orexi ingurgito, devoraturus eos prorsus, & in intima hypochondria pectoris admissurus, si porro suavissimis litterarum tuarum cupediis frui liceat. Gratulor utique mihi, quod dum amicorum catalogos evolvis, spretis iis, quod otiosi nominis selectus offerre solet, me iis accenseas, qui fruge magis, quam specie in hunc censum conscribi meruerunt. Alvearia tua multos fucos infestare non dubito, qui indigni dulcissimo favoris tui melle pasci amant, & tuam benevolentiam harpagare perfructa fronte non verecundantur. Ego jam diu ante eruditionis tuæ medullam velut Epidaurii serpentis intuitu gustavi, cum sipario ablato litterarum tuarum Pandoram, quam doctrinæ Prometheiis Cunæo, Vossio, Screvelio tanquam votiva anathemata consecravisti, rotatoriis amantium oculis contemplatus fui. Quod si veteranos illos tuos amicos fermento suo tradere statuisti, ut intumescant magis & distentis iliis ac rupto peritonæo herniam tuæ benevolentiæ patiantur, est quod illum diem niveo signem lapillo, in quo ad me novum amicitiæ tuæ mystam, veluti expeditione ad peregrinum factâ, iveris, qui te, veluti umbra sutum corpus, addito affectus sui corollario, & omnium officiorum epimetro sequetur. Doleo equidem te tamdiu in pulverulento volutabro versari. nec dubito, quin quamcunque Musarum coloniam albis alienis inscriptus absolveris, & in omnibus Apollinis municipalibus civitatibus adscriptus sis: ut mirum sit, illos qui buccas

Digitized by Google

buccas follicare ſolent, pati te inter manes, & lemures, ac Strygas inſtar umbræ exorciſmo liberandæ oberarſe. Quod litterarum miniſterio teſtaris famam tibi peperiſſe, Dordrechtanam ferulam electioni meæ commiſſam fuiſſe, verum eſt, & nihil hic falſi per dentales parietes famæ effugit. Ego ferulam ac virgam abs me relegavi, cauto & mihi arridenti ſpretu. nec enim calendaria iſta bifolia peccantis pueritiæ lubens inſpecto, nec tribus obire volo, quo ad hanc dictaturam ab aratro ordinarii mei laboris quadrijugo curru perveniam. quamobrem patior, ut mihi repudiatæ hujus Spartæ honos cantetur. Scire deſideras, velut exerta proboſcide, in quem conſarreandæ Andromedæ fata tranſierint. Sed rictu hiante tibi veritatem pandam: Divam illam adhuc ſcopulo adhærere, & quæri adhuc Perſea, qui eam debellato ſiniſtræ commendationis monſtro auferat, & Thalaſſio, ac Hymen Hymenæe canat. Dos ejus, qua elocabilis rivalitatem in multis excitat, ad ſexcentorum florenorum precium accedit. Sed uberior ea fuerit, ſi dignum procum nanciſci poſſit, qui eam accenſa doctrinæ ſuæ ac famæ tæda domum ducat. Tu argumentorum tuorum ſeriem ad aucupandam illam Divem dirige, & evigila, ut porrigenti antias Rhamnuſidi dextrâ ac ſiniſtrâ manu adſis. debebis enim conſtrictos Amſtelodami modulos dilatare, nec ſecundariæ ſemper notæ eſſe magiſter. Quod ſi in contrahendis hiſce ſponſalibus balbutiem meæ interlocutionis

nis pati velis, ita me ad hanc Divam applicabo, ut pronuba favente ad jugales tædas adſcendas. Ut autem videas officii mei valorem ex fortunæ nequitiâ non pendere, hoc epiſtolio amicitiæ tuæ arrham delimare volui. Vale. Lugd. Bat. menſe Decemb. 1627.

72.

IOHANNI BOR.

Dilectiſſime Borri,

Itane adhuc & Barlæi tui & Barlææ tuæ memor es? nec intercurrentes anni, aut locorum intervalla tuæ erga me benevolentiæ impetum vel frangunt vel ſiſtunt? Omninò tibi ſimilis eſſe pergis, & me officiorum mole obruere non deſinis; uſque adeò, ut obæratus tibi tuisque nomina mea expungere nequeam, & amicitiæ foro cedendum mihi jam ſit, vel de vadimonio cogitandum. Annuum tuum illud munuſculum filiolæ meæ transmiſſum jam gulæ vicinum valde eſt, nec illius ſolum, ſed & fratrum & ſororum, quorum jam dentes tuo beneficio ſtrenuè exercentur. Vti enim in Civitatibus ac Regnis, quæ ad Rempublicam ſpectant opes, publicæ ſunt, & juris multorum: ita & in deſpotico hoc regno communionem eſſe bonorum, præſertim quæ ad farinam ſpectant, perquam utile eſt. Ni faxis, etiam & hic pacem publicam turbaveris, & ſublatâ inter æquales æquali diſtributione, ſcinditur hoc etiam ſtudia in contraria vulgus. Qui itaque jam interitur ipſis

Digitized by Google

ipsis panis & exeditur, tuus est. Vbi adoleverit illa, gratias tibi aget, verbis suis, jam meis agit. Sed heus tu. Audio iterum uxori tuæ intumescere uterum. Num mihi gloriolam hanc invides, quod liberorum multorum pater sim? I bone, quo virtus tua te vocat. Ego Planetarum numerum adæquavi: per me licet ut tu Apostolorum numerum adæques. O patres proletarios! Quam benè uterque de Republica meremur. Nisi Superis aliter visum, velim intra septenarium consistere. Est enim Criticus, uti nosti. Sed desinam jocari: Vereor enim, ne cum liberorum cura gravitatem eam induas, quæ festivos hosce meos sermones ferre non possit. Vale, & parentes, fratresque saluta. Lugd. Bat. 18 Decemb. 1627.

73.

IOHANNI SCHOTERBOS.

VErsiculos hosce, quibus abeuntem te in Britanniam prosequor, poëmatibus meis inserere decreveram, te absente, in tui ac virtutum tuarum & amicitiæ nostræ memoriam. Verum, quia humanissimis tuis litteris me prævenisti, & non levibus antehac argumentis ostendisti, quam me ames; nolui diutius carere aliquo mei erga te affectus animique testimonio. Nescio enim qua στοργῇ [*insito amore*] erga convictores meos rapiar, eos, inquam, quos & singularis humanitas, & insignis modestiæ laus, & minimè vulgaris eruditio reliquis secrevit. Facile itaque ab

animo meo impetravi, ut quod officium aliis quamplurimis præstiti, tibi quoquè præstarem, & brevi carmine ad institutum tibi in Britannos iter alluderem. Tu, si tanti esse putas, ejus lectione maris terrarumque tædia subinde leva. Vbi satietas te ceperit, per me licet tradas protervis in mare Gallicum portare ventis. Iacturam scripti prælum facilè resarciet. Vbi poëmatum meorum opus prodierit, jam carceres mordet, faxo, ut & hoc nostrum carmen denuò legas, & reliquis te quoque Activis permixtum agnoscas. Iam vale, & ut pertinax hæc tempestas tandem tibi desæviat, ac secundo vento naviges, serio illum precor, *qui fluctus tempestatesque sonoras Imperio regit, & vinclis ac carcere frenat.* Lugd. Bat. 27 Decemb. 1627.

74.

ARNOLDO BUCHELIO.

R *Everendissime Bucheli*,

Capsulam hanc, quam vides, ex Angliâ ad me misit Secretarius Comitis Penbrociæ, summi litterarum & litteratorum Mecœnatis. In ea signum sive ectypum vides annuli antiqui: quem gestare ait Dominum suum, & habere in deliciis. Addit in totâ Britanniâ tam litteratos oculos non reperiri, qui has litteras legant. Consulti sunt super his characteribus Antiquarii omnes, sed & illi ceu noctiæ ad hanc noctuam cœcutiunt. Itaque à me petit, ut doctorum hujus Academiæ judicia inquiram, si fortè OEdipum suum

Digitized by Google

ſuum hæc Sphynx invenire queat. Sed & noſtri doctores, quotquot ſunt litterarum, linguarum, & rei antiquariæ ſtudioſiſſimi ad ſacrum ignorantiæ aſylum ſe conferunt. Excuſſi ego omnium fere linguarum alphabeta, quæ in libro quodam, cui titulus, Bibliotheca Vaticana cum ſuis quæque characteribus notata occurrunt. In Ægyptiaco Alphabeto (ſcis Ægyptios characteribus quam maximè arcana ſua involviſſe) offendi has imagines, ϰ. T. ϖ. quæ in hujus annuli adſcriptis vocibus ſpectantur. In Alphabeto Marcomannico offendi itidem has voces ϰ. ʒ. Sed reliquos harum vocum characteres reperire non poſſum. Vocem ΠΑΝΔΩΡΑ* nemo non legit, ſed in reliquis vocibus crucem nobis fixit autor, quisquis fuerit. Voces ignotæ ita ſe habent: ʀ ϖ T. ϑ. ʒ ϰ ϗ 8′ ϟ ʒ. Pierius in Hieroglyphicis docet, noctuam inſidentem ramo laureo eſſe ſymbolum victoriæ. Quare, cum & te, reverende Bucheli, rerum antiquarum ſciam eſſe peritiſſimum, & cum Carmenta Euandri matre in gratiam rediiſſe, tuum tandem oraculum ſciſcitor. Tu tripodem Apollinis conſule, & Sibyllinum concute pectus. Si divinaveris, gratiam inibis maximam. Ego arbitror characteres iſtos ex arbitrio authoris formatos eſſe, & abbreviationis quasdam continere, ideoque non facile futurum, ut ſenſum eorum quisquam expediat. Rogo te, juva nos, quantum potes.

* *Pandora virginis nomen, quam è cœlo miſſam fuiſſe cum pyxide cui omne malorum genus inerat Poëtæ fabulantur.*

Poëmata mea propediem videbis. Scis Typographos hominum genus esse ex lentulorum familiâ, jam à chartis, jam à pecuniis imparatum. Capsula hæc cum signis cereis, ubi rem expenderis, ad me redeat. Vale, Vir doctissime, & quem novum annum ingredimur, feliciter decurre. Ita vovet reverentiæ tuæ observantissimus. Lugd. Bat. 28 Decemb. 1627.

75.

CONSTANTINO HUGENIO.

NOctuas Athenas mittere videbitur, Nobilissime Hugeni, qui litteratissimis Britannis hujus noctuæ characteres exponere sataget. Ego me hujus Sphyngis molestiis Scepticorum formulis expediam, ὐ καταλαμβάνω, ὐχ ὁρίζω. [*non capio, non definio.*] Etiam mecum ad sacrum hoc ignorantiæ asylum confugiunt viri doctissimi, Heinsius, Vossius, Scriverius, Codæus, Raphelengius, & vir Antiquitatis peritissimus Buchelius, quorum omnium oracula scitatum misi. Excussi omnium ferè linguarum Alphabeta, quæ in libro quodam, cui titulus Bibliotheca Vaticana, cum suis quæque characteribus notata occurrunt. Cumque Ægyptios novis Hieroglyphicis sacra sua involvisse nulli non notum sit, potissimum ad characteres Alphabeti Ægyptiaci respexi, in quo offendi characteres hosce ϗ. Ͼ. Ͳ. In Alphabeto Marcomannico hasce notas repperi, ϗ. 3. reliquos characteres reperire non potui. Adscripta vox Pandoræ, nec non

Digitized by Google

non noctuæ imago ſuſpicionem injicit à Græcis profectos iſtos characteres, ſed rurſus ſub barbaro ſeculo eſſe exaratos, arguere videtur poſtrema littera in Pandora: nec enim Græci unquam hoc modo *a* illud finale ſcripſerint. Eſt character iſte Teutonicus. Græcæ quoque videntur hæ litteræ *B. T.* ϐ. 3. Reliquæ verò implicitæ ſunt & connexæ, ex eo genere, quas Galli vulgò vocant *entrelaſſez*. Hæc littera ſ Græcorum eſt Ξ, ſed claviculis diſſorta. Hæc nota ϑ, Græcorum eſt ψ, etiam claviculis aucta. Hæc ϐ Græcorum eſt ϵι per abbreviationem ſcriptum ϵ. Vetuſtum autem eſſe morem ita ſcribendi docet Apulejus lib. ſecundo de Aſino aureo, cujus verba adſcribam, cum aliquid lucis his tenebris affundant: *Senex quidam*, inquit, *de opertis adyti protulit quosdam libros litteris ignorabilibus prænotatos, partim figuris hujuscemodi animalium, concepti ſermonis compendioſa verba ſuggerentes: partim nodis, & in modum rotæ tortuoſis, capreolatimque condenſis, curioſitate prophanorum lectione munita.* Ex quo loco duo colligo: Primum, has litteras eſſe ignorabiles, & quisquis earum autor fuerit, crucem eum fixiſſe curioſius ſcrutantibus. Alterum, etiam veterum morem fuiſſe, nodis quibusdam, velut capreolis (ſunt capreoli claviculi intorti in vitibus, quibus, veluti manibus quibusdam, adminicula vicina complectuntur) litteras intorquere, adverſus curioſitatem prophanorum. Manifeſti ſunt capreoli & nodi in his characteribus,

♃, 3, ♆, ♂, ☿. Quare talia scribentium scopus alius non fuit, nisi lectorem curiosum celare sensum istis characteribus, & additamentis abditum. De symbolo isto Noctuæ nihil attinet dicere. Notissima enim sunt, Noctuam sacram Palladi & laureo ramo insidentem symbolum esse victoriæ, & Pandoræ historiam insculptam fuisse basi statuæ Palladis, uti videre est in Hieroglyphicis Pierii, in titulis Noctuæ, & Pandoræ, & apud Gesnerum, Plinium, & Becanum: καὶ ταῦτα μὲν δὴ ταῦτα. [*& hæc quidem hactenus.*] Vale, Vir præstantissime, & me amare perge. Vt hic annus felicibus auspiciis tibi currat Deum ardentibus votis precor. Lugd. Bat. 30 Decemb. 1627.

76.

GODEFRIDO DE HAESTRECHT.

IAm amoris tui in me aciem hebescere, & pristinos istos igniculos magis magisque extingui comperio. Trimestre est & amplius ex quo nihil de te à te audivi, licet te litteris meis non ita pridem ad festivitatem compositis ad scribendum provocaverim. In quo proposito si perseveres, paria facere statui, nec posthac quicquam à me litterarum expecta. Subit animum meum illud Philosophi: *Minus stabiles esse inter dignitate impares amicitias.* Legati nostri, in Galliam & Angliam missi, heri Hagam reversi sunt, nec enim illos naves conscendere patitur glaciei vis, quæ Mosæ ostia obsedit. Videntur adver-

Digitized by Google

adverſus auguriis eò contendere, cum iter ipſorum, velut diviſis muniis, cœlum, aër, aqua remorentur. Arſlenius à canibus fortè occurſantibus in terram dejectus malevolis occaſionem præbuit ſiniſtra ipſi ominandi. Nec ego bene nobis ominor à milite Cæſareano Embdanum agrum undique occupante. Res tua tunc agitur, &c. Ego licet vates & ariolus non ſim, illud tamen non levibus documentis colligo, res noſtras ad anguſtias redigi, & commiſſis inter ſe ſummis Regibus belli præſidia nobis domi quærenda eſſe, non aliunde expectanda. Torrentius ille ab Atheiſmo celebris, uti ille olim ab incendio Templi Epheſini, miſere excarnificatus, carceri adjudicatus eſt annos viginti. Vale, Vir amiciſſime, & tandem reſcribe. Lugd. Bat. 28 Ian. 1628.

77.

EIDEM.

NOn dubito, quin longiore ſilentio bilem tibi moverim, Haeſtrechti Nobiliſſime, ſed facit anni tempeſtas, ne ab ejus motu aut orgaſmo, ut Medico vocabulo utar, valetudini tuæ metuam. Languet enim jam bilis, nec, uti per æſtatem acrimoniam habet. Et licet hoſpiti tuo veteri in mandatis dederis, ut acriter me perſtringeret, & hoc negligentiæ meæ veternum excuteret, tamen parum iis moveor, cum eidem culpæ & tu affinis ſis.

Quis tulerit Gracchos de ſeditione querentes?

Hiſtoriam, ſive potius Hiſtrioniam mundi, quando ita vis, jam ordiar. Ac primo quidem de Chinenſium ac Iapponenſium rebus nihil habeo, quod ſcribam. aut quo loco res ſint Mexicanorum aut Peruanorum. Nec enim ad nutum adeſt deorum nuntius Mercurius, qui in alio Orbe geſta referat. Dudum etiam eſt, quod de Lapponibus ac Scythis Tartarisque nihil inaudiverim, uti nec de Canibalis ac Antropophagis. A Turca ordiar : is bello Perſico implicitus minus ſe Ottomannicâ ſtirpe dignum gerit : jam enim erepta illi Babylon, aliæque Aſſyriæ urbes, etiam Paradiſus ipſe in ſacris litteris celebratus, quem ad Euphratem & Tigrum locant ſacri ſcriptores. Hæc in Aſiâ. In Europâ Bethlemus Gabor paci ſtudet, & victori Cæſari prudenter applaudit. Sileſia poſt diſſipatas Wismarienſis copias pacata eſt. Pragæ Cæſar comitia habuit, in quibus omnia ex nutu ejus transacta. Vti in Æſopica fabula, Leoni totam prædam adjudicarunt. In Conventu Electorum Mulhenſi in Cæſaris ſententiam pedibus itum. Nec enim jam tutum fuerit adverſus armatum contendere. Noſti potentiſſimum eſſe argumentandi genus in *Ferio*. Brandeburgicus ſe totamque Aulam excalvinizat. Britanni ex Inſula S. Martini turpiter pulſi, majoribus animis bellum redintegrare dicuntur. Buckingamus, quaſi re bene geſtâ, à Rege regioque comitatu honorifice exceptus fuit. Galli, pro gentis ſuæ indole, hac victoria elatiores nil niſi minas & bella ſpirant.

Parum

Digitized by Google

Parum abeſt, quin Rupellanos diris & execrationibus expugnent. Obſeſſi certis ſe conditionibus Regi dedere ſtuduerunt. Rex indignum ſua Majeſtate judicat, leges à ſubditis ſibi præſcribi. Dux de Rohan Biarniam vaſtat, & calamitatem Anglorum Gallorum calamitate ulciſcitur. Inter Duynkerkanos & Britannam claſſem acriter pugnatum. Ex hac naves ſeptem deſideratæ, quinque captæ, reliquæ vix fuga evaſere. Noſtri ſalutarem hanc jacturam interpretantur; futurum enim augurant, ut jam ſeriò de bello cogitent Britanni. Dorpius, Zelandiæ Thalaſſiarcha ſiniſtra Flandricas naves inſecutus, poſtquam Veram appuliſſet, parum abfuit, quin Stephani protomartyris fortunam expertus fuerit. Ordinibus tamen & Principi facti ſui rationes probavit. Nupera tempeſtas hic aggeres, alibi claſſes in Texelæ portu disjecit & attrivit. Munimenta hoſtium ad Schaldin exſtructa fluctibus magnam partem ſubruta cum Æolo & Neptuno in gratiam redire ſtudent. Realius in Daniam Legatus miſſus eſt. Admiralii Hollandici titulum illi ſervari non dubito. Legati noſtri in Galliam & Britanniam abiturunt.

--- Neſtor componere lites
Inter Peliden conatur & inter Atriden.

Vale, & bene rem gere. 1 Febr. 1628. Lugd. Batav.

78. DA-

78.

DANIELI IOHANNIS SNECANO.

VIr doctissime,

Petis à me obnixè, ut consilio meo institutum tuum juvem. quâ in re ut difficilem me præbeam, nec studiorum quæ inter nos est cognatio, nec malorum societas, nec præconcepta de humanitate tua & eruditione opinio patiuntur. Utinam verò consilium rebus tuis conveniens suggerere possem. Exigit à consultoribus Aristoteles prudentiam, & benevolentiam. Illam, ut possint consulere, hanc, ut velint. Sed ab illâ, uti me imparatum agnosco, ita hanc offero liberaliter, ἄνευ δόλου. [*bona fide.*] Quæ te huc invitare queant multa sunt: Hollandia, Academia, eruditorum commercium. Quæ deterrere; annonæ caritas, & quæ magis hic fervent, partium studia. Medicinæ Doctores tot habet hæc urbs, quot Respublica Atheniensium habuit tyrannos. Inter hos verò tres quatuorve praxin feliciter exercent, reliqui ambitiosæ paupertati Doctoris titulum donant, ex quorum numero & me esse fateor. de quo minus verè illud Homericum pronunciaveris: πολλὰς δ' ἰφθίμους ψυχὰς &c. [*multas autem fortes animas orco ante tempus demisit.*] Ex Collegiis Hebrææ & Græcæ linguæ plus promittere tibi ausim; quamvis & hic sint, quibus vix ad domandam famem sufficit Hebræis esse & Græcis. Adeò in dominos suos ingratæ sunt litteræ.

Pre-

Digitized by Google

Precium eruditionis & linguarum grande agnosco, qui præceptoribus hoc reddat, novi nullum. Ubi semestre docueris, à singulis discipulis octo aut novem florenos referes. si undecim receperis, albæ gallinæ filium te puta. Tanta mercede hic eruditi vivunt, in hanc spem ad gloriam & famam grassamur. Crede, non Romæ solum, sed & hic *laudis horret facundia pannis*, ut de suo seculo pronunciavit Arbiter. Quid dicam? migrationem ad nos nec suadere ausim, nec dissuadere, cum incertos fortunæ casus præstare in manu mea non sit, & facile malam inierit gratiam, quisquis minus feliciter consuluerit. Sed in rebus humanis non fidendum nimis consiliis, nec anxiè excutiendæ rationes omnes futuri. Aliquid rationi, aliquid fortunæ dandum; aut, ut magis Christianè loquar, curæ divinæ, quæ uti nimiam rei familiaris curam damnat, ita securitati nostræ, quantum satis est, prospicit. Me quod attinet, officia mea omnia tibi libens impartiar, nec per nos stabit, quo minus voti tui compos fias, aut utiliter ad nos transvisse credi possis. Vale, vir doctissime, & si res feret D. Amama, alioque mei studiosos saluta. Lugd. Bat. Cal. Febr. 1628.

79.

CONSTANTINO HUGENIO, *jam patri.*

HAbes, Nobilissime Hugeni, quod cœlo imputes, cui à nobiliore sexu patrium nomen

men auſpicatur Lucina. Quanquam enim & ſua ſit ſequiori, ut vocant, ſexui majeſtas; nec fas ſit eam inter Naturæ errores & παρεκβάσεις [*hallucinationes*] haberi: tamen non levibus te rationibus ſubnixum putabo, ſi gaudii pluſculum ex filii natalibus conceperis. Quid enim? Virum gignere præſtat, quam feminam, niſi minus ſapienter Plato Diis gratias egiſſe putandus ſit, quod marem ſe, non feminam fecerint. Philippi Macedonum regis vox fuit, *æquo ſe animo mori, cum filium relinqueret.* Fuit eadem Antonini Pii. Crœſus, cum Cambyſes ſe cum patre Cyro conferret, amicis affirmantibus illum patre præſtantiorem, reſpondit: Nondum patri æquandum, qui nondum genuiſſet filium. Et cur creationis ordine feminam præcedit mas? niſi quia illa propter hunc, non hic propter illam. Cur, cum Virum nominat Scriptura, hominem nominat, cum feminam, feminam? nonne quia ille κατ' ἐξοχὴν [*per excellentiam*] uti rationis excellentiam, ita & hominis ſibi appellationem vindicat? Marem genuiſti. Magnas ergò ſpes ale. Forte qui in cunis jam vagit, Fabius erit, & lapſas res aut conſilio aut opere reſtituet. Marem genuiſti. Ambitioſa paupertate gaude. Fortè qui jam fari neſcit, & ut Homerico epitheto utar, νήπιος [*infans*] eſt, Gallicus erit Hercules, qui orationis lenocinio captivos ducet animos auditorum. Marem genuiſti. Frontem exporrige: fortè qui jam ab ubere pendet, *aut curam impendet populis, aut otia Muſis.* Filium genuiſti.

Plus

Digitized by Google

Plus te patrem esse puta. Amat similitudinem sui natura, & tunc conatus suos quam maxime probat, cum, quod in unoquoque genere perfectissimum est, consecuta fuerit. Genuisti filium, sed ex te: hoc est, virtutis tuæ simulacrum, hæredem eruditionis tuæ, humanitatis surculum; in quem, si ex traduce est anima, patrem jam totum transfudisti: si non est, patrem alterum cura, educatio, doctrina efformabunt. Filium tibi peperit uxor; jam parvulum, ut animi magnitudinem tui operis esse scias; jam tenerum, ut animi fortitudinem ab ætate & annis speres: jam nudum, ut fidei Christianæ indumenta non nisi cœlitus arcessas: jam ignarum vitæ, ut Christo soli vivere, jam ignarum mortis, ut eidem mori discat. Tolle pondus dilectum, cui Dei Patris amorem obsignavit publicum regenerationis lavacrum. Excipe ulnis puerum, in familiæ simul tuæ subsidium & solatium, quem in familiam suam jam adscivit Ecclesia mater. Osculum fige ridenti, quem flentem ad se vocat ille, cujus voce vocati sunt parvuli, sanguine redempti, suffragio beati. Ubi caput contrectaveris, oculis jam imperare incipe, ne vanitatem videant: auribus, ne ad Sirenum hujus seculi cantus attendant. A lingua exige taciturnitatem, à genis verecundiam, à fronte modestiam, à pectore candorem. Breviter, à parte tui totum te. Quot fasciis ligatur, quot involvitur involucris, tot humanæ vitæ calamitatibus nascentem jam, involutum puta: quot

Digitized by Google

quot rursus evolvitur, tot per prudentiam primum, mox per mortem evolvendum cogita. In canis rotari cum adspexeris, inconstantiæ exemplum, fortunæ pilam & lusum, invidiæ & calamitatis trutinam adspice. Cetera pituita sunt & bilis. Ubi nativitatis tempus subit, cum Vere & Mundo hunc mundi dominum ac Microcosmum natum esse subeat. Ubi locus, tantum ab Aulæ corruptissimis moribus eum alienum cupias, quantum aulæ vicinior est. Ubi nutrix, fac ut huic vitæ hujus incrementa, tibi sanctioris debeat. Ubi puerpera, ubi mater: ne sine, ut illa ipsum deperiisse, tu minus sapienter amasse credi possis. Habes sobolem, spem conjugii, & ut cum sene Plautino loquar, trium literarum A. M. O. ἀποτέλεσμα, [*consummationem,*] familiæ non alienum hospitem, parentium gaudium, domus tibicinem & fulcrum. Habes ubi cogitatio, ubi & vultus tuus conquiescat, cum ab Aula & rebus gravibus domum redis. Si frontem tibi corrugaverit indignatio, illa vel solo risu tibi eam explicabit, vel placido manuum contactu æquam reddet. Si supercilium dejecerit mœror, illa eriget. Nescio enim, quod stultitiæ lenocinium datâ operâ prudens Natura tenellæ ætati adjunxit, ut aliquo voluptatis velut authoramento educantium intercurrentes molestias & μελαγχολικὰ πάθη [*tristitiæ intervalla*] delinire queat. Præcipuè tunc, cum gravis senecta incommodis suis nos circumvenit, & ad pueritiam novam revocamur. Nonne cum puellis

Digitized by Google

lis lusit Lysander? cum Achille Chiron? cum Theodosio & Gratiano Ausonius? ut dilutis animi curis veluti juveneſcerent, & hoc vitæ oblectamento, veluti melle & ſaccharo edulcarent moroſæ ætatis πικρίαν. [*amaritudinem.*] Fingunt poëtæ, Auroram ſucco ſuo juventutem Tithono ſuo produxiſſe. Sed fingunt tantum. Qui enim citra fabulam hoc præſtare poſſunt, liberi ſunt. Fingunt Circen ſuâ virgâ in quas vellet formas vertiſſe homines. Fingunt idem de Medea & Venere. Sed ὁ μύθος δηλοῖ [*fabula ſignificat*] tuum illum Conſtantinulum, qui te quoque refinget, & nunc, cum minime conſtans eſt, & tunc, cum verum erit dicere;

— ſequiturque patrem non paſſibus æquis.

Ab illo herbas pete quibus repubeſcas, illius mille precamina ſunt, quibus elapſa tibi tempora quodammodo reſtitues, ille nepenthes & ſoporiferum iſtud moly ſuppeditabit. Ex hoc fonte poculum Lethes, & tot malorum oblivionis hauries, quod fruſtrà apud Inferos requires, cum domi tibi ſuppetat. Verum non gaudii ſolum cauſas cum prole tibi dari crede, ſed & timoris ac ſpei. Timebis utique, ne minus ſollicitè hoc pignus curet nutrix. Timebis, cum à Glycerio oſtium crepuerit, & profuſior cachinnus vagientem turbaverit. Timebis, ne aut epilepſia diſtorqueat bene poſitum os: aut aphtæ gutturis anguſtias occupent, aut ventrem ex novi alimenti cruditatibus nata tormina lancinent. Denique, ne morte acerbâ in primo vitæ limine ante diem

extinguatur. Sperabis contrà, ut puer virum, vir senem sapiat. Sperabis, ut cum tenello corpusculo adolescat liber & magnus animus, ut in omni fortuna æquam servet mentem, & sapientiæ documenta, si licebit, explicet in divitiis; sin minus, in paupertate: si poterit, in patriâ; sin minus, in exilio: si poterit, sanus; sin minus, æger. Sperabis denique ut Regem agnoscat SS. Trinitatem, Leges, Fidem & Charitatem: votorum summam, Æternitatem. O si fas sit de Iove ac Pandora loqui, postquam SS. Triada nominavi. Optarem, ut quas in Pandoram dotes contulit Iupiter, in hoc quoque cœli depositum conferat. Optarem, huic animulæ indi eruditionem cum humilitate, magnanimitatem sine ambitione, gravitatem temperatam comitate, justitiam sine rigore, sine luxu liberalitatem, sine hypocrisi sanctimoniam. Corpori optarem formam, nec despectam omninò, ne qui illam animæ quoque pulchritudinem averserentur: nec præcellentem valdè, ne quem amare aliquando decentius erit, amari contingat. Scis quid Iosepho, quid Hippolyto, quid Bellerophonti acciderit. Hæc ego, mi Hugeni. Iam Petrarcham audi. Si filium habes, solamen habes ambiguum, curam certam, sollicitum gaudium. Si bonæ spei infans est, si blandulus, si festivus; ô ne istæ blanditiæ vertantur in lachrymas. Res est dulcissima, fateor, infantuli adspectus, & ut est apud Statium, *Sideream vultus, & verba ligatis Interrupte modis*, quæ dum audiun-

Digitized by Google

audiuntur, mulcent; sed dum audiri amplius non possunt, cruciant. Cogita fieri posse, ut arundineo insistas baculo, vel in caducum te inclinaveris parietem, quod dicere solitus fuit Adrianus Imperator, cum Ælium Verum puerum adoptasset. Et moneo, parcius uti gaudeas, ut si dolendum fuerit, parcius doleas: & fortè canendum tibi illud Maroneum:

Ostendunt terris hunc tantum fata, nec ultra
Esse sinunt.

Intempestive gaudet agricola, quandiu in flore est ager. Fructus expectandus est, & tempestatum, grandium, zizaniorum metu frenandum gaudium. Sed longius feror, quam institueram, & dum grandia loqui concipio, & cum ingenio contendo, penè rupturam facio. Abrumpam itaque Socraticum sermonem, & ne me Demeam esse putes, & cum Catone nunquam risisse, moneo, ut uxorem dilectissimam, jam puerperam, osculo subinde recrees. Nec enim alia præsentior Medicina ad leniendos partus dolores. Fidem mereor, nam Medicorum quoque filius εὔχορτον εἶναι. [*exopto esse.*] Vale, Hugeni charissime, & à Iuvenali præceptum accipe:

—— Foribus suspende coronas
Iam pater es. Lugd. Bat. Cal. Apr. 1628.

80.

ADRIANO BLYENBURGIO.

QVi brevi nuper Poëmate nuptiis tuis gratulatus fui, Blyenburgi charissime, jam

Poëmatum meorum mitto farraginem, ut si isto salivam tibi movi, hâc ipsâ famem expleam. *En quo discordia civem Perduxit miserum.* Qui Theologiam antehac & Philosophiam, graves disciplinas, professus fui, nunc poëtaster factus sum, & dum aliis luculentæ fervent messes, velut inter arbusta cicadæ cantillo. Incidi miser in illa tempora, in quibus rerum potitur Aristophanicus Plutus, τυφλότατος [*cæcissimus*] iste, & ex eorum nutu omnia geruntur, qui sacrâ stolâ ambulant. Sed desinam istud ulcus refricare, ad cujus vel memoriam solam exhorresco. Apud te confidentius hanc querimoniam depono, quem æquum rerum æstimatorem esse novi, quique humanitatis tuæ & benevolentiæ aurulâ desertum hominem subinde refocillasti: nec occasiones negligis iis me commendandi, quorum favore, ubi res ferent, erigi possum. Sed redeo ad Poëmata mea, in quorum lectione nolim te occupari prætorio rigore, aut eo vultu, quo severus examinator vitas & crimina reorum discis. Æquum te iis & facilem præbe, qualis aut Iunoni tuæ arrides, aut Ascanio. Inter heroïca nomen tuum reperies, ubi thalamos cantamus, & lecti fœdera. Feci hoc eo consilio, ut si dentem in me acuat Zoilus, litem illi apud Prætorem intendam, per quem, sive jure, sive gratia, ab iniquis criminationibus absolvar. Vale, vir magne, & patrocinio quoque tuo (nec enim lictorum secures imploro) novum inter poëtas hominem prosequere. Lugd. Bat. Cal. April. 1628.

81. CON-

Digitized by Google

81.

CONSTANTINO HUGENIO.

INgeniosè admodum, nec sine sale præfaris, mi Hugeni, & insignem istam in me ἀγροικίαν [*rusticitatem*] notas, qui Libellum tibi meum absque litteris miserim. Non istud Rhetorum schema: *Sic sane oportuit mi Barlæe.* Quasi dicas, minime oportuit. Parum aberat, quin cum Augusto Cæsare reponeres: Nesciebam me tibi tam familiarem esse. Subrisi verò, cum non minori dexteritate facti mei culpam in te transfers, quasi aut tardiusculam tuam responsionem, aut intermissam aliquando, hoc vindictæ genere ulciscì voluerim. Quam verè ait Comicus: In amore hæc omnia insunt vitia, iræ, metus, suspicio. Nimis meticulosus es, qui me tantillâ re offendi putas: aut minus tibi sum rerum humanarum intelligens, qui nesciebam, & publicis te negotiis districtissimum esse, & amicorum officia ad stateram argentariam non esse expendenda. Quare ulterius amicitiæ tibi jura laxabo. Per me licet, non rescribas posthac, nisi postquam ter te meis litteris interpellavero. Expectasne benigniorem legum interpretem? Non sum is, apud quem tam sollicitè & operosè culpam silentii diluere necesse habeas. Non tenentur Principes legibus, nec tu mecum comparatus. Inter dignitate impares hanc vult esse æqualitatem Philosophus, ut major beneficiis minorem, minor obsequio, observantia, cultu

majorem sibi devinciat. Illud feciſti tu non ſemel. Poſterius ut à me fiat, quavis occaſione annitar. Heros, heros, Tune iſtud tuum Epigramma in Manes Auriacos ſcriptum mendum vocas, & tenebras juxta lucem poſitas? Ad Philoſophum iterum te revoco, qui & illam εἰρωνείας [*ironia tropus Rhetoricus quaſi illuſionem dicas*] ſpeciem damnat, quâ quis virtutes, resque laudatiſſimas depreciat. Si tu maculam iſtud indigetas chartis meis adſperſam, ego Lemniſcum additum coronæ pactili. Si tu imprudentiæ me inſimulas, ego prudentiam interpretabor, ex tanti viri commendatione gloriolam aucupari poſſe. Scis, qualibus mercibus ſuſpendi ſoleat hedera. Tolle è libello meo titulos Regis, ac Principum, tolle celebria iſta nomina, Grotii, Hugenii, Realii, Hoofdii, perierunt impenſæ typographo. Si ſecus judicas, ἀμβλυωπὴς [*hebes oculis*] es, nec illapſum tibi phlegma in oculos, ſed in mentem. Eam tamen conſtantem in amore mei ſerva. Tibi illam incolumem in corpore incolumi diu præſtet vitæ mortisque ſupremus arbiter. Lugd. Bat. Idibus Maji, 1628.

82.

CORNELIO VANDER MYLE.

LVculentum poëticæ commentationis argumentum mihi ſuppeditaſti, Nobiliſſime Myli, dum libelli mei fata & caſus enarras. Nempe, in Lazaretto, hoc eſt, expiandarum mercium domo clauſus, captivusque detinetur, non

Digitized by Google

non antè liberandus, quam quadraginta purificationis dies expleti fuerint. Hoc opinor illud est, quod vocant, *par far la contumacia*. Quod dum scribo, subit illud Maronis lib. 6 Æneid. ubi de animabus ait in inferno, aut, uti Pontificiis placet, in purgatorio expurgandis:

--- in gurgite vasto
Infectum eluitur scelus, aut exuritur igni.

Puto domum istam, non absimilem esse Purgatorio Papistarum, ad quod tamen alludere nolui, ne offenderem dissentientes. Scripsi versiculos aliquot, sive querelam jocosam, qua facti istius indignitatem exaggero. Si dignam eam judicas, quæ à tanto viro legatur, abeat, quo præivit libellus, sed melioribus fatis: sin minus, apud te detine. Fortè hac occasione tam illustris viri amicitiam mihi quoque recludes, ad quam aditus fuit jampridem Heynsio & Vossio, aliisque. Friso iste *, de quo scisciteris, Ecclesiasten agit in Frisia, propè Snecam, in pago, cui nomen *'s Heeren-veen*. Partium est moderatarum, eoque nomine pergratus summis viris D. Sakama, & Bouvritio, Curiæ Frisiorum Consiliariis, necnon Sebastiano Prusenio ejusdem Curiæ Graphiario, quorum omnium favorem gratiamque mihi conciliavit. Vir est ingenio acri, quique, si benè calculum posui, hoc cum Bruto commune habet, ut quicquid petit, vehementer petat. Rei Theologicæ, quam poëticæ peritior est. Scripsit tractatus aliquot, de

* *Abrahamus Dominici.*

Fundamentis unitatis & pacis inter Christianos, sive de Notis, quibus, necessaria à non necessariis in religione dignosci possint. Illud fateor, nihil me in hunc usque diem legisse, super isto argumento plenius accuratiusque scriptum, licet stylo minus florido, & inconcinnâ dictione. Iam de editione cogitat. Sed ne pacis consilia suggerendo (quæ seculi hujus jam sunt scelera) malam gratiam ineat, monui, ne ederet, nisi Academiæ aut Theologorum Franekeranorum authoritate ac suffragatione probe munitus. Eam enim se impetraturum totus sperat. Ostendit enim mihi conscriptam à se historiam captivitatis soceri tui p. m. Grotii & Hogerbetii, quorum sortem, calamitatemque Versibus mille & quingentis deplorat. Verum, dicam quod res est, nec in amici causa, quid desiderem, dissimulabo. Versus inculti prorsus sunt, & plus quam triviales. Horridi adhæc, ut nil nisi saxa & lapides hominem spuere putes. Pietatis tamen ergò, & Christianæ erga tam insignes animas miserationis, veniam merentur. Coactus fui, licet non sine fastidio, omnes perlegere à capite ad calcem. Liberis suis se hoc depositum servare ait. Cætera, vir est optimus, pectoris aperti, & à simulatione quam maximè alieni, quique ob singulare illud pacis ac Christianæ concordiæ studium totus illi displicet, qui in fabulâ Synodicâ Davum egit, aliâ periphrasi non utar. Vale Vir Nobilissime, ac doctissime. Salveant à me uxor, liberisque, & inter hos quam maxime

Digitized by Google

maxime filius Adrianus. E Musæo nostro. Lugd. Bat. 10 Calend. Iun. 1628.

83.

ABRAHAMO DOMINICI.

EX quo à me discessisti, Vir doctissime, percunctati sunt propius de te, & rerum tuarum statu viri magni. Apud quos & eruditionis tuæ humanitatisque, & piæ moderationis in Religionis negotiis præco fui. Avent illi legere ea, quæ de necessariis ad salutem creditu, factu, &c. doctè & accuratè scripsisti. Non gravaberis opinor lectionem eorum concedere viris tui amantissimis, & pacis tecum, concordiæque Ecclesiasticæ studiosissimis. Etiam hic locum habet illud Salvatoris: *Luceat lux vestra coram hominibus.* Idem, ut facias, monet illa, quam Symbolo Apostolico profitemur, communio Sanctorum. Ego scripta illa tua mihi perplacuisse viris istis non semel dixi. Itaque salivam ipsis movi; Tu famem sitimque porro exple: His officiis me illosque tibi obstringes. Vale. Lugd. Bat. 1628.

84.

IOHANNI SCHOTERBOS.

VEnit ad Te tandem, Vir Ornatissime, libellus meus, trans mare & fluctus Britannicos, sed serius quam volebam. Nec enim aut commodam ad te curandi rationem invenire potui, & cum ea se offerret, sparsus de reditu

tuo rumor, iterum remoram injecit. Versiculos leges, quibus cum ex se parum precii debeatur, quidquid reliquum fuit derogavit & typorum & chartæ vilitas. Verum, si benè te novi, deque tuo in me adfectu non falsam concepi existimationem, munusculum hoc aliunde æstimabis, quam ex rerum precio & dignitate. Solent amantes dilectarum à se virginum nævos & vitiligines benignius interpretari, & quæ per se minime probantur, ad commendationem rapere. Idem facito, & in carminum meorum lectione si quid offendes stribliginis, pro tuo in me amore excusa. Utinam brevi te videam. Et videbo fortè. Nam quæ de nuptiis sororis tuæ & D. Doubletii percrebuit fama, spem facit futurum, ut brevi redeas. Tunc de Brittonum moribus ac indole coram differentem audiemus, de Academiarum inibi & Collegiorum splendore, situs amœnitate, & agrorum fertilitate. Hic desiit esse D. Iaccheus, cui à multis successor destinor, sed obstat causa, quæ Iphigeniam mactavit. Ego ut otium fallam, subinde versiculos scriptito, & cicadarum more ætatis meæ sereniſſimam æstatem cantillando transigo. Non aliâ spe, nisi, quod & cicadis accidit, ut ad hyemem, hoc est frigidam senectam progressus fortè fameam. Hac enim mercede Poëtis esse datur. Vale. Lugd. Bat. 1628. 1 Iul.

85. FOP-

Digitized by Google

85.

FOPPIO AB AITSEMA.

LItteras tuas paternæ erga filium ſollicitudinis plenas, mihi tradidit idem ipſe, Nobiliſſime Aitſema. Tales, opinor, fuere, quibus Chironi Achillem commendavit Peleus, aut Cratippo Marcum filium Tullius. Niſi quod nec Cratippo, nec ſemiviro Chironi pignus illud tuum credideris. Annitar tamen, ut viam, me duce, inſiſtat ad Virtutis & Honoris templa, utque præceptis inſtitutiſque Philoſophiæ abundare diſcat: non ejus ſolum, quæ in contemplatione poſita eſt, ſed practicæ potiſſimum, ad quam Platonem reſpexiſſe arbitror, cum beatas fore Reſpublicas ait, in quibus aut Philoſophi imperarent, aut imperantes philoſopharentur. Nec, quæ altera cura erit, ea negligam, quibus ſtylus ac ſermo terſior eniteat. Elegi hoc vitæ inſtitutum, quod in juventute moribus ac litteris formanda occupatur. Quamobrem cauſæ nihil fuit, ut filium in convictum meum ac conſuetudinem recipere gravarer. Imò ne ſecus facerem, ſuaſerunt multa; nominis tui apud noſtrates celebritas; muneris, quod Patriæ bono ſuſtines dignitas; adoleſcentis indoles, quæ præclara quæque promittit; & denique Nobiliſſimi Mylii autoritas, cui in re tam honeſtâ non obſequi religio mihi fuerit. Gratularis tibi, quod filio hoſpitem non indignum nactus ſis. Ego viciſſim mihi, quod tanti patris filium. Nec enim minus

minus glorioſus fuit Auſonio Gratiani diſcipuli convictus, quam huic ſub tali præceptore proficere. Quæ in laudem meam hic illic inſpargis, parcius à me agnoſcenda, qui non niſi mediocria ea novi; & ſi eſſent majora, à primo illo fonte bonorum manare ſcio. Sed de Hegenitio propius ſtatuas oportet. Nec enim ephoris duobus filio tuo opus, nec ut Aretalogum illum diutius apud me detineam patitur rei familiaris ratio. An in Angliam, an Galliam abire, an in Germaniam redire velit, pendet animi. Filius tuus valet, & ſe magis magiſque mihi probat. Eum ſubinde monitis tuis ad gloriæ ſtudia erige, qui in publicâ luce poſitus vitam illi vivis in exemplum. Ad quod ut ille reſpiciat, curſumque ſuum dirigat, Deum oro, & eundem ut Te, Ampliſſime, Nobiliſſime Domine, ex voto noſtro & publico diu incolumem ſervet. Vale. Lugd. Bat. ipſis Idibus Sextil. 1628.

86.

IOHANNI à MATHENES.

DUm Poëmatum meorum libellum amicis hic illic offero, occurrit etiam inter eos N. T. ad quam tam exile munuſculum iret. Omnibus enim iis hoc ipſum deberi putabam, à quorum nominibus ac titulis Libello huic meo gratiam laudemque quæſivi. Acceſſit & illud, quod Carminum lectione ſubinde refici Te intelligerem, & graviſſimas occupationes hoc ſtudio-

Digitized by Google

ſtudiorum genere diffindere. Occurrent fortè hic quædam, quæ placere poterunt, ſive ſuave Tibi fuerit Naſſoviorum laudes decurrere, ſive Epithalamiorum lectione debita amantium officia recognoſcere, ſive Sacrorum contemplatione animum ad cœleſtia erigere. Uni argumento non inſtiti, ſed delegi varium & multiplex, ut multos delectarem. A Te qua fas eſt veneratione precor, ut quo affectu humaniores litteras proſequor, hunc autoris N. T. addictiſſimi fetum excipias, qui ſi Tibi placuerit, operæ precium me ſcriptionis feciſſe arbitrabor. Vale, vir generoſiſſime, & me ama. Lugd. Bat. 14 Aug. 1628.

87.

DOMINICO MOLINO *Veneto.*

ITane, Illuſtriſſime Moline, ludicris iſtis verſibus, & incondito Epigrammate merui, ut litteris me tuis compellares? & umbraticum doctorem ſplendoris tui, dignitatiſque radiis illuſtrares? Felicibus aliquoties auſpiciis Muſas meas extruſi, & placuiſſe potui iis, quibus Reſpublica noſtra magnam felicitatis ſuæ partem debet. Sed cum noſtratium judicia ab affectu magis quam ratione profecta credi poſſint, honeſta exterorum de me teſtificatione magis erigor; & Tua inprimis, à quo æſtimari quantivis precii eſſe putant ii, qui ante me teſtimonio tuo & hic & alibi inclaruerunt. Vtinam vero laudibus tuis, vel publice de ſtudiis bene merendo, vel

vel privatim de Te, respondere possem. quorum alterum cum per ingenii, alterum per fortunæ tenuitatem præstare nequeam, fruar tacitus apud me officii & propensissimæ meæ erga Te voluntatis conscientia; & inter auspicatos illum referam diem, qui cantatum Venetiarum Patrem, Reipublicæ augustissimæ Atlantem, Principis sui Nestorem, & litterarum grande illud columen, mihi conciliavit. Et quanquam probe mihi conscius sim, non esse me aut præconiis, aut præconibus tantis dignum; tamen ut è trivio homines sibi & aliis crescunt ab alloquio & comitate magnorum virorum, sic & mihi fit, cum te, Magnifice Moline, mihi admoves propius, & esse aliquis videor ab æstimatione vestra. Sed ne, cum quali homine negotium tibi sit, nescias, audi ingenuam confessionem. Virtutem ex toto pectore, eruditionem pro ingenii modulo sector. Fortunam matrem primum, mox novercam expertus fui. Dicam ex Marone:

Et nos aliquod nomenque decusque
Gessimus.

Philosophiam, litterasque humaniores in Academia hac professus fui. Verum quæ Rempublicam nostram superioribus annis concussit tempestas, me publica sede dejecit, non perduellionis reum, sed quod mitiorem illam de Prædestinatione sententiam scriptis asseruerim. Nec tamen aut animum despondi, aut dissentientibus fidem meam gratificatus fui. at contra, sor-

te

Digitized by Google

te minor, recti fiducia erectior, in hunc usque diem, per Dei gratiam, steti; gratus paucis, iisque melioribus; ingratus iis, quibus placere nec studui, nec etiamnum studeo. Ecce breviter, & candide me aperui Tibi, nec enim æstimatione mei par est falli Excellentiam Tuam. Hipparche olim, virgo nobilis, cum Cratetis cujusdam mendici amore flagraret, nuptiasque ejus efflictim posceret, ille in medio plurium coram virgine & baculum & peram (Cynicorum hæc insignia erant) & gibbum in dorso, & quicquid erat nævorum in corpore ostendit. Hæc mea sunt, inquit, ô virgo. Si talis placeo, ducam te: Hujus exemplo me Tibi revelavi. Si talis placeo, obsequio me Tibi, & virtutum tuarum grata veneratione probare pergam. Tu, Vir summe, ne despice infimæ sortis hominem, & qui Sol es, in tuo isto orbe, favoris tui ac benevolentiæ luce semotum à Te longius Batavum irradia. & quo famam nominis tui jamdudum, amorem quoque mei abire sinas. Non peto, ut me litterarum tuarum venerando alloquio posthac digneris, supra sortem meam hæc sunt. Et minor Te esse incipis, cum ad ista humanitatis tuæ officia demitteris. Tantum absenti annue, & beatum me putabo. Vale eruditorum Mecœnas, & Barlæum ama. E Musæo nostro Lugd. Batavor. 16 Calend. Sept. 1628.

88. COR-

88.

CORNELIO VANDER MYLE.

CHartas haſce ſuas ad me miſit Abrahamus Dominici, iiſque frui & A. T. & alios cupit. Nec tamen in manus Catharorum eas incidere expediverit. Uti enim non probantur Terræ Lemniæ, niſi Sigillatæ, nec pannis precium debetur, niſi ſtigmate publico notatis: ita nec illis quicquam arridet, niſi Synodico ſigillo probatum. Aliquid in hoc argumento ipſum præſtitiſſe mecum judicabis. Licet & ſit, quod deſiderem. Digitum in fontes intendit, viamque commonſtravit, ad ea, quæ in occulto adhuc ſunt. Satius fuerit hîc Theologos pedem figere, hîc cura omni incumbere, quam ſpinoſarum quæſtionum deciſiones anxiè ſectari. Quidvis in ſchiſmatis anſam aut πρόφασιν [*prætextum*] arripitur, dum quibus Chriſtiana unitas cancellis circumſcripta ſit, ignoratur. Nec tam ignoratur hoc ipſum, quam hominum malorum crudelitate & bonorum metu ad Eccleſiæ uſum non transfertur. Addidit litteras ad N.T. quibus ut inſcriberem voluit. Sed jam de Venetis loquamur. Egregiè me cum magnis iſtis viris commiſiſti, Molino inquam, & Balthaſare Bonifacio. Expecto, ut propediem plurium calamos experiar. Bonifacio reſpondi carmine, & Poëſeos laudem, quam nobis immodicis elogiis defert, Italis Poëtis, interque hos Urbano Pontifici deberi regero. Molino an ſatis pro dignitate

Digitized by Google

tate tanti viri respondérim nescio. Tu vir prudentissime judica, & si placuerint, quæ scripsi, sigillo tuo obsera. Vale & uxori filioque Adriano salutem à me dicito, necnon & filiæ aut filiabus, de numero enim mihi non constat, qui apud nos Planetas adæquat. Lugd. Bat. 16 Cal. Septemb. 1628.

89.

M. OLDISWORTHO.

CUm poëmatum hunc libellum amicorum rogatu in publicum extruderem, Oldisworthe doctissime, omnino muneris mei esse putavi, ut Te quoque ejusdem participem facerem, apud quem didici aliquid nugas meas apinasque valere. Congessi velut in fasciculum versus sparsim editos, &, ut fieri solet, elaborata sponte natis miscui, ut quod ad Avitum scribit Martialis, mihi nunc dicere liceat:

Sunt bona, sunt quædam mediocria, sunt mala multa
Quæ legis hic, aliter non fit, Avite, liber.

Tale studiorum meorum feci temperamentum, ut Philosophiam cum Poësi, seriam gravemque disciplinam cum jucundissima hac vatum contemplatione conjunxerim. Ut hujus satietate captus ad illam, illius ad hanc gratissimis vicibus recurrerem. In cibis varietas nauseantem stomachum delectat, nec minus animum studiorum permutatio. Fortè occurrent quædam in his meis, quæ fessam à publicis negotiis men-

Digitized by Google

tem recreabunt. Occurrent ſacra quædam, quorum piis meditationibus mentem implebis. Occurrent alia, ex quibus Bataviæ noſtræ viros ſummos, rerumque noſtrarum & belli Belgici fortunam propius cognoſces. Quod ſi hæc ſtudia aliquando tibi placuere, uti placuiſſe ſuo, omnino confido, non ingratum tibi fore levidenſe hoc munuſculum; quo teſtatum apud te cupio, memorem me etiamnum eſſe & ſemper fore tuæ erga me humanitatis & benevolentiæ, quam præclaro documento antehac probaſti. Exemplar horum libellorum alterum tibi habe; alterum, quod ex byſſo & verſiculis frontiſpicio inſcriptis cognoſces, Illuſtriſſimo Comiti Penbrociæ velim à me dones, officiaque mea omnia Celſitudini ejus ſubmiſſe & reverenter offeras. Vale, vir ampliſſime, & ſi me beare voles, fac vel tribus verbis ſciam qui valeas. Lugd. Bat. 3 Cal. Sept. 1628.

90.

HUGONI GROTIO.

MItto ad te, Vir Ampliſſime, poëmatum meorum libellum, quem nec petere audeo ut legas, ne ſuffenus mihi videar; nec ut non legas, ne de judicii tui candore ac æquitate dubitare credar. Mitto tamen, ne officio meo defuiſſe videar, & communium ſtudiorum fructum aliquem poëtarum principi invidiſſe. Iam enim mos iſte invaluit, ut non minus eruditionis, quam ignorantiæ teſtes libri ad plures transmit-

Digitized by Google

mittantur, ne sine aliorum suffragio aut sapere aut desipere videamur. Me vero in eorum censu libens haberi patiar, qui versus scribunt, non ut poëtæ in publicum prodeant, sed ut huic studio se impensius deditos esse palam faciant, vel cum famæ & honoris periculo. Ex quo enim à gratioribus Philosophiæ studiis venia invito facta est, cantillare cœpi, & ad eos me ingenii lusus applicui, qui juveni olim placuerunt. Cathedrâ depulsus sum, fateor; publicè loqui prohibitum; afflictior nonnihil familiæ status: sed inter hæc omnia mala tantam Musarum dulcedinem experior, ut nesciam, an gratiam referre debeam hujus meæ fortunæ autoribus, an verò de ipsorum in me rigore conqueri. Aliis volupe sit nummos in seriem disponere, aliis arbores in quincuncem digerere, alii agrorum & jugerum, alii boum ovium que censum ineant; mihi non omnem felicitatem inviderunt Dii, cui & pedes & versus numerare concessum. Placent hæc studia, mi Groti, *Nec isthæc Otia divitiis Arabum liberrimæ mutem.* Non habent, quod hic nobis præscribant οἱ ἀρχιερεῖς. [*summi Sacerdotes.*] Quod enim de Apodixi dixit Aristoteles, mihi de Poësi liceat dicere: ὁ γὰρ πρὸς τὸ ἔξω λόγον ἡ ποίησις, ἀλλὰ πρὸς τὸ ἐν τῇ ψυχῇ. [*non enim ad sermonem ore prolatum Poësis, sed ad eum qui in mente est.*] Sed redeo ad Poëmata mea, quæ ut eo affectu excipias, quo autorem antehac prosecutus es, etiam atque etiam rogo. Eo seculo jam vivitur, in quo mediocribus esse poëtis non licet.

Digitized by Google

cet. Nihil jam sapit, nisi singulari curâ excoctum. Quæ publici saporis sunt, nauseam movent. Omnia quasi sesamo & papavere sparsa sint oportet: qualia hæc mea esse ingenuè diffiteor. Sed veniam facile à te impetrabo, si expendas, eo me tempore pleraque scripsisse, quo minime defœcatus fuit animus, & domesticis curis impedita Calliope non semel stetit & obmutuit. Scripsi jam nuper Hymnum in Christum, ad Christianissimum Regem. Poëma est prolixum satis, versibus constans nongentis, & ultrà. Sed cum intempestivum videatur Regi armato, & bellis implicito, pacis autorem obtrudere, in aliud tempus editionem differam. Nisi Tu quid, doctissime virorum, dissentias. Vale vir Amplissime & doctissime cum uxore & liberis, & recti conscientiâ in melioris fortunæ spem animum nobiscum erige. Lugd. Bat. 7 Sept. 1628.

91.

CASPARI BARLÆO HVGO GROTIVS S. P. D.

EXpertus, Barlæe doctissime, Platoni assentio, qui, post magistrum suum Homerum, Deum eo censuit esse ingenio, ut miscere gaudeat. Magnis jamdiu adversis agitatus magna etiam sensi solatia, ex studiis, ex uxoris fide, ex amicorum constantia. Inter hæc, ex animo loquor, inter efficacissima pono Poëmatum tuorum lectionem. Primum enim, quod me tam longus carcer docuit, vim habent mirificam adversus calamita-

Digitized by Google

mitates erigendi animi sacra dogmata, quorum tu præcipua versibus ita expressisti atque ornasti, ut nulla eloquentia ea altius in animum possit infigere. Proximus huic affectui est patriæ amor, quem penitus imbibisse tanti mihi constat, & tamen ne nunc quidem eum excutere possum. Hunc tu mihi, acerbum alioqui ob eorum quæ perpessi sumus memoriam, amœnitate carminum suavem plane feciſti, seu federa canis, seu triumphos, seu spem novæ præfecturæ. Accedunt jam tot artes & studia, in hoc tantum mihi culta, ne cum cæteris iniquus eorum æstimator essem, quæ omnia cum Poësi maritasse non alterius quam tui fuit ingenii. Iam vero Vossii laudes, pro eo quo eum diligo amore, quanto cum gaudio legisse me sentis? Nam quæ ad me ornandum addidisti, his non accenseo, cum ruboris tantum materia sit supra meritum prædicari. Est tamen & hic quod juvet, nullo imperio, nulla vi apud Lugdunenses meos extingui potuisse mei memoriam. Pro his beneficiis quid reddam? quod nemo non potest, vota faventia: unum insuper, quod mihi in hac eruditorum turba viventi facile est, ut omnibus innotescat pietas, fides, eruditio, ingenium Barlæi. Rumpantur si volent οἱ δ' οὐχὶ σὲ μόνον ἀλλὰ καὶ παρ' ἑαυτῶν ἀεὶ ἐλεγχόμενοι. [*qui non à te tantum sed etiam à seipsis semper redarguuntur.*] Vale Vir doctissime. 10 Nov. 1628. Lutetiæ.

Digitized by Google

92.

ARNOLDO BUCHELIO.

Librum meum recepi, Bucheli chariſſime, & unà litterulas tuas illo longè gratiores; neſcio enim qua animi propenſione in te ac tua feror. Alios ſenum conſortia deterrent, tua alliciunt. aliis ætas iſta horridior videtur, tua lenitate & morum ſuavitate perfuſa arridet quam maxime; ut dubitem, an intempeſtivè vegetæ adhuc menti ſenile corpus ſuperinduxerit natura, an potius ſenili corpori venerationem ab animi præſtantia conciliare ſtuduerit. Quidquid ſit, & occultis & manifeſtis me qualitatibus trahis. Manifeſtas voco, eruditionem ſingularem, candorem, humanitatem, quamque non levibus documentis expertus ſum benevolentiam: quam ut perpetuam mihi ſpondeam, facit illa ipſa tua meritò prædicanda ſenectus. quæ ut naturæ novas vices non expectat, moribus præſentibus porrò ſibi conſtabit. Quid rependam, mi Bucheli? animum obſidem accipe & poſſide, illum virtutum tuarum cultorem ſerium & ἀκίβδηλον, [*ſincerum*,] qui quantum fortunæ flabro dejicitur, tantum mitibus tuis alloquiis, & ab amico pectore profectis votis erigitur. Mitto verſiculos, quos ſcripſi ad Venetos; cauſam ex ipſis diſces; juxta it Genethliaca Epiſtola ad Hugenium; quæ ſi lecta placuerint, mecum iis fruere, ſin minus, uti catapotia ſolent nauſeantes pueri, exſpue liberaliter. Eam enim de te amoris fiduciam

Digitized by Google

ciam concepi, ut & seria & ridicula tibi audeam propinare. quando voles, ad me redeant. Vale, vir reverende, & quod superest vitæ viæque feliciter decurre. Lugd. Bat. ipsis Idib. Septemb. 1628.

93.

GODEFRIDO DE HAESTRECHT.

NOn sum is, Haestrechti dilectissime, qui longiore silentio tuo offendar, cum & ipse Harpocratem præter morem meum egerim, & mearum potius partium sit, scribendi officio tuam porro gratiam demereri. Nec fas est amicos tam anxiè ad leges revocari. Qui scribendi & rescribendi vices religiosè observant, timidè ac suspicioſe amant, & dum amicitiam colere videntur, in eandem peccant. Vti regnorum, ita & amicitiæ laus est, libertas. Servile est ex normâ quâdam & regulâ vivere. Scribendum cum & genio adlubescit, & dignum aliquid litteris occurrit. Quare, uti veniam hâc in parte libens tibi do, ita & mihi eam concedi peto. Spinolam in Hispaniis morari non est quod doleant Batavi. A virtutibus ipsius damnum metuitur, & quas laudare in hoste alias licet, nobis tamen amare ob partes non licet. Quid divinent Astrologi, nescio. sunt hic, qui eum non reversurum augurant. ajunt & hoc, non deesse illic, qui nominis ipsius magnitudini officere studeant. Bukingamus plebis odia tragico fine expiavit, & exemplo suo nos docuit,

Digitized by Google

excelsam omnem fortunam in lubrico positam esse. Nostri flent, velut ad novercæ tumulum solent liberi; nec tamen ratione magis eos duci video, quam præjudicio. Vbi constiterit, illum animi proposito in publica commoda peccasse, meo quoque judicio cadet. Interea ἐπέχω. [*judicium suspendo.*] Danus denuo è continente in insulas repulsus adverso Marte pugnare perseverat. Solius Neptuni præsidio tenet, quæ tenet quem si iratum quoque experietur, cum Biante omnia sua secum portabit. Straelsondani Legati Hagæ-Comitis pecunias ab Ordinibus efflagitant, & fortitudinis suæ præmium à nobis reposcunt. Rupellani à fame, uti Sagunthini olim & Perusini, magis magisque inclarescunt. Extremum actum fabulæ exspecto. Flandri spoliis nostratium aucti gaudium accensis ignibus testati sunt. In Catvici littora propulsus prædonum unus, relictâ in vado navi evasit, captis circiter sexaginta ejus sociis, quos sive Harpyias, sive Ulyssis remigium, sive Argonautas minorum gentium vocitaveris, nihil abs te dixeris. De iis, quorum in litteris obiter mentionem injicis, coram latius. Vale, vir summe, & in amore mei constanter perseverа. Lugd. Bat. 28 Sept. 1628.

94.

DOMINICO MOLINO.

AVidis oculis epistolam tuam legi, Ill. Moline, non solum quia magni affectus in me testem;

Digitized by Google

teſtem; ſed magis, quia in ſumma fortuna raram moderationem, & erga infimi ſubſellii hominem inſignem facilitatem, comitatemque præferebat. Qui enim in faſtigio honorum poſitus es, nec tibi, ſed patriæ tuæ commodis vivis, tam humaniter, tam benignè, tam blandè me affaris; ut neſciam, an magis in te tantæ dignitatis cum comitate temperamentum mirari debeam, an ad hanc meam felicitatem obſtupeſcere. Litterarum tuarum inſcriptio, argumentum, ſubſcriptio, omnia amorem mei tuum, & ſingularem benevolentiam ſpirant. quæ cuncta, ne ſingula perſequar, hoc emphatico es complexus, cum amicum te vocas meum. Quibus verbis mirabili fœdere diverſiſſima ſocias, ſummum infimum, honoratum deſpecto, ſenatorem poëtæ, politicum cum ſcholaſtico Doctore. Si in æqualitate ſecundum Philoſophos conſiſtit amicitia, amicus eſſe non poſſum. poſſum eſſe cliens, poſſum eſſe obſequio tuo & cultui devota animula. Ut tamen aliquà amicus ſim, annitar, ut quanto es dignitate, prudentia & meritis ſuperior; tanto ego tui obſervantia ac veneratione præcellere ſtudeam. Sic enim diſparium amicitiam ad ἰσότητα [*æqualitatem*] revocat Ariſtoteles. Ego illam tuam, vir ſumme, erga litterarum ſtudioſos humanitatem, partem eſſe arbitror ejus philoſophiæ, quam in rerumpubl. rectoribus exigit Plato, cum beatas fore ait reſpublicas, in quibus aut philoſophi imperarent, aut qui imperant philoſopharentur. Nec enim

Digitized by Google

ad reip. bonum faciet cæli terræque ambitum veluti pollice ac filo metiri posse, aut de Antipodibus feliciter differere, sed res agendas nosse, quarum scientiam primus in domos Respublicasque deduxisse perhibetur sapientissimus Socrates. Quàm vellem patriæ meæ, aliàs laudatissimæ, hanc quoque laudem deberi; in qua licet multi opibus honoribusque emineant, paucos tamen novi, qui dignè æstimare didicerunt doctrinæ, candoris, virtutisque precium: paucos, qui prudentiæ esse putant, apud inferiores sortis suæ magnitudinem subinde dissimulare. A quorum moribus cum longissimè recedas Ill. Moline, Solem mundi oculum mihi imitari videris. Uti enim ille, non in illustria solummodò ac splendida terrarum loca radios mittit; sed sordidis etiam, cœnosis, squallidisque locis luminis sui ac caloris usuram impartitur; ita & tu non in aulis solum ac principum prætoriis clarus fulges, sed & me pauperis tugurii dominum alloquio tuo recreas, & velut in vitam revocas. Nam (ut à simili pergam philosophari,) accidit mihi à tuis litteris, quod herbis à pluvia. Uti enim hæ irrigatæ felicius surgunt, sic mihi animus à talium sermonum rore. Quamobrem posthac non quærenda mihi apud te ingenii, sed obsequii gloria. Utinam manare aliquid à me possit, non dicam utile (id non potest) sed gratum acceptumque; non libenter solùm, sed & avidè id facerem. Quod, quoad non possum, obtestor, ut credas me tuum esse,

si

Digitized by Google

si non usu, tamen mancipio, sicut & fundum aliquem possis in peregrino loco nunquam à te visum. Satyram illam, cui nomen Hieromastix, legi & relegi aliquoties. Nec enim Romam ita loquentem facilè est intelligere. Venustatem in carmine isto mecum non desideras, quia Satyra est. Eruditionem raram in authore, omnesque Satyrici scriptoris laudes, obscuritatem, dicacitatem, & quæ Satyrorum propria est, lasciviam agnosces. Dico ingenuè. Stupui cum legerem, nec legendo etiamnum saturari possum. Carmen est, quod lucernam olet, &, ut inquit ille, *demorsos sapit ungues.* Veteris ævi mordaces idiotismos egregiè imitatus est poëta. Si Pythagoræus essem, jurarem in istud corpus migrasse prisci cujusdam Satyrici animam. Nihil à longo tempore vidi ex isto vestro orbem profectum, quod isti Satyræ par sit aut secundum. Non potui, quin Epigramma aliquod in illam funderem verius quam scriberem. Vale vir digniſſime & Reip. augustissimæ bono diu salvus vive. 6 Non. Octobr. 1628.

95.

LEONI AB AITSEMA.

TAndem Germanos suos repetiit Aretalogus iste, postquam Britannos & Gallos adeundi spem ambitioni donasset. Discessurus à cognato tuo petiit centum Imperiales. Sed prudenter ille regessit, non esse sibi à parentibus factam potestatem de pecuniis pro lubitu dispo-

Digitized by Google

ponendi. Non arbitror in Germaniam rediturum fuisse, si isthoc ære emungere adolescentem potuisset. Iam verò à Principe Lunenburgico (nihil enim nisi Principes, Barones, & grandia nomina crepabat) se ilicet domum revocatum ajebat: sed opinor à bonæ mentis sorore revocatum. Speraverat, uti cognati sumptibus hanc hyemem apud nos comburet, qua spe dejectus desperationem in indignationem & furorem vertit. En litteras, quas ad me misit, posteaquam ædibus meis exivisset. Non respondi, nec consultum putavi funiculum contentionis cum isto homine trahere, ne duo mali essemus. Quare intra silentii leges steti, ratus spretam calumniam exolescere. Quæ potui humanitatis officia ipsi præstiti, salvâ, uti par est, boni patrisfamilias ὑπεροχῇ. [*prerogativâ.*] Chartas meas meditationesque privatas & ἀνέκδοτα [*inedita*] ipsi legenda & describenda dedi. Sed cum Homericum illud affectaret, αἰὲν ἀριστεύειν καὶ ὑπείροχον ἔμμεναι ἄλλων, [*semper præstantissimum esse, semper eminere supra alios*] displicere mihi cæpit hominis in alienâ domo lascivientis supercilium. Ex quo tempore discessit, mores suos magis mihi probavit adolescens iste, cujus ille ætate & ἀπειρίᾳ [*imperitiâ*] insigniter abusus fuit. De leviculis studiosorum delictis conqueri non est mei moris. Præscripsi illi studiorum methodum & styli exercitia. Lectiones Logicas audit. Nec enim inutile fuerit summa Philosophiæ ipsum libare. Ad graviora viam struit, ne cruda studia in

Digitized by Google

in forum protrudantur. Si quid forte committi ab ipso videro, quod correctione vestrâ egeat, faxo mature cognoscas. Priora non ipsi, sed consultori pessimo imputo. Donandum aliquid rerum imperitiæ, quâ ætas ista laborare solet. Non ignoras illud Aristotelis: juvenes non esse idoneos auditores Ethicæ. Vale. Lugd. Bat. 20 Oct. 1628.

96.

PETRO NAALTWYCK,

Medicinæ Doctori apud Gottenburgenses.

TAndem litteras Principis interceſſorias impetravimus, Naeltwici amiciſſime, & aulicorum moroſitatem importunitate expugnavimus. Eæ quin votis tuis ſint reſponſuræ non dubito. Iam antè libellum ſupplicem ad Auriacum tuo nomine conceperam, in quo ſtrictim petitionis tuæ argumentum ſummamque complexus fueram. Ea his capitibus conſtabat. 1. ut promiſſum tibi ſtipendium ſolveretur. 2. ne diploma regium tibi conceſſum pateretur eludi Rex, paucorum machinationibus. 3. ut propius animum advertere dignaretur ſua Majeſtas, ad ea, quæ jampridem inter te & Senatores ſuper creſcentis ac novæ urbis commodis incommodisque diſceptari cœpta ſunt. Ad hujus libelli ſupplicis tenorem puto conceptas eſſe litteras Principis, quæ ut tibi rebusque tuis benè cedant, ex animo precor. Conquereris de fortunæ injuriis, quam & nos novercantem experimur. Sollicitè illa cavet, ne mediocritatis limites trans-

Digitized by Google

transgrediar. A Philosophia remedium petamus, quæ præter virtutem ac vitium nihil bonum vel malum putat. Quam vellem Stoïcorum hoc effatum altius animo meo insedisse. Æquam magis mentem servarem, nec irascerer fatis, quæ in hæc me tempora nasci voluerunt, in quibus de bonorum integritate triumphat improbitas. Multa antehac de patientia, & rerum humanarum contemptu disserui, cum ad populum loquerer. Sed hoc est verè Theologum ac Philosophum esse, vita ac opere præstare, quæ in otio ac umbra absque affectu & sensu disseruntur. Hæc cogitemus, & benè præparato pectore alteram sortem speremus. Optimum miseriarum condimentum est, nihil, quod homini accidere possit, intolerandum putare. Theatrum humanæ vitæ ingressi sumus, in hac mundi scena actores sumus, in qua si personam sustinemus minus gratam, non est quod improperemus chorago, qui pro arbitrio, quas vult, cuique partes assignat. Reliqua, quæ litteris tuis operosius exequeris, non attingam. Si Deo cordium inspectori conscientiam probaveris, non est quod hominum judicia magnifacias. Famæ periculum, fateor, incurristi apud multos. Apud me verò illorum judicio nec stabis nec cades. De rebus nostris quid scribam? Remonstrantes liberius hic illic concionantur. Alibi tamen avidas prætorum manus effugere nondum datur. Classis Anglicana Rupellæ liberationem tentavit sed frustrà. Vale vir charissime, & uxori à me salutem

Digitized by Google

tem dicas, etiam nobiliſſimo Dyckio, ubi oportunum erit. Lugd. Bat. 20 Oct. 1628.

97.

GODEFRIDO DE HAESTRECHT.

QVam luculentam hactenus mendaciis materiam ſubminiſtraverunt Rupellani, quos jam deditos, jam liberatos accepimus. Cohibui ego calamum, nec in tam fecunda falſi meſſe ſpicilegium, quod ad te transmitterem, quæſivi. Tanta hîc quorundam hominum, qui hoc rerum novarum ſucco, veluti rore cicadæ, paſcuntur, impatientia eſt, ut Rupellanorum pertinaciæ alii iraſcantur ſeriò, alii Anglorum ſocordiam & negligentiam execrentur. Dolent hi non perire urbem, illi Regis conatus non eludi, ut habeant utrique, quod in compitis, tabernis, ac templorum periſtyliis narrent. Operæ precium eſt collidi regna, vaſtari terras, expugnari oppida, ſumma imis miſceri, ne deſit curioſæ garrulitati ſuum argumentum, aut famelicæ linguæ ſuum pabulum. Sed hæc nimis graviter à me dicta videbuntur. Non tamen fraudabo te iis, quæ heri ad me Haga perſcripta ſunt à Viro ſummo; cum à falſi ſuſpicione alieniſſima ſint. Ea in hac ſchedula deſcripta habes: nec enim Latinitate donare placuit, ne verborum ſtudio rebus quicquam derogaſſe videar. Tu quid de Marchione intellexeris, fac ſciam. Eum modò inter Inferos, modò inter Superos verſari noſtrates ajunt. Sed è gravi morbo, dyſenteria nempe, emerſiſſe pro-

Digitized by Google

probabilior fama asserit. Amstelodami inter Calchantes & Agamemnonem pessimè convenit; vereor ne in nervum illa res propediem erumpat. Multos habet illa urbs, quibus perdita republica opus est. Vale vir dilectissime, & me vel Laconico responso dignare. Lugd. Batav. 12 Nov. 1628.

98.

DOMINICO MOLINO.

SOlent gratiora esse, Illustrissime Moline, quæ foris advehuntur, & cum vilescant quotidiano usu domestica, novitate sui animos detinet, quidquid exoticum est. Ex Occidente transmissi pisttaci, ex Oriente vascula porcellana, è Septentrione ferarum molles exuviæ, à Meridie aves Numidicæ in deliciis habentur. Ego Patavii, Tarvisii, Veronæ, Romæ natos versiculos delicias meas puto, quarum cum me compotem facis, videor mihi procul extra Bataviam in alium Orbem delatus, & cum illis ipsis vatibus, Osio, Tedescho, Bonifacio, Vayra loqui. quorum omnium indolem suus exprimit character. In Osio placet fusum dicendi genus & minime coacta oratio. In Tedescho carminis ipsius & structuræ nitor. In Bonifacio ingeniosa & rebus accommodata inventio. In Vayra facilitas & perspicuitas. In omnibus unanime illud studium veneror, laudes tuas exequendi, quas oratione tunc fortè se assequi posse sperabunt, cum bene de Republicâ tuâ & re litteraria mereri

Digitized by Google

reri defines. De Urbani Pontificis, cujus plura antehac vidi, Elegiâ quid sentiam, adscriberem, sed deterrent multa, authoris dignitas, judicii imbecillitas, & facti invidia. Scio, quam sit res odiosa, hôc seculo censoriam virgulam stringere, & ædilitatem sine populi suffragio sibi arrogare. Et memini, me, quo tempore Theologiæ operam dedi, non semel in Theologorum scriptis legisse; Pontificem à nemine esse judicandum, nec falli ipsum posse, quoties è cathedrâ pronunciat. Nisi velis, è cathedrâ non scribi versus, nec infallibilem esse Pontificem, quoties in Parnasso obdormiscit. Fas mihi sit, gravissime Moline, jocularem orationem seriis inspergere. Nec enim semper Homero serius est fulminum jaculator Iuppiter. Sæpe Iuno ineptiens & zelotypa, aut loripes Vulcanus, aut stolida mortalium studia risum movent magno nubium coactori. Verum, utar Poëtarum jure, quibus

Quidlibet audendi semper fuit æqua potestas,

& quid statuam de tanto Vate dicam paucis: Spirat Elegia ista pietatem, utpote à celebri pietatis professore profecta, nativo colore nitet, remoto fuco & affectatione, & uti jure imperioque supradictis poëtis superior est author, ita & charactere, genioque poëtico. Ita statuo, salvo doctiorum judicio. Nec enim suffragia mea pro prætoriis edictis haberi volo, aut Apollinis oraculis. Sed miror istos vestros vates nusquam diem, mensem, annum annotare scripti

Digitized by Google

carminis. Extra anni soliſque vias positi videntur. Neſcio ego, an jam recens nati ſint verſus, an ſuperiore ſeculo. Plane hoc in regularibus irregulare eſt. Si amanuenſis incuria neglecti ſunt faſti, ſententiam latam revoco. Vale, vir ſumme, & Italorum eruditis commentis me beare perge. Lugd. Bat. 17 Nov. 1628.

99.

CORNELIO VANDER MYLE.

REdeunt ad te, Nob. Myli, Italorum poëtarum chartæ, quæ, ut ingenuè dicam, parum penſi ac ſalis habent, exceptâ Urbani Pontificis Elegiâ. Oportuit tamen & illis hederam ſuſpendi, ne laudabiles gentis ſuæ conatus deſpici à nobis putet ſummus iſte vir. Non potui à me impetrare, ut à capite ad calcem ſingula perlegerem. quatuor aut quinque verſus delibati nauſeam movent delicatiori ſtomacho. Scio & N. T. idem mecum judicare. Filium tuum monebo, uti ad Academiam feſtinet lentè. Carminis ſubinde ipſi argumentum præſcribam. Videtur enim non invitâ Minervâ verſiculos pangere. Affecit & me publico nomine lætiſſimum illud nuncium de rapto aureo vellere & exutâ opibus Colchide. Habet & ſuum Iaſona ac Argonautas Batavia. Utinam in portu navigaret claſſis, aut in littore ſtaret. Apud Maronem legere eſt, — *portantur avari*
Pygmalionis opes pelago, dux femina facti.
Nobis jam canere liceat, — *portantur Iberi*
Regis

Digitized by Google

Regis opes pelago, & tantis dux Heynius ausis.

Vix imperare mihi possum, quin scribam carmen hujus argumenti. Vale, vir præstantissime, & inter virtutum tuarum serios cultores me quoque habe. Lugd. Bat. 17 Nov. 1628.

100.

IACOBO VANDER STRATEN.

VEnit ad Te, dilectissime Stratene, maximi istius viri Elegia, in expeditionem Argonauticam Batavorum. Non caret genio, nisi qua parte obscuritate quadam, quæ authori familiaris est, lectorem remoratur. Quæ ego in idem argumentum meditatus sum, videbis per Dei gratiam, ubi heros iste appulerit. Iam consultum non arbitror, venales conchas proclamare, vado suo adhuc adhærescentes, ut nostratium habet proverbium. Poëma istud meum sub manu crevit, & annorum Nestoris numerum longè excedit. Non potui circa tantas opes occupatus carminum esse parcus: valdè desideria mortalium exercet Iason iste. Non putem flagrantius à Iudæis Messiam expectari; adeò mortalia pectora agitat sacra ista fames. Mihi nec seritur, nec metitur. Nescio tamen, qua insaniâ & ipse cum aliis insaniam, & votis publicis privata jungam. Hymnus meus in Christum Regi Galliarum dictus jam sub prælo est. Audio post deditam æquissimis conditionibus Rupellam ad pacis & obedientiæ officia, alias quoque Protestantium urbes à Rege invitari. Ego Christianorum

Digitized by Google

norum esse arbitror, Principum suorum imperiis parere, nec leges illis ferre, sed accipere. Tales erant antè Constantinum Imperatorem. Post hunc armis & seculari robore muniti à Christi legibus recesserunt, & oppressi opprimere, cæsi cædere, afflicti affligere alios cœperunt. Vale. 9 Decemb. 1628.

101.

CONSTANTINO HUGENIO.

SI quid de versibus istis tuis sentiam, Laconicè mihi pronunciandum foret, Hugeni clarissime, dicerem, placent. Iam cum Asiaticum magis dicendi genus, quam Laconicum amemus, dicam, Elegiam illam tuam in Argonautas rerum ubertate & precio illis ipsis quæ celebras spoliis respondere, fortè & inventione. Prorsus enim, uti Argonauta noster egregia felicitate, quæ in bellis multum valet, in vellus istud aureum incidit; etiam, Tu Hugeni, mirâ ingenii felicitate in eas incidisti cogitationes, in quibus cum prudentiâ mixturam fecit erudita poësis. Ego quæ de labris & calice scribis, primoribus labris gustasse contentus non fui, sed perlecta aliquoties altius animo recondidi, quò jam ante Te. De Gallici carminis genio rectius me judicabit Brosterhuysius, qui illud ipsum, uti & alia à Te profecta, ære magis Corinthiaco æstimat. Etiam, ubi Hispanizas, mitor magis. Nescio an majus miraculum sit dari Chimæram capite Leonem, ventre capram, caudâ draconem, quam hominem

Cui

Digitized by Google

Cui linguæ centum sunt oraque centum.

Num Mithridati gloriam suam invides, & os illud multilingue? Hirudini natura bisulcam linguam dedit, tibi ars & exercitatio plus quam bis trisulcam. Carmen meum in Argonautam Heynium non videbis, nisi postquam dicere licebit,

Aut portum tenet, aut plenis subit ostia velis.

Vereor enim illud, quo gaudes, proverbium de calice & labris. Nec par fuerit, prudenti me seculo ludibrium debere. Breve carmen scribere institueram & urceum moliri, currente rotâ nunc amphora exit, præpostero, quàm apud Poëtam est, ordine. Ivimus ultrà trecentos, quanquam à numero commendari frigidum sit schema. Omnes noctu sub stragulis scripsi, ubi rebus

Nox abstulit atra colorem.

Vide qualis quantusque in occulto lateam, ad exemplum pii Æneæ,

Per noctem plurima volvens.

Vale. Lugd. Bat. 20 Dec. 1628.

102.

GODEFRIDO DE HAESTRECHT.

PErgis tuo more, Haestrechti nobilissime, ultimæ sortis hominem amicis tuis, & per hos terrarum Diis, commendare, ut è tenebris in lucem producas eum, quem, affectu magis quam judicio, amas. Nisi meæ mihi tenuitatis conscius essem, eò fortè aspirarem, quo tuus me favor destinat. Nunc consultius arbitror, ut meo me pede metiar, & inter humiles myri-

Digitized by Google

cas reptem, quam ut cum Phaëthonte in ſublime evectus præceps ruam. Non deſinam tamen aliquatenus tibi obſequi. Quod enim ſuaſiſti ut ſcriberem Epitaphium manibus Sereniſſimæ Principis, ſcripſi; eoque lubentius, quia neſcio quo naturæ genio in Regum Principumque laudes ferar. Mirum, quantos ſpiritus ſumam, dum circa auguſta illa nomina & grandes animas occupor, & in humili fortuna poſitus videor mihi cum ſummis Principibus coram loqui familiarius, & ſorte mea major eſſe. Ita eſt. quorum vultum præſens ſuſtinere non poſſem, eos abſentes egregia ſecuritate & παῤῥησίᾳ [*loquendi libertate ac licentia*] aggredior. Accedit & hoc; quod religio mihi fuerit, hoc qualecunque pietatis officium denegare Principi à natalium & virtutum ſplendore clariſſimæ. Potuiſſem ſcripſiſſe Carmen operoſius & prolixius, ſed non amant longos logos Principes, nec in publica commoda peccandum. Utinam rerum majeſtati reſponderet oratio. Accidit hic nobis, quod noctuis accidere ſcribit Ariſtoteles; quarum ſicuti oculi ad fulgorem Solis caligant, ita & ingenii noſtri acies ad publica illa lumina & Soles hebeſcit. Puto tamen quædam commodè à me & perſonis convenienter dicta eſſe, niſi tu ſecus putas, cujus ego exactiſſimum & limatiſſimum judicium magni ſemper feci. Amabò, fac ſciam, num dignum putes tali Principe teſſum meum. Nihil amicitiæ noſtræ des velim, nihil amori. cenſuram ſeriam laudibus præferam.

Digitized by Google

ram. Nec dolebo si abortivum fœtum exponendum suaseris. An ubique aulicum istud πρέπον [*decorum*] observaverim, dubito, cum non in aula educatus sim, sed pulverulenta Stoa. De Petri Heinii adventu nihil adhuc constat. Exercet nostratium desideria, si quisquam alius. Adeò ista sacra fames animis mortalium insedit, ut jam de Superis cogitare supervacaneum putent. In Gallia res Protestantium retrò eunt. Advocatus Parlamenti, ut ajunt, acrem in illos invectivam habuit. Ad pacis studia minus facilem se præbet Britannus, difficilem Gallus. Palatium legati nostri in Anglia conflagravit funditus, uti & aliud extra urbem, utrumque Cæcilii. Oblata volunt incendia hæc à nautis stipendia militiæ efflagitantibus. Realius noster Viennæ adhuc in libera habetur custodia. Non ita pridem hoc ad me misit ἐπιτύμβιον [*inanis tumuli carmen*] suum:

Hic situs est, quem versat adhuc sors turbinis instar,
In dubio quonam præcipitare velit.

Hagæ deliberatur, Amstelodami in partes itur, Lugduni versus meditatur, & te quam maximè colit tui studiosissimus C. Barlæus. Vale. 24 Dec. An. 1628.

103.

CONSTANTINO HUGENIO.

Respondet Athenæi Batavici everriculum, illum peritissimi Aulicorum ad Hieromasticha Crisin sibi probari, & addit; cum aulæ

Digitized by Google

ſtudiis mirabili federe in illo maritaſſe litterarum artiumque omnium multijugam ſcientiam, quod non alterius, quam illius eſſe cenſet. Hypercriticum autem qui agere audeat, qui ſuæ ſibi tenuitatis conſcius ad dictatorias illas voces horret. Qui fulmine icti ſunt, ad omne ὑπέροχον [*ſublime*] & διοπετὲς [*cælo delapſum*] pavent. Etiam, mutabo perſonam, me Hugeni doctiſſime, ad inferos depreſſum terrent tituli ambitionem profeſſi, & invidendæ iſtæ præpoſitiones. Amavi antehac vocabulum Subregentis, quod humilitatem ſapit & ſubmiſſionem. Nec tamen evaſi. Quid fiet mihi ſi Hypercriticus audiam? Relinquamus hos titulos rei litterariæ Duumviris Eraſmo & Scaligero, quorum ille Hyperaſpiſten, hic Criticum & Hypercriticum, ſubtilia, ſubtiliora, & ſubtiliſſima ſcripſit. Aut ſi recentiores in ſcenam producendi ſunt, cenſuram cum poteſtate conſulari exerceat autor Ariſtarchi ſacri, aliique, quibus in intima litterarum penetrare datum. In ſatyrarum lectione (loquor ex animo) multo me es exercitatior, quod ex illa tua accuratiſſima Criſi facilè colligo. Magis me amœniorum poëtarum lectio afficit, & ſtudia florida, & nativo colore nitens dictio. Hos qui ſaxa & lapides loquuntur, & per ſalebroſa & verrucoſa incedere amant, mirari magis ſoleo quam laudare. Præter Perſium nullum poëtarum magis odi. Non puto à Romanis illum intellectum. Et quid hoc eſt, ita ſcribere, ut non niſi

adhi-

Digitized by Google

adhibita mole commentariorum intelligi possis. Placeat Martiali & Fabio, ad palatum meum non est. Amo prolem facili partu editam. Quæ diu inter matrem & obstetricem hæsit, nec nisi unçis & speculis adhibitis in lucem protrahitur, horribilis exit, obtorto vel capite, vel pede, aut elumbis. Hieromastiga illam ob eruditionem authoris suspicio, sed viatico multo mihi opus fuit in ejus lectione. At desinam, dum censuram declino, censorem agere, ne mihi Iuppiter ambas iratus inflet buccas, tibi nasus concepat ab ira. Criticum verè Hypercriticum ad Hieromastiga si legere voles, epistolam lege Sigismundi Baldoni, quam mitto, una cum aliis litteris Venetorum. Ne tamen videar tibi non obsecutus, aliquid nugabor. Cur illud: *Filius aut cœli* displiceat, non video. Si terræ filium dicimus terra genitum, aut obscuro loco, cur non cœli filium dicere liceat cœlo aut illustri loco natum. Fulmen vocare *æthereum sulphur* Persicum est Satyr. 2.

— Ocyus ilex
Sulphure discutitur sacro.

Nec ad palatum tuum est illud dolentis, *Impius heu.* At apud Persium Satyr. 5 legisse me memini:

— heu
Bæro regustatum, &c.

In reliquis assentior. Vale. 28 Dec. 1628.

Digitized by Google

104.
GODEFRIDO DE HAESTRECHT.

VEnit ad te Hymnus meus in Christum, cujus nuper mentionem feci, & eo quidem tempore, quo memoriam Salvatoris nostri Iesu Christi quaquaversum solennibus sacris celebrat Ecclesia. Invenies hic, quod fortè placere poterit, amplum attentæ devotionis argumentum. Non has mihi meditationes Apollo Pythius, non Musarum chorus, non Iovis cerebro nata Pallas suggessit, sed ille, qui in cælis Christianæ salutis stupendum negotium moderatus fuit, Pater. Non hîc in Parnasso obdormivi, sed per sacrosancta Prophetarum & Apostolorum vireta exspatiatus fui;

--- *nec labra prolui fonte Caballino*,

sed illo, ex quo aquæ scaturientes in vitam æternum fluunt, & ex quo bibens non sitit in æternum. Veste indui poëticâ vitæ Christi periodum, & ad carminis leges adstrinxi magnum Legislatorem. Quod sicuti facilè non est, ita veniam mihi dare postulo, si minus rigidis censoribus satisfecero. Tuum sane judicium non reformido, qui præjudicio amoris mei occœcatus, etiam quisquilias meas apinasque in precio habes. Si doctrinæ genium, hoc est veritatis à me assertæ capita spectes, nihil offendes, quod non vel ipsa Roma probet. Verè hîc sum Catholicus, ea canens, quæ partes non sapiunt. Caruit sutura Christi tunica, utinam & Ecclesia nomen ejus

Digitized by Google

ejus profeſſa. Sed hæc optare magis licet, quam ſperare. Digredior, mi Haeſtrechti, in ſacrum ſermonem, dum ſacra mitto, ut à pio affectu profectum opus piis vocibus proſequar. Exemplar unum tibi inſcripſi. Quid ſi alterum, eat eâ viâ, qua tu ire ſoles. Vale vir ſumme & præſtantiſſime, & ſubinde me vel tribus lineis recrea. Vt annus hic, quem ingredimur, feliciter tibi exeat faxit ſeculorum & æternitatis Pater. Ipſo Regum feſto 1629.

105.

ARNOLDO BUCHELIO.

DVm amicos hîc illic circumſpicio, doctiſſime Bucheli, quibus ingenii mei luſus impartiri ſoleo, inter primos occurris tu, vir priſci ſeculi, in quo pietas, candor, ſimplicitas, eruditio, optimo federe coiere. Neſcio enim, quod eruditorum genus ſterile hoc virtutum ſeculum proferat, in quibus eruditionem aut vana æmulatio, aut pejor invidia, aut vitæ improbitas, aut impietas, veluti peſtilenti aura afflavit. Rectius tu à doctrina ipſa mores capis, & egregiarum virtutum catervam Chriſtianæ pietatis vinculo in te ſociaſti. Quare non alienum fuerit à ſtudiis tuis, ſi Hymnum hunc placido vultu exceperis, in quo pietatis ac religionis noſtræ magnum Doctorem pio Encomio proſequor: Qui enim Reges antehac & Principes hujus mundi cecini, hoc officium Regum Regi me debere putavi, ne ingratus eſſem in eum, à quo omnis poëta-

Digitized by Google

poëtarum vis, & hæc dicendi facultas, quantulacunque ea in nobis sit, defluxit. Si regi Saulo μελαγχολικὸν πάθος [*melancholicum morbum*] discussit citharâ David, fortè & hic noster cantus senectutis tibi tristes & morosas curas aliqua discutiet. Vbi Christum creatorem leges, vitam quoque te illi & hunc spiritum debere cogita: ubi Redemptorem, subeat, & pro te solutum grande illud Redemptionis λύτρον. [*pretium.*] ubi in cœlos sublatum, expende hic domum tibi & æternam mansionem parari. ubi Iudicem, animum hoc elogio erige. Nullum esse condemnationem iis qui in Christo sunt. Quæ dum scribo ad terminum illum cui vicinior es per ætatem adspiro, & ad metam illam præmaturis fortè votis contendo, in quâ stare per naturam videris. Climactericum annum evasisti, sed climactericus omnis est, qui fatalis, qui summus, qui Dei irrevocabili decreto designatus. Quod currentis tibi vitæ pensum dum continuat divina bonitas, eandem rogo, obsecroque, ut corpusculum à morbis, animum à suis quoque doloribus tibi immunem præstet. Vale cum uxore & familiâ totâ, nec grave sit Barlæi tui subinde meminisse. Ipso Regum, ut vocant, festo. 1629.

106. CON-

Digitized by Google

106.

CONSTANTINO HUGENIO,

Iurisconsulto.

MItto sacra, ut redimam profana; vereor enim, ne si diutius fileam, usucapionis erga me jure utaris, & actionem tibi arroges in rem directam. Nec enim jam, quod olim, allegare licet, sola bona Italica usucapi *l. unicâ. C. de usucap. transform.* cum ex jure hodierno omnes res corporales usucapiantur. nisi illud usucapionis jus tibi evertat, quod rem detineas commercio exemtam, carmina & litteras, quæ sacris & religiosis rebus annumeranda, meo quidem judicio existimo. Adde & hoc, quod bona fide usucapere non possis, cum non ignores rem esse alienam, *l. 32. §. 1. D. de usurp. & usucap. l. 21. C. de furt.* Quare cœptam (uti videtur) præscriptionem interpello, non naturaliter, sed civiliter, litem contestando, intrà statuta tempora, ne ab agendo excludar, & post immemorialem usucapionem repetundarum jure excidam. Miseram istum chartarum fasciculum commodato, cujus proprium hoc esse scis, ut res restituatur, & quidem eadem specie *Cuj. par. hîc. Vult. 1. Iurisp. 32.* & quidem non deterior, *l. 3. §. 1. D. Commodati.* Vnde cum adversus commodatarium mihi actio sit, rem integram, nec deterioratam (hi flosculi sunt vestri) mihi restitui peto, aut re peremta æstimationem præstari volo. Nec video, quid regerere possis, cum à re commodata prohibitus non sis,

Digitized by Google

sis, nec damnum ex vitiosa re scienter commodata senseris, quod sciam. Nisi fortè aut aulæ curas pro impedimentis allegare voles, aut damnum interpreteris, quod chartas istas meas volvendo bonas horas perdideris. Sed hanc rem judicis arbitrio permittamus. Nunc ad sacra illa revertor, quorum mentionem injeci. Habes, mi Hugeni, Hymnum meum in Christum, non poëseos, sed sinceri erga Christianam religionem affectus specimen. In eo Servatoris nostri laudes pio encomio exequor, quanquam quî possim dignè, cum in mysteria illa introspicientes Angeli stupeant. Ab æternitate ejus exorsus ad Creationis opus descendo, cum omnia per ipsum facta sint, quæ facta sunt. Hinc federis gratiosi cum homine lapso initi sequestrum & mediatorem intueor. Post hæc universæ legis & ceremoniarum colophona, & Prophetarum oraculis designatum. Tandem Deum in carne conspicuum cano, vagientem, pauperem, fugientem, docentem, miraculis opibusque potentem, in cruce passum, à morte reducem, gloriosè cœlos repetentem, Ecclesiæ rectorem, &, in quo desino, venturum vivorum & mortuorum judicem. Si non docta, si non poëtica, dixi pia. Dixi, ex devota sacris mente. Dixi, ut cantu persuadeam, quæ apud populum aliquando gravi oratione disserui. Dixi, non in gratiam partium harum vel illarum, sed piorum & Christianorum omnium. Caruit Christi tunica futura, & meum carmen dissutæ, proh dolor,

Digitized by Google

lor, pacis vocibus. Vale Hugeni præstantissime, & in Epistolam hanc Iuridico-Theologicam quadrare puta illud magni vatis:

---- *Humano capiti*, &c. aut

Delphinum silvis appingit, fluctibus aprum.

5 Id. Ian. 1629.

107.

SIMONI EPISCOPIO.

VEnit ad te Hymnus meus in Christum, clarissime Episcopi, non ut poëticæ artis documentum aliquod apud te deponam, sed ut pietatis & Christianæ Religionis sincero studio me hic & alibi probem. Dum enim domi, modo ad meam, modo ad tot præstantissimorum virorum, & tuam quam maxime sortem ingemisco, solatia communis miseriæ à Deo, à Christo, à virtutibus Christianis, & vitæ æternæ meditationibus peto, quæ ut altius animo insideant conor vinctis verbis proferre. Ita enim fit, ut quæ lecta aut audita ocyus prætervolant, diutius animo obversentur, dum metro aptantur & carminis legibus. Non ignoras mecum, quam non æque facile sit in sacris ac profanis vatem esse, cum hic per ambages & Deorum ministeria, & fabulosum sententiarum tormentum circumduci possit oratio; illic adstrictus magis spiritus à rerum majestate & sanctitate coërceatur, & religiosos sensus verborum ambitu intexere pertimescat. quod tamen faciendum subinde fuit, ut carmen scripsisse videar. Ubi parti-

Digitized by Google

particulam de ſolido die demere libebit, ad Hymni mei lectionem te confer. Invenies in eo ſummam eorum, quæ facunda antehac oratione ad populum & ſtudioſam Iuventutem diſſeruiſti. Ab æternitate Chriſti exorſus ad Creationis opus deſcendo, cum omnia per ipſum facta ſint, quæ facta ſunt. Hinc fœderis gratioſi cum homine lapſo initi ſequeſtrum & mediatorem intueor. Poſt hæc univerſæ legis & ceremoniarum colophona, & prophetarum oraculis toties deſignatum. Tandem Deum in carne conſpicuum cano, vagientem, pauperem, fugientem, docentem, miraculis operibuſque potentem, in cruce paſſum, à morte reducem, glorioſe cœlos repetentem, Eccleſiæ rectorem, &, in quo deſino, venturum vivorum & mortuorum judicem. Si non docta, ſi non poëtica, dixi pia. dixi ex devoto ſacris pectore. dixi ut cantu perſuadeam, quæ absque numeris & modulis aliquando docui. Dixi, non in gratiam partium harum vel illarum, ſed piorum & Chriſtianorum omnium. Inconveniens quippe videbatur controverſa me loqui, cum de illo loquor, qui pro nobis in cœlis loquitur. Quare non alienum fuerit à ſtudiis tuis & ſacra profeſſione, ſi Hymnum hunc placido vultu exceperis, in quo pio Encomio proſequor Religionis noſtræ magnum primumque Doctorem. Si Saulo μελαγχολικὸν πάθος diſcuſſit cithara David, forte & hic noſter cantus ſcelerati hujus ſeculi tædia tibi diſcutiet, & animum reficiet juſtiſſimis queri-

monii

Digitized by Google

moniis gravem. Vale amicorum integerrime, nec minus amicum me puta, qui vigente persecutionum æstu minus loquutus sui. Salveant à me D. Uytenbogartius & Grevinchovius, quos jam nominare audeo, & qui calamum pene effugerat, non animum, Ryckwartius. Argonauticum meum in P. Heynium propediem expecta.

108.

EIDEM.

GRatissimæ mihi fuerunt litteræ tuæ, Episcopi clarissime, quibus sopitos hactenus veteris amicitiæ igniculos ἀναζωπυρῆις, [exsuscitas] & compellandi tui desiderium, supra quam credas exacuis. Quoties ego, citra Christianismum stans, pertinacem in nos fortunæ lusum increpui; quoties intra eundem receptus ad providi Numinis arcana consilia conticui: verissimum esse ratus, quod de instabili illa Dea argute pronunciavit Arbiter, providentiam divinam suas habere rationes. Utinam vero ea aliquando nobis Alcyonia faciat ter Opt. Maximus, ut notas audire & reddere voces liceat. ariolus non sum, nec Calchas, qui noverim

Quæ sint, quæ fuerint, quæ mox ventura trahantur.

Sed videor mihi veluti per nebulam videre diluculum aliquod melioris seculi, & post Saturni occasum mitiorum siderum exortus. Non ita pridem his verbis me solatus fuit vir summus, missis ad me Haga litteris: Veniet, mi Barlæe, quam non speraveris hora, quam non timueris inquam, quæ

Digitized by Google

ſua loquacitate damnum ſarciat. Prout aut Saturnus quidam, aut Iupiter, aut inferiora ſidera diei præſunt, arbitror magis alacrem reddi hanc manum, aut pigram. En ego te ſomniis detineo, quæ quid ſibi velint, &c. Et forte ſomnia mihi fingo, non amator, ſed tecum afflictior, ne amantium ſolum putes ſomnia ſibi fingere, & vel leviſſima in ſolatium arripere. Cauſam communem, uti benigne judicas, non deſerui animo, non affectu; nec uti debebam, vobiſcum juvi.

——— *Si Pergama dextra*
Defendi poſſent etiam hac defenſa fuiſſent.

Vis cauſam ſilentii? unam allegabo, ἀνάγκην, [*neceſſitatem*,] non fatalem illam, quam Græci εἱμαρμένην, aut μοῖραν vocant, ſed illam domeſticam, uxorem & liberos, qui compedes ne te quoque in iſto ſtadio remorarentur, tute velut tantorum malorum præſagus prudenter caviſti. ſed quam in prædicando meo Hymno es hyperbolicus & hypercriticus. Uti iis quibus illapſum eſt in oculos phlegma hallucinari contingit, ita & tibi accidiſſe arbitror, quem nimius mei amor inumbrat. Sane non niſi ruboris materia eſt, ſupra modum prædicari. Quod ſi Sacrorum meorum attenta lectione frontem corrugaſti, eandem novi argumenti jucunda lectione explica. Hujus, inquam, Argonautici, quod amicorum precibus & imperio juſſus ſcripſi. Hic magis Poëtam, hoc eſt, minus veracem ſubinde deprehendes. Epigrammate tantam argenti vim, tamque opima ſpolia com-

Digitized by Google

complecti non fuit meæ opis, latius diffudi cum ipsa classe & opibus sermonem. *En quo discordia civem perduxit miserum.* Ex Poëta aliquando factus Theologus, iterum ex Theologo Poëta factus antiquo ludo includor, ex quo emancipari non possum per amicorum assiduas flagitationes, & insignem importunitatem. Nec tamen credas velim soli huic studio me deditum. Est hic vir quidam egregius Matthias Overbequius, quem Crœsus aliquis aut Attalus hæredem scripserit oportet; apud hunc hebdomadalibus disputationibus Bellarminum & Gretserum membratim imo articulatim resecamus. Ego Orthodoxorum partes, alius quidam artium magister acutus satis disputator, Catholicos vulgo sic dictos defendit. Cum autem nuper disputatio incidisset de necessariis ad salutem, & ego contenderem ea omnia, ea perspicuitate, quæ sufficeret, ex scripturis solis erui posse, alter negaret, dixi calore disputationis abreptus, vel ex uno Euangelista, aut solis Epistolis Paulinis posse exsculpi totam Protestantium Confessionem. Quod cum auditoribus, qui sex aut septem adesse solent, mirum videretur, tentavi, num ex Euangelio Iohannis hoc possem, nec enim unquam ante exploraveram. Eo itaque semel perlecto, ad hæc Confessionis Euangelicæ capita hæc loca annotavi. Mitto ut legas, non quod tanti sit ista curiositas, verum ut intelligas non prorsus me sacrorum studiorum amorem deposuisse. Ad illud solummodo

Digitized by Google

adverte, mihi hic cum Lutheranis negocium esse. An apographum undequaque autographo respondeat nescio, nec enim otium fuit conferendi; redeat ad me ubi commodum videbitur. Reperi ante pauculos dies inter scedas meas Epigramma hoc, quod rogatu fratris tui scripsi ante annos aliquot, tunc cum effigiem tuam jussisset æri incidi:

Quem tu Leida prius, Synodus mox ipsa loquentem
Audiit, hoc vultu vivit Episcopius.
Vivit, & externis pandens sua lumina Gallis,
Exoptat patriæ tempora blanda suæ.
Tempora dant pretium, rapiunt quoque tempora doctis,
Ludit & in magnis sors malesana viris.
Scilicet, ut Batavis pietas secutior esset,
Exul abit, pietas quo duce tuta stetit,
Sed neque jam doctas audis mala Patria voces,
Nec fastiditi nominis ossa feres.

Forte jam convenientius fuerit dicere, *Nec, nisi facta viro mitior, ossa feres.* Vale & collegas tuos saluta. 5 Non. Feb. 1629.

109.

ADRIANO BLYENBURGIO.

Amplissime, præstantissimeque vir,

Postridie ejus diei, quo obvium te Leidæ habui, adii diversorium tuum, uti promiseram, sed jam matutinus me præverteras, & Hagam discesseras. Dolui ereptam tum mihi occasionem optimam officiosius te salutandi, simulque agendi gratias pro munere tuo, quo Musas

Digitized by Google

Musas meas solatus es. Cum primum accipissem, incessit me ingens pudor, videbarque jam venales versus extrusisse, & lucelli spe poëta factus. Displicui itaque mihi, & displicuit, ut verum fatear, illa ipsa tua largitio; ultrò carmen istud tibi promiseram, ultrò exolvi promissum. Et debebatur eruditioni tuæ ac humanitati illud officium. Nundinari, mercari, instituti mei non fuit. Solum affectum meum studiaque tibi probare volui; aliter si statuas, falleris, & candido huic pectori injuriam feceris: Verum cum & te non minus candidum, quam benignum esse credam, hæc omnia in meliorem partem interpretor; nec istud tuum honorarium Musis meis debitum dicam, sed gratuiti tui erga me amoris pignus & arrham. Ex eo tempore iisdem ferè furiis correptus plura scripsi. Hymnum vides, quo Christi Servatoris nostri laudes & encomia exequor, eum, ubi per otium licuerit, perlege. Offendes fortè, quod animum pietatis studiosum afficiat, quod à mundi curis avocet, & cœlestium meditatione recreet. Addo Argo Batavam, alterius argumenti poëmation, quo celebrem istam rapinam canto, & exutam auro argentoque Colchida. Ita seria ludicris misceo, & desultorius à sacris ad profana rapior. Scis leve esse poëtis ingenium, nec uni argumento affixum, ubique quod carpant, aut laudent, inveniunt. Vale vir amplissime. Lugd. Bat. prid. Cal. Mart. 1629.

Digitized by Google

110.

HUGONI GROTIO.

VEnit ad te, Clarissime Groti, Hymnus meus in Christum, cujus in nuperis meis ad te literis mentionem feceram. Dum enim domi modo ad meam, modo ad tot præstantissimorum virorum, & tuam quam maximè sortem ingemisco, solatia communis miseriæ à Deo, à Christo, ac virtutibus Christianis & vitæ æternæ meditationibus peto, quæ ut altius animo insideant, conor vinctis verbis proferre; ita fit, ut quæ lecta vel audita prætervolant, diutius animo obversentur, dum metro aptantur & carminis legibus. Non ignoras mecum, quam non æquè facilis sit labor poëtis in sacris ac profanis occupari; cum hic inter tot deorum & dearum nomina luxuriari possit vatis oratio, illic astrictus magis spiritus intra rerum majestatem sanctitatemque coërceatur, & teneriorem sensum verborum ambitu intexere pertimescat. Quod tamen faciendum interdum nobis fuit, ut carmen scripsisse videremur. Illud cavi sedulo, ne quid dicerem (nec ut dicerem necesse erat) quod corrugare queat Vaticani præsidem, aut partes saperet. ἀμφισβήτήμενα [*ambigua*] non erant hujus loci. Et neuter est Apollo, neque conveniens erat eum, qui Christo accinit, æternæ pacis datori, litigiosa sectari, vel inter Christianos dissona loqui. Utinam ab A.T. impetrare possim, ut de via ac modo cogitet, quo

Lili-

Digitized by Google

Liligero Principi exhiberi possit libellus noster: debebatur illi, qui de Christi nomine nomen Christianissimi trahit. Exemplar illi inscriptum ex lineis aureis cognosces. Tuum ex præfixo Epigrammate. An gratiis an ingratiis eum exceptura sit aula non moror. Satis fuerit inglorio scriptori regiis titulis superbivisse. Vale vir amplissime, & qui nuper immoderatius laudasti inconditam illam Poëmatum meorum farraginem, de hoc malè nato fœtu benigne judica. mense Mart. 1629.

III.

CASPARI BARLÆO, H. GROTIVS.

LOngæ moræ intervenerunt, Barlæe clarissime, inter id tempus, quo de Natali Dominico Carmen ad me destinasti, & id, quo illud ipsum tuo judicio diu à me quæsitum tandem ad manus meas pervenit; sed tamen id commode accidit, quod receptum sit à me eo tempore, cujus honori consecratum est, ita ut nunc demum à te scriptum & in ipso articulo missum videri possit. Legi ego. Feci ut traderetur maximo Cardinali, cujus jam tanta etiam Romæ est autoritas, ut etiam fratrem fecerit Cardinalem. Legisse & eum relatum mihi est, & suscepisse tradendum Christianissimo Regi, quod nomen cum in Regibus Galliæ tralatitium sit, huic Regi δίϛ· πλὼ τ ἠθῶν ἀρθαρσίαν [*ob morum integritatem*] suo jure debetur. An futurum sit, ut is honos habeatur optimo carmini, quem & ego optem,

Digitized by Google

& ipsum meretur, haud facile dixero. Illum certe fructum tulisti, quod quicunque hic rerum talium gustum habent aliquem, Rigaltius, Puteani, & ipse Bignonus, de hoc opere ita ut par est judicant, argumenti magnitudinem & ingenio & arte impletam. Ego vero, qui, ut scis, illa studia præ cæteris colui interdum, amavi semper, quo putas gaudio, quo affectu legi Claudiani spiritus & vibrantes sententias, non illas per tormenta quæsitas, sed sub manum sponte nascentes, translatas ad usus meliores? Pro hoc dono quid tibi precer, nisi ut remunerator sit ille, quem canis, & illum sanctissimum Christianis diem sæpè videas, sæpe celebres, eo rerum tuarum statu, qui novam tibi perpetuo grates Deo canendi materiam suppeditet. Vale vir doctissime. 6 Dec. 1629.

112.

CONSTANTINO HUGENIO.

CHartas meas Venetas recepi, clarissime Hugeni, & illis chariores lepidissimas tuas literas. In quibus à Codice & Digestis depulsus ad Novellas & Extravag. te recipis. Ergo jam tibi Iureconsultus videor, cui cum Flacco exclamandum verius:

— *Dispeream si,*
Aut valeo stare aut novi civilia jura.

Quo fato ego Codicem & Digesta & paragraphos citaverim, narravi Brosterhuysio, cui placuit meum χῆμα. [*habitus.*] Offendi forte cum mihi

Digitized by Google

mihi scribendum ad A. T. esset, in mensa, Theses de Vsucapionibus & Commodato, in quibus cum obiter viderem quædam literarum mearum argumento ὁμαγῶν [*cognata*] & annotatos in margine juris vestri textus, inde quædam transcripsi. Codicem & Digesta non inspexi, tantum abest ut rerum istarum mihi scientiam arrogem: quod moneo, ne forte apud amicos laudibus meis, heu nullis, laciniam attexas indebitam. Nunc Argonauticum meum mitto, carmen non elaboratum, sed præ gaudio fusum. Non potui circa tantas opes occupatus carminum esse parcus. Ignosce, si tum multa scribenti exaresçat vena, & subsidat, nimium tumultuanti, cothurnus. Vti epilepticorum paroxysmi alii aliis acriores sunt, etiam poëtarum non par semper est rabies, & languet tandem furor nimium insanientibus. Lunaticis sua sunt sidera, à quibus plus minusve afficiuntur, & vates suas amant tempestivitates, ac dilucida intervalla. Sed quam rectè de Hymno meo judicasti. Flacceseo alicubi, nec ubique, licet grandia professus, pro rerum majestate assurgo, præcipuè ubi de Christi æternitate ac divinis attributis sermo est. Accidit hic mihi, quod Isidoro Patri, qui cum Vnitatem cogitaret, se à Trinitate; cum Trinitatem ab Vnitate circumfundi dicebat. Noctuæ sumus, & cœcutimus ad tanti splendoris intuitum tenebriones; & sensi, quam non facile sit tractare sacra, quorum majestas poëtarum phaleras, & cincinnos, & fabulosas narra-

Digitized by Google

tiones fastidit. Et volui alicubi minus esse poëta, ut, qui placebant meditanti, sensus sacros exprimerem apertius. In Argonautico ea potissimum attigi, quæ omnium sermonibus circumferri solent, de Regis nimirum Hispaniarum potentia, opum vi, expeditionis in Indos scopo & commodis. Vltimum hoc officium patriæ & Heroï de patria benè merito præstiti. Iam aliis lampada hanc trado, & fatiscentem equum solvo, ne

Peccet ad extremum ridendus & ilia ducat.

Si verum erit, quod Platonici dicunt, post magni illius anni revolutionem iterum versus scribam:

Alter erit tum Tiphys, & altera quæ vehet Argo
Delectos heroas, erunt etiam altera bella.
Atque iterum Heyniades dites mittetur ad Indos,
Et Batavam in Batavis iterum meditabimur Argo.

Vale vir amplissime cum Creusa tua & Ascanio. Martii Cal. 1629.

113.

CORNELIO VANDER MYLE.

FAsciculum chartarum Italicarum, quem Molini primum, mox tuo beneficio accepimus, explicui. Dicam sententiam μάλα λακωνικῶς, [*admodum breviloquio,*] vidi, legi, probavi. Bonifacii epigrammata ob nativam facilitatem placent. Nec minus me affecit Boldoni epistola, ob eruditos sales & acumina, quibus hæredi petas greges, quos atratos vocat, pungit. Clarius, opinor, locutus fuisset, si Loyolitas nominasset.

Digitized by Google

naſſet. Sed metuit ἑλκεσιπέπλους. [*longum ſyrma trahentes.*] Odam ad Caſſianum de victa Rupella magni facio, ob dictionis majeſtatem, ſed majoris, Pindaricum illud carmen Baptiſtæ. At meminerit iſte vir, quisquis eſt, Horatianum iſtius:

Pindarum quisquis, &c.

Apographum Epiſtolæ magni Senatoris legi, videtur Romam miſſurus Hymnum meum. Non improbo conſilium, neque enim quicquam habet quod offendere poſſit Petri ſucceſſorem, licet ut illi impensè placere ſtudeam, cauſæ nihil habeam. Iam antè paucos dies ab eodem Senatore plenas officiorum & humanitatis literas acceperam, quibus pro miſſis mihi carminibus gratias agit. Vbi reſcribendi occaſionem, vel leviſſimam nactus fuero, officio non deero. Filium tuum, ubi commodum fuerit mitte. In hoc omni ſtudio incumbam, ut moribus familia tua dignis & honeſtiſſimis diſciplinis imbuatur. his tamen monitis ipſum præſtrue, ut cum pietate reverentiam præceptoribus debitam jungat, cum diligentia modeſtiam: ne ſit πολύφιλος, [*multorum amicus,*] aut nocturnus à cœna deambulator. Reliqua noſtrarum erunt partium. Vale. Maji 1. Anno 1629.

114.

ARNOLDO BVCHELIO.

SÆpius cogitanti mihi, Bucheli doctiſſime, quodnam maximè efficax eſſet adverſus fortunæ iniquitatem ſolatium, expertus didici, efficacius

Digitized by Google

cacius nullum esse, si providentiam divinam excipias, quam quod à studiis & amicorum alloquiis petitur. Quoties enim per saluberrima philosophiæ præcepta animum circumfero, fortunæ minus iraſcor, ut quæ eo me loco posuerit,

Despicere unde queam cunctos, passimque videre
Errare atque viam palantis ducere vitæ.

Mox, ubi per amœnissima Musarum vireta oberro, bene mecum agi opinor, ut qui inter Deorum ac Dearum ministeria, quibus poëtæ gaudemus, beatissimam vitam agam. Accedunt his amicorum vota, & tua præsertim, quibus non minus reficior, quam post negatos diu imbres irriguo humore recreatur tellus, aut post brumæ inclementiam verno aëre mortalium genus. Non exaggerabo conquisitis sermonibus humanitatem tuam. illud candide profiteor, ab alloquio tuo literisque animum mihi reddi, & veluti reviviscere languescentem spiritum. Quantum enim illud est, emeruisse gratiam hominis nullo meo merito provocati; quantum illud, tua commendatione magnorum virorum amicitiam lucrari potuisse; quam illud omnium maximum, inter eos à te haberi, quos paterne diligis & sollicite amas. Desunt verba, quibus exprimam, quanti hæc faciam. Vtinam in seculum perennares, mi Bucheli, optarem longius vivere, ut te longius fruar, necnon literulis tuis, non ab effeta, sed viridi senecta profectis. Videris mihi in epistolis tuis juvenescere, & primæ

Digitized by Google

mæætatis robur recolligere, adeo nervosa est & plena succi oratio, nec tamen turgida, sed simplex absque fuco, docta sine affectatione. Diebus canicularibus, si rerum humanarum arbiter siverit, vos invisere decrevi, est Vltrajecti & civium bonorum & hominum jucundorum meique amantium major, quam hic copia. inter illos tamen, quî cum libentius sim, præter te, neminem habeo. De studiis meis si quæras, expecto ut luculentum egregiæ commentationis argumentum nobis suppeditet Princeps Auriacus. Si urbem, quam votis tenet, expugnaverit, non indictus abibit. Interea philosophicum quid molior, refutationem nempe Sexti Empirici veteris philosophi, qui Scepticorum sententiam (erant illi à Dogmaticis & Academicis distincti) erudito ac peracuto libello propugnavit. Verum privatæ lectiones, ut quæ, πρὸς ἄλφιτα [*ad victum*] faciunt, & versificandi insania, non permittunt ut diu istis meditationibus inhæream. ubi aliquando prodierit, compotem te faciam hujus quoque mei laboris. videbis alium philosophis, alium poëtis esse characterem. Vale Bucheli doctissime, & ut diu valeas, cura. Lugd. Bat. 16 Maji. 1629.

115.

IOHANNI BODÆO à STAPEL.

MIratus fui altum tuum & pertinax silentium. Iam apud animum meum statuebam,

Digitized by Google

bam, te ab Hippocratis secta ad Harpocratem aut silentiarios Pythagoræos deflexisse. Tandem te vis magnetica commovit, non ut in Arcton aut Septentrionem, sed ad Barlæum tuum respiceres. Ac primum quidem gratulor mihi, quod ex profundo isto amoris nostri veterno evigilaveris. Inde, quod egregiarum te rerum studio, inter quas est ἑλκυστικὴ illa δυνάμις [*vis attractiva*] teneri te videam. Quæ ego aliquando ad magneticam doctrinam & Electrica annotavi, ex Gilberto illo Anglo pleraque transcripta erant. Illud potissimum miratus fui, aquæ etiam & vitro viliori, uti & crystallo, laccæ, arsenico inesse vim illam attractricem; addam, adamanti, sapphiro, carbunculo, amethysto; quæ ipsa non festucas modo alliciunt, & paleas, sed metalla omnia, (nota) ligna, folia, terras, aquam & oleum: ut falsum sit, succinum solas paleas & ramenta trahere. Interim hoc certum, magnetem solum ferrum allicere. Hoc quoque observa, electrum non trahere per flammam: magnetem trahere, non trahi à magnete ferrum candens; magnetem dare ferro majorem vim quam in se habet, excitando, ut opinor, vires ferri: non quavis sui parte æquè potenter trahere, sed fortissimè in polis; quæ diversitas partium in electricis non observatur: contrarios polos contrarios allicere comperies, similes similes fugare. Magnetem quoque trahere comperimus per corpora densissima, electrica verò vel tenuissimo corpore interposito non trahere. Sed longùm foret

Digitized by Google

foret ſingula annotare, & tantarum *cauſas evolvere rerum*. Ipſum te Gilbertum præſtat legere, & propius expendere. Hunc faxo habeas poſt 14 dies, nec hunc ſolum, ſed una me. Vale. 24 Maji 1629.

116.

GODEFRIDO DE HAESTRECHT.

IAmpridem ad te transvolaſſent literæ meæ, animi affectusque in te mei indices, Haeſtrechti Nobiliſſime. Sed quo eas mitterem neſciebam, cum incertis te ſedibus vagari, & jam Onſenortii, jam Bredæ, jam Bruxellis eſſe intellexiſſem. nec dubitabam, quin ſubitus & inopinatus amicorum tuorum caſus, quos jam arma undique circumſonant, te angeret; ſi modo in heroïcam tuam mentem cadere poteſt perturbatio. Didiciſti fortunæ mala conſilio ſuperare, nec iraſceris illi ea molienti, quæ per prudentiam evitare non potes. Noſtri urbem illam hactenus dolo, virtute, fato invictam, jam votis tenent, & de cujus expugnatione olim deſperavimus, eam intra paucos menſes deditam iri, non optare ſed ſperare audent. Nempe, quicquid ſibi imperat animus magnus, impetrat. Ego animi pendeo, & dum Principis noſtri molimina, ac magnanimitatem: ab altera parte urbis iſtius ingens momentum & robur perpendo, ſpemque metumque inter dubius nec deſperare de ſucceſſu, nec eundem mihi polliceri audeo. Non deſinam interim patriæ meæ,

Digitized by Google

meæ, uti par est, benè ominari. Vidi ego literas multorum, etiam Vander-Burchii, quibus scribitur obsessos pulveris nitrati inopia & pravitate laborare. Verum non arbitror tantum incuriam cadere posse in gubernatorem tam providum. Video te aliter statuere. De rebus Ducis Cliviæ nolim te sollicitum esse, nec quicquam ultra movere. Nec enim ferunt res amici tui, ut, si vel maxime ille velit, locum mutet, & in illos tractus bellis incursionibusque hostilibus oportunos se cum imbelli turba conferat. Carmen illud scripsit non alio fine, nisi ut tibi morem gereret; & sentit profectò se in Principum laudes nescio quo gloriæ æstro ultro rapi, ut illo fulgore circumfusus, micet in tenebris. Sed quam vereor, ne illic sint qui Principi insusurrent,

Hic niger est, hunc tu Romane caveto.

De ejus adventu ad nos aliquid inaudivi. Tu amicorum tuorum necessitatibus totus vaca, Barlæi si per ocium meminisse dignaberis, maximi beneficii loco putabit. Quid si dieculam unam alteramve Couckerkanis largiaris? quin tibi loqui desiderent, & de amicorum statu propius edoceri, nullus dubito. Hoc si illi impetraverint, mihi partem solidi diei non invidebis. Gallus & Britannus novo fedære coierunt. Arma jam in Hugonottos & Roanium movere dicitur. In Germania de pace consultant Cimber & Cæsar. Illius vox est,

Nulla salus bello, pacem te poscimus omnes.

Vale vir chariſſime, & literas tuas fac videam sæpe.

Digitized by Google

sæpe. Hac re gratius mihi nihil accidere potest. 27 Maji, 1629.

117.

ROCHO HONERDO.

NOn ita pridem, Ampliſſime Honerde, raptas Occidentis opes, & magnifica Belgarum ſpolia carmine cecini. Iam tu funeſtum illud & celebre juxta mortis ſpolium, manes inquam Palatini Principis, juſto poëmate ploras. Ita tibi indignatio & mœror, mihi publici gaudii voces verſum fecere. Nec alienum hoc ab indole poëtarum, polypi inſtar ejus ſcopuli colores induere, cui ſemel adhæreſcere cœperunt. Nempe cum Medea inſaniunt, Niobe plorant, Democrito rident, in adverſis threnos & leſſos, in ſecundis Epinicia & Hymnos ſcribunt. Me verò ita affecit Palatinus tuus lachrymans, ut ad tot malorum recordationem ſenſerim mihi mota τὰ σπλάγχνα ἐλέους. [*viſcera miſericordiæ.*] adeò ad movendos affectus in eo conſpirant res & oratio. Neſcio, an carminis genium, an ſententiarum gravitatem & pondus, an rerum ubertatem magis mirari debeam. Non debebas (da veniam verbo) publico invidere maſculum hoc carmen, & Proſopopejam regis patheticam prorſus, qui Regis filiam jam antè in orcheſtram deduxiſti. Vtrobique tragicum argumentum ſortitus, grandia, triſtia, pari elocutione effers. Quam poëticè ordiris,

Nil moror arentes oculos, &c.

Digitized by Google

quam eodem genio pergis :

Teſtor communes tecum Germania caſus,

quam illic cothurnatus es :

Accipit Hercyniæ motum latus, accipit ipſe
Caſpiacis vicinus aquis, Iſtrumque bibentes.

Crede, hæc ad palatum meum ſunt. uti & reliqua omnia. Illud quantivis eſt in fine :

Si Nerea, &c.

Breviter, ad legem magni poëtarum præceptoris,

Nec primo medium medio non diſcrepat imum.

Gratias A. T. ago maximas, quod ad hæc tua ſacra me admiſeris, nec communium ſtudiorum egregio fructu me privaveris. Ne verò in me quoque candorem deſideres, mitto etiam lachrymas meas, quas non ad Bavari, ſed Bavaræ tumulum nuper effudi. Vbi ad nos redierit filius tuus, remitte. Nec enim aliud mihi exemplar ſuppetit. Vale vir ampliſſ. & doctiſſ. Lugd. Bat. 16 Iun. 1629.

118.

IOHANNI ISACIO PONTANO.

IAmdudum apud nos percrebuit fama hiſtoriæ tuæ Danicæ Pontane doctiſſime, quæ ſumma doctorum omnium expectatione jam carceres mordere fertur. Ab eruditione & induſtria tua nil niſi exactum ac elaboratum nobis promittimus. Ego aliorum judiciis, ubi illa prodierit, ſubſcribam, nec enim in iſto ſtudiorum genere quod vaſtæ ac diffuſæ eſt lectionis judicare audentius præſumam. Quod verſiculos meos

Digitized by Google

meos postulas, facis quidem hoc ex more seculi, verum tam celebri scriptori minorum gentium applausibus minimè opus fuerit. Ne tamen videar ineundæ tecum amicitiæ occasiones optimas neglexisse, aut utilissimos rei literariæ labores debito encomio fraudasse, mitto disticha aliquot. In Historiam tuam, quæ si in fronte libri collocari minus decorum putabis, per me licet in finem rejicias, vel post ipsum τὸ τέλος. [*finis.*] Laudum tuarum ἀκροτήρια [*fastigia*] solummodo attigi, quas si pensiculatius tractare aggressus fuissem, non Epigramma, sed Poëmation exivisset. Quod si hoc officio, quod humanitati, doctrinæ, ac probitati tuæ debui, consecutus fuero, ut in eorum me censu habeas, qui te ob præclara literarum monumenta quam maximè amant, precium operæ me feciſſe arbitrabor, & amici talis accessionem in lucro deputabo. Pro munusculis tuis chartaceis gratias ago maximas. Mitterem, quem nuper edidi Hymnum in Christum, uti & Argo Batavam, nisi hæc jam missa ad te scirem, à doctissimo viro D. Stephano, communi nostrum amico. Vale & collegas saluta. Cal. Iul. 1629.

119.

IOHANNI CABELIAVIO.

NOn est, quod tam impotenter efflagites, doctissime Cabeliavi, uti in amicitiam meam recipiaris, qui scripta tua jam pridem, summo inter Europæos Regi probasti, & tam

Digitized by Google

augustis nominibus quotidie inclarescis. Certè hoc splendore circumfusus frustrà lumen gloriamque expectaveris ab umbratico doctore. Non est mihi invidendum nomen. Inter umbras volitamus, & doctorum virtutes venerabundi suspicimus, cum longe citra eas stemus. Quare quæ in me immoderatius congeris præconia verecundè amolior. Nec minus tamen affectum tuum erga me propensissimum exosculor, quem adeò prolixè in tuis literis testaris. Amicitiam vero meam tanti dum facis, prior amicus esse incipis, & beneficium qui petis, majus præstas. Vexat amantes ἀμβλυωπία, [*visus informitas*,] & exaggerare vel levissima solent, quos affectus istiusmodi semel occupavit. Mihi candor, probitas & eruditio Cabeliavii non ita pridem nota: Singula illud mereantur, quod tam efflictim postulas. Munuscula chartacea omni mihi auro chariora sunt, alterum, quia tuum est, alterum quia ejus viri, quem ob singulares virtutes tacita animi veneratione semper colui. In Epistolis tuis placet facilitas, & minimè affectata dictio. Nec enim ad palatum meum est, quicquid magno nisu egeri solet, præcipuè ubi loquendum familiariter. Turgidum illud & ventosum dicendi genus libens relinquo iis, qui hordeo pasci amant, aut fabis. Quæris de Farnabio. Vixit is Londini in Anglia, ubi honestis artibus ac disciplinis nobilium procerumque liberos imbuit, magno rei familiaris compendio. Ni fallor, desiit vivere & scribere. Carmen illud meum ad Dyckium

Digitized by Google

kium ut describam, à me impetrare non possum, non quod in tui gratiam nolim, sed quia cramben bis coctam odi. Reperies illud in libris poëmatum meorum, quæ superiore anno edidi. Petro Heynio sat à me datum. Lætitiæ argumenta avidius arripi solent, quam tristitiæ. præficæ officium alii præstent. Mitto exemplar Argonautici mei. Quid si alterum in Sueciam abeat ad Oxenstiernium. Non possunt non hujus argumenti plura placere iis, qui Hispano vapulanti favent. Lugd. Bat. 20 August. 1629.

120.

ROCHO HONERDO.

TRagœdiam tuam legi & relegi, Honerde amplissime. nec enim una lectione animum explere potui. Quid dicam? à Thamara tua tantum illa abit, quantum à femina Legislator. Stupui in sterili argumento facundiam tuam, & in desertis Arabum rerum copiam. Avia Pieridum peragras loca, nullius antè trita pede. Ideoque gloriosius scribis, quo ab aliorum vestigiis minus adjutus per ardua ac prærupta graderis. An & hoc Phidiæ simulacrum premere vis? & præstantissimi poëmatis fructu privare spem seculi? Quibus rationibus te hortabor, ut emancipes hunc industriæ tuæ & eruditionis testem? Si Theologos audire vis, cave sub modio occultes accensam Dei beneficio facem: si Politicos, utique scis, non tibi te solum, sed & patriæ & amicis natum: si Poëtas:

Digitized by Google

Volet hæc (tua tragœdia) *sub luce videri*
Iudicis, argutum quæ non formidat acumen.

Non addam, honores summos divinis vatibus à versibus venire, cum hos ipsos per ætatem & prudentiam minus æstimare didiceris. Illud scio nullum convenientius à Senatore argumentum tractari potuisse, & apprimè Legislatorem in orchestram produci, à legum judice ac interprete. Paucis ego versiculis in Nomoclasten tuum dixi, recens adhuc ab ejus lectione, & tragico spiritu turgidus. Gratiarum loco illos mitto. Nescio an prudenter faciam, quod & Venerem meam ἀναδυομένην [*è mari emergentem*] unà mittam. Festivius alicubi loquitur, quam decet audire Curiam. Sed respondit pro istiusmodi Carminum genere Ausonius ad Paulinum. Et scio candidius judicaturos, quos aura illa mitior & blandior afflavit. Cogor amicorum, precibus & imperiis Erotica tractare, qui pharetratum istum puerum odi quam maximè. Vale vir summe & familiarius scribenti ignosce. Lugd. Bat. 4 Sept. 1629.

121.

CONSTANTINO HUGENIO.

SEquor applausu victorem Nobilissime Hugeni, & qua præit fortiter agendo Auriacus, subeo pone Encomiastes. Victoriam captæ Vesaliæ, summo rerum discrimine, nobis indulsit Deus Opt. Max. sed plane ὡς ἀπὸ μηχανῆς. [*ut è machina.*] Errorem & negligentiam nostrorum in arcendo ad Isalam hoste, correxit major hostium

Digitized by Google

hostium error. Discimus utrique, neminem celerius opprimi, quam qui nihil timet, & parvis momentis in bello magnos casus intercedere. Epinicium hoc pari me credas celeritate scripsisse, qua Vesaliam cepimus. Nec patiebatur præceps gaudium, ut vel prolixius scriberem, vel elaboratius. Et quia vis, ne te privem eorum lectione, quæ scripturienti amico excidunt, audeo & hoc furentis animi opus judicio tuo submittere. Habent tibicines suum ἐνδόσιμος, [*cantus exordium,*] quo præludere solent, & procœmium suum Rhetores. Forte & hæc majoris triumphi, quem votis prosequimur, præludia erunt. Ita faxit exercituum Deus. Exemplaria hæc iis distribue, quos judicabis à patria, à studiis & me non plane aversos. Vale vir summe & Martios cantus Apollineis interstingue. Si non vacat, militibus da. Inservient chartæ infarciendis sclopetorum tubis. Lugd. Bat. 3 Sept. 1629.

122.

EIDEM.

Nobilissime Hugeni,

Undique dum querulæ rumpunt arbusta cicadæ.

Etiam mihi interstrependum fuit. Hylas est, quem canimus, & nulli non dictus Orestes. Quod si vel quam maxime silere voluissem, non potui tamen per amicorum juges & pene importunas ἐνστάσεις. [*contentiones.*] Qui enim antehac

Digitized by Google

tehac ultro liberalis fui in deprædicandis heroum virtutibus, velut debito quodam me obstrinxisse videor, idem in posterum factitandi. Nec tamen illibenter feci id, quod feci, & publicis votis adjunxi non invitus benevoli in patriam animi testificationem. Iam septimanæ sunt tres & ultra, ex quo inter prælum & manus hæsit hic liber, maximè ob adversam valetudinem. Decreveram historica narratione persequi res gestas obsidionis istius, & jam pertexueram magnam historiæ meæ partem. Verum cum intellexissem summos viros, vel proprio motu, vel superiorum mandato manum huic operi admovisse, ego prudenter manum de tabulâ; veritus, ne idem mihi contingeret, quod Marsyæ apud Ovidium. Satius itaque putavi, si meo me pede metirer, & intra carminum officia starem. Præmisi Panegyricum, quem ex iis, quæ hic illic historiæ meæ inspersera m, contexi. Sequitur carmen, in quo, præter alia prolixitas displicet. Nisi sufflaminassem furorem meum, altera parte majus evasisset. Vtinam ab A. T. impetrare possem, ut Principi Auriaco exemplar à me offerre velit. Nulli inscribere præter morem videbatur, alteri præterquam Principi nefas. Ego in maximis tuis erga me meritis hoc reponam. Iam Musas omnes, & Apollinem cum toto Helicone valere jubeo. Furori bellico finem si non imponet Sylvaducis, imponet saltem insaniæ meæ. Pergat Princeps Martem lacessere, ego Phœbo posthac gravis non ero, & per me

Digitized by Google

me licebit illi, vel in Patara, vel in Claro, vel in Tenedo maneat, unde poëtarum votis evocari solet. Vale Hugeni doctissime, &c, quod fecisti hactenus, de studiis meis benignè judica.

123.

ARNOLDO BUCHELIO.

IAmpridem desiderium tuum expleviſſem, Reverende Bucheli, & ea, quæ in Sylvam Ducis lusi, transmisissem, si per valetudinem primum, mox per typographorum lentas operas licuisset. Iam circa Calendas Octobris absolveram poëma meum, verum afflictiore cum essem corporis statu, describendi laborem coactus fui ad hebdomadas aliquot differre. Quicquid sit, non puto damnum esse in mora. Ex re fuit patriæ Sylvam Ducis citò vinci, non cani. In victoriæ celeritate momentum ingens agnoscimus, in vatum suffragationibus applausibusque nullum. Mirantur plures, cur tardius prodeam, qui argumenta publici gaudii antehac solebam occupare. Præter causas tarditatis, quas dixi, accedunt & aliæ, à ratione & prudentia profectæ. Videbam undique officinas repleri Triumphis, Epigrammatibus, Hymnis, hunc latine, illum Belgice vincta verba conari. Quare in tanta scribentium turba satius putavi, illi non misceri, ut serus actor theatri applausum solus referrem. Quid dico applausum? fortè exsibilandus doctissimo hoc seculo, cui præter papavere & sesamo sparsum, nihil placet.

Digitized by Google

cet. Nolui tamen meis partibus deesse. Et si omnibus non satisfecero, æquioribus tamen studium meum, & in rempublicam affectum facilè probavero, nec minus tibi, cui placuisse reliquorum vel gratiæ vel invidiæ præfero. Vale. 12 Nov. 1629.

124.
DOMINICO MOLINO.

FEliciſſimus hic Reipubl. noſtræ illuxit annus, Illuſtriſſime Moline, qui poſt raptas Occidentis opes duas inſuper urbes validiſſimas imperio noſtro adjecit, quarum altera Rheno, altera Moſæ jura dabat. Illam laudabili ſtratagemate, hanc, cruento Marte & ſtupenda circumvallatione cepimus. Non dubito, quin his Federatorum ſucceſſibus applaudant gentes ſociæ Gallus, Anglus, Venetus, quorum omnium intereſt Auſtriacorum potentiam frangi, & magnum illum Aſiæ Africæque dominatorem intra mediocritatem ſtare. Nam quod de communi hominum ſorte pronunciavit Comicus, etiam de regibus verum eſſe arbitror. Prout res dant ſeſe, ita magni atque humiles ſumus. Si vetera expendere libeat, victricis Hiſpaniæ inſolentiam experta eſt Reſp. veſtra, experti ſumus & nos. Iam verò Regis victi fractique modeſtiam experimur. Dum turbato militiæ ſuæ in Belgio ſtatu per inducias nos tentat. Hæ an expediant nobis illi judicent,

Queis populi commiſſi & tanta negotia curæ.

In

Digitized by Google

In arcana imperium non penetramus poëtæ, & quibus consiliis fulcienda sint regna ignoramus, fortè eruditâ ignorantiâ, quæ sicuti laudem nullam ita nec periculum nobis creabit. Pergo itaque more meo verificator esse, & poëtarum jure de summo Duce sententiam dicere, quem libertatis nostræ vindicem & assertorem impresentiarum agnoscimus. Tu Ill. Moline qua humanitate & benevolentia antehac commentationes meas legere dignatus es, etiam has lege, Sylvam carminum scripsi, circa Sylvam occupatus. Vale vir summe, & dum victoriæ nostræ, etiam ejus præconi fave. 20 Dec. 1629.

125.

IACOBO VANDER STRATEN.

IN iis quæ de Induciarum ac belli studiis disseris, facile me suffragantem habebis, Stratene doctissime. Nec enim mihi aut Mavors pater, aut mater Bellona. Alio mihi *luto finxit præcordia Titan.* Non *æs* mihi *circa pectus triplex*, nec animus in mutuas lanienas facilis. Pacem præfero vel Inducias. Sed an has semper expedire putas? (jam enim, ne nihil dicam aut idem tecum, libet tibi contradicere) Non arbitror. Politicorum voces sunt: Expendendum cum quo, quo tempore, quibusque occasionibus pacem ineas: an quia fractum se videt hostis, an quia magis nocendi oportunitatem captat. Frequentius conventionum pacisque simulatio credulis, quam arma nocuerint. An non per inducias

Digitized by Google

cias hosti spatium datur recolligendi vires suas, quibus postea fortius te feriat? An non per inducias ignava nobis current tempora, nec pace læta, nec bellis illustria? Languebit disciplina militaris, negligetur fida urbium tutela, subibit segnities Principibus, ducibusque, qui bellicis curis expediti, turpibus se dedere solent & luxu diffluere. Ita Satyricus:

Nunc perimunt longæ pacis mala, sævior armis
Luxuria incubuit, victuque ulciscitur orbem.

Quin & cautiores erimus sub sago, quam sub togâ. Cogita quid de non ineunda cum Carthaginensibus pace suaserit Nasica. Bellis civilibus periit, & ubi pacem sensit, sua mole corruit Roma, quam nec finitimus Marsus valuit perdere, nec infidelis Allobrox. Forte & idem nobis eveniet, & ubi externi hostis metus decesserit, privatis dissidiis committemur. Illorum studia nosti, qui sacris præsident, quantis animorum motibus collidi soleant. Ubi sacerrimæ vindictæ spatium datur ac tempus? Quid, quod utile semper judicarint belli proceres, successus urgere, ac victoria benè uti posse. Illud insuper considerandum, an non à Cæsare expectandum bellum, & per Germaniæ latus confodiendi simus. An non exulis Palatini habenda ratio, quem alia ratione in integrum restitui non posse prudentiores autumant, quam fractis Austriacorum viribus. Etiam consulendum sociis regibus, Gallo & Sueco, qui bellis Austriacorum impliciti nobiscum vires potentissimæ domus

Digitized by Google

mus alterent felicius, quam sine nobis. Atque his quidem, similibusque rationibus subnixos puto, qui loricam præferunt togæ, Solem umbræ, negotium otio. Quæ quanquam probabiliter disputari soleant, ego tamen, qua sum animi facilitate, pacata tempora longè præferam turbatis, & togatum principem paludato. Scio utique bella & justè suscipienda esse & finienda. Armis nos pressit hactenus Hispanus, res suas se repetere venditans. Eo ab armis cessante, non video, quæ bello prætexi possit à nobis causa. Prudentiæ est victoriæ suæ modum ponere, & nimia bellaturiendi libidine sæpè partis exciditur. Principis est fortunam reverenter habere, quæ in bellis procaciſſime ludit, & momento vultum mutat. Nec si prælio victus est Hispanus, aut binis urbibus exutus, bello victus est. Quin sæpè fractis rebus violentior est in hoste virtus, & fortitudinem acuit desperatio. Accedit & hoc, ærarii inopia laborare Rempubl. & annuis exactionibus sollicitari privatorum loculos. Continuis bellis vastari urbes, agros, prædia, omniumque malorum sentinam in humanum genus effundi. Quibus argumentis pugnant, quibus Inducias aut pacis nomen placet. At non nostrum inter nos tantas &c. Ego spectator omnium esse malo, quam actor. Principum consilia scrutari nec studeo, nec anxie inquiro. Alia pietas, alia utilitas publica ac privata suaserint. Hæc ad tuas respondere volui. Quæ in Sylvam Ducis utroque stylo scripsi mitto.

Digitized by Google

to. Lege per otium. Nec enim tam illustre argumentum silentio à me præteriri fas fuit. Vale. 21 Decemb. 1629.

126.

CONSTANTINO HUGENIO.

QVod Virgilio apud Augustum Cæsarem fuit Asinius Pollio, Ausonio apud Theodosium Imperatorem Paulinus, Martiali apud Domitianum Priscus, id tu apud Auriacum mihi es, humanissime Hugeni. Illi nempe summis poëtis summorum Imperatorum gratiam impetravere, tu homini indigno Invictissimum Principem magis magisque conciliare pergis, & eodem facto non minus tuas, quam Principis laudatissimi virtutes illustras. Et nescio, an majus sit præmiis dignas judicare literas an præmia iisdem conferre. Illud certum est, posterius hoc priori deberi. Quamobrem quas gratias me agere necesse est, utrique agam, alteri ut autori, alteri ut datori. In hoc liberalitatem eximiam, in illo singularem studiorum amorem exosculor. Ferunt Poëtæ Mercurium animas ex inferis reducere. At citrà fabulam tu is es, qui me ad tartara jam pridem depressum ad Superos revocas. Et eorum favore irradias, per quos stat, ne quid desiderent Musarum cultores. Aureum ramum ostendit Æneæ ad elysios campos proficiscenti Sibylla. Tu minimè fabulosum mittis, quo sensim ad eam beatitudinem vado, quæ verum in terris conspici facit. Sed quam illa sunt divini com-

Digitized by Google

commatis, quæ litteris tuis inſpargis, cujus commoda faxo olim percipias: niſi quod illud temporis ἐπίῤῥημα [*adverbium*] ſpem tanti boni longiuſculè differat. Vtinam paulò explicatius locutus fuiſſes, quò gaudii cauſas altius in animum admittere potuiſſem. Iam famelicis iſtis ſum ſimilis, qui imaginaria cœna ſtomachum deludunt. Si Principi ſalutaris aliqua vocula excidit, ἐξανδᾷ, μὴ κεῦθε νόῳ, ἵνα ἴδωμέν ἄμφω. [*eloquere & nil mente legas, ut uterque ſciamus.*] Si me ſcire non vis, pergam rogare uti occaſionibus invigiles, quibus promoveri res meas poſſe putabis, Principum gratiam occupare oportet, me longiore mora torpeſcat. Vtinam affulgent aliquando dies iſtæ, quo de Principe noſtro dicere liceat, quod de Auguſto cecinit Tityrus:

— *Deus nobis hæc otia fecit,*
Namque erit ille mihi ſemper Deus, illius uſque
Melpomene noſtris implebit cantibus aures.
Ille meis dici modulis, ut cernis, & ipſum
Ludere quæ vellem calamo permiſit agreſti.

Vale Hugeni doctiſſime. 24 Dec. 1629.

127.

EIDEM.

ETiam te hiſce naturæ ſacris initiari oportet Nobiliſſime Hugeni, & cui omnis elegantiæ capacem animum illa dedit, ignorare nefas eſt, quæ orbi noſtro indulſit, πῦρ ἢ ὕδωρ.

Digitized by Google

ἐ γαῖα, ἡ ἀήρος ἤπιον ὕψος. [*Ignis, aqua & terra, & qui terram amplectitur aër.*] Me aliquando mirum in modum cepit rerum istarum cupido. mox obrepente ignavia, languente novitatis studio neglexi supellectilem istam πολυποίκιλον [*multæ varietatis*] augere. Profectò non insuave est, contemplari in arcula varias rerum species, & compendio tenere universum. Ita fit, ut microcosmus homo aspectet domi microcosmum, & cui dominari in cetera datum, imperii sui opes manu libret, &, quo velit, transferat. Illud præcipuum est, horum contemplatione animos rapi in admirationem omnipotentiæ, sapientiæ ac bonitatis divinæ. Nihil enim vides, quod non, vel usu necessarium, vel opere mirandum, vel varietate stupendum sit. Nihil tam magnum, quod non ad erudiendos nos descendat, nihil tam parvum ac vile, quod non ad illustrandam gloriam summi numinis sese erigat. Mitto paucula, quæ è capsula mea selegi, ut aliquo velut προαιθαλίσματι, [*præludio,*] ad aliorum investigationem incitarem igneum tuum & quidvis sciendi cupidum pectus. Monui Brosterhuysium, ut suam quoque symbolam conferre velit, ad illam, quam adornas naturæ officinam. Addidi nummulos aliquot veteres, omnes probos & genuinos, quibus Cæsarum heroïcas imagines exhiberi vides, ut horum intuitu in Barlæi tui absentis vultum subinde reflectaris. Reperti sunt nuper Voorburgi inter rudera. Vale vir amplissime, & quibus recrementis

Digitized by Google

mentis sordibusque mihi carere perfacile est, fruere. Horum

Semper ego optarim pauperrimus esse bonorum.

Modo tui pergam amoris benevolentiæque compos esse. Vbi animus erit excutere Overbequii sacra, vacabit tibi totus. Remitto nummum illum ex sculpto fusum. Extorsit αὐτοψία [*inspectio*] confessionem viro isti hactenus hisce incredulo. Miratur tantos in hac arte progressus fecisse industriam humanam. Iterum, vale. 25 Decemb. 1629.

128.

ARNOLDO BUCHELIO.

VTi literarum tuarum conspectu gaudebam, reverende Bucheli, ita fasciculi istius, quem tuis junxeras intuitu hærebam, velut attonitus. Nesciebam unde iste ad me, cujus iste esset character elegans, donec apertis literis viderem subscriptum nomen Schuurmanni, ejus nempe, cui soror illa, rari exempli virgo, contigit. Ergo dum alii res suas opibus augent, dum maria scindunt, Athon perfodiunt, tu mihi amicos lucraris, quorum quantum sic precium ex isto Comici discere est,

Οὐκ ἔστιν οὐδὲν κτῆμα κάλλιον φίλου,
Φίλους ἔχων νόμιζε θησαυρὸς ἔχειν.
Verè est amicus optima possessio,
Habens amicos, crede, thesauros habet.

Hac occasione versiculos aliquot fudi in gratiam doctissimæ virginis, ut literarum aliquid vi-

Digitized by Google

ciſſim ab illa eliciam callidus fenerator. Et decentius eſt, iſtiusmodi officiis (uti & in amoribus) prævenîri virgines, quam prævenire. Literas ad fratrem ejus una cum carmine apertas mitto, ut eas non niſi tuo calculo probatas, illi in manum tradas. Sed quam vos eſtis in exaggerandis encomiis meis hyperbolici. Cum amicis interdum literas tuas communicare ſoleo, iſtas non audeo, ob nimias laudes. Interim illud te neſcire nolo, placuiſſe ſupra modum Hagæ Comitis viris ſummis doctiſſimisque ea quæ in Sylvam Ducis ſcripſimus. Principis primum liberalitatem, ſi non μεγαλυκρέπεια[*magnificentiam*] expertus fui. Mox ultrò honorarium mihi miſit Curiæ Supremæ Senatus. Poſtremo ipſi Ordines Generales. Princeps ſpem mihi non levem fecit primi qui vacabit Vicariatus, cujus penes ipſum erit donatio. Sed uti jura, ita & iſtius generis commoda, vigilantibus ſcripta ſunt. Velim inquiras per occaſionem, ſine ſtrepitu (ne hiantes corvos excitemus) num qui Ultrajecti ſint, qui iſtiusmodi beneficiis gaudeant, licet ita eos animo comparatos ſciam, ut in gratiam meam, nemo vel momento, quam cogent fata, citius, ex hac ærumnarum valle ſit migraturus. Vale vir clariſſime, 26 Decemb. 1629.

129.
GODESCHALCO à SCHUURMANS.

Libens, quam mittis, amicitiæ teſſeram accipio Godeſchalce doctiſſime. Et ne meis deſim

Digitized by Google

sim partibus, hasce iniți inter nos federis, obsides literas remitto. Quanquam verear, ne talis non sim futurus amicus, qualem tu me fingis. Quos enim in me congeris laudum superlativos & invidendas voces, amolior verecundè, & tam longè ab iis absum, quam ab ipsa ambitione. Si in carmine videor assurgere, vereor ego, ne turgidus magis sim, quam grandis. Scis in ampullas & sesquipedalia verba invehi artis poëticæ autorem judiciosissimum, & ab Arbitro perstringi verborum tumorem & inanes sonos. Nativam dictionem & sua pulchritudine exsurgentem, uti in aliorum scriptis admiror, ita in meis desidero. Si à me dissentis, tuo aliorumque judiciis erigor nonnihil, cætera αὐτοκαταγνώστως. [*meo judicio damnatus:*] De me ac sorore tua quid sentiam, quanquam parum sit me dicere, illud dicam, non te minus tam erudita sorore, quam illam tam erudito fratre dignam esse. Carmen habes ejus virtutibus dicatum, in quo eam ex abrupto, ἄνευ προοιμίου [*absque proœmio*] alloquor, veluti factum à Cicerone, cum in Catilinam diceret. De ejus ingenio, eruditione, studiisque stupenda antehac mihi retulit vir gravissimus D. Buchelius. Et vidi aliquando in studiosorum albis doctæ manus lineamenta. Etiam ejus in scriptis suis meminit disertissimus Catsius. Memini & ego, me aliquando in Scholis legisse Latonam peperisse gemellos, Apollinem & Dianam. Simili partu arbitror beatam fuisse genitricem tuam, quæ te ac sororem, doctissimum

Digitized by Google

mum par, luci dedit. Versus tuos Gallicos legi, hoc uno nomine mihi gratos, quod non sint Gallici. Admisces Belgicam gravitatem, & Gallicismum caves, dum rerum majestatem verbis adæquas, quod scriptoribus Gallicis ferè impossibile est, si Bartasium excipias. Nolim tamen hic multum judicio meo te stare, cum Gallicos lepores vix extremis labris gustaverim. Vale vir præstantissime, & ubi censum amicorum inire voles, affectu me inter primos, merito inter postremos loca. Sororem tuam, quam hactenus videre non licuit, plurima salute imparti. Lugd. Bat. 31 Dec. 1629.

130.

HUGONI GROTIO.

GAudeo, tandem post longas moras in manus tuas perveniſſe Hymnum meum, & eò transmissum, quò eum destinaveram. Ea quæ læva cecinit, *Tarpeio quæ sedit culmine cornix*, parum moror. Felicius ille ad Augustum versus scripsit, cujus hoc est:

Sæpè sinistra cava prædixit ab ilice cornix.

Nota tibi est illa de Regibus regumque filiis querela, quam in epistolis suis toties iterat Vates Tejus arguto mixtus Aristophani. Illud operæ precium refero, quod Regum maximorum inscriptionibus versiculis meis lucis aliquid ac dignitatis fenerem. Illos imitor, qui ut melius vendant solent principum vultum vili metallo insculpere. Expectas ea, quæ in Sylvam Ducis scripsi.

Digitized by Google

scripsi. Sed dudum est, quod exemplar miserim ad fratrem, per quem post hac statui ad te curare ea, quæ curanda habebo. Ad eundem misi nuptias meas Peripateticas, in quibus universam Philosophiam novo more de moribus loquentem audies, idque suis vocibus. Non es, Groti humanissime, ex tristibus Diis, aut eorum numero, quibus utendum lactucis, aut mollibus malvis, ideoque audeo ad te hosce ingenii mei lusus mittere, ut eorum lectione mordaces tibi curas aliqua deliniam. Suave etiam est emeritis militibus arma tractare, & reficit capulares crepundiorum conspectus. Talia & has nuptias esse puta, quas non scripsi Curiis & Fabritiis, sed iis quibus mollius est jecur. Non possum à me impetrare, ut semper, & ubique gravis sim. Si non placuerit, ne lege, aut cum legeris, obliviscere, aut non oblitis, ignosce, ut Paulino scribit Burdegalensis. Vale. 29 Dec. 1629.

131.

GUILIELMO BRASSERO.

TRaditæ mihi sunt literæ tuæ, amplissime vir, sed apertæ, cujus culpâ non facilè dixerim. Quæris, an mea opera ab Amstelodamensibus desideretur. Ita passim audio, & constans hæc est fama inter eos, ad quos hæc res non pertinet. De me quicquam decretum esse ex fide dignis auctoribus nondum intelligere potui. Scis humanum genus avidum valde esse auricularum. Fovent rumorem, tum qui benè mihi volunt,

Digitized by Google

lunt, tum qui malè. Illi, quia, nescio quo præjudicio, meliore me fortuna dignum putant; Hi, quia serio cavent, ne non semper miser sim. Quid ego? bene ago & lætor, reliquam summo Numini commissa volo. Quid sit futurum cras fugio quærere. Et uti magnas vanasque spes non alo, ita nec omnem abjicio prorsus. Nihil peto, nihil ambio, vero philosophantium more.

Interea, quo fata trahent, retrahentque sequemur.

Sum similis fundo, qui cum nullum habent possessorem, primi erit occupantis. Amicitiam nuper contraxisse videmur mutuum ignoti. Ubi denuò nos casusve Deusve junget, dexteram dabimus fidemque. Vale. 31 Dec. 1629.

132.

CONSTANTINO HUGENIO.

PEnè obstupui, cum legerem versiculos tuos, carminis mei interpretes. Qui nuper editi, autore Graphiario, mihi utcunque placuerant, lecta tua paraphrasi prorsus displicere cœperunt. aliter sues, aliter catuli olent. Ex pauculis illis filamentis tuis facilè conjicere potui, quale totum ὕφασμα [*contextus*] futurum fuisset, si pertexuisses. quod ut fiat, petere non ausim, tum quod sciam gravioribus te & magis seriis distringi, tum quod indignus sim, cujus panno tam insignis superinducatur purpura. Vis, Hugeni humanissime, ut candidus impartiar, quæ per ocium mihi excidere solent. Ecce, iterum Andria aliquid apportat novi. Seria non mitto, sed ludicra

cra & festiva, nuptialia volo dicere, à quibus abesse debet ambitiosè tristis oratio. Non hic, ut elegantissimi Petronii verbis loquar, leges piratas cum catenis in littore stantes, non tyrannos edicta scribentes quibus imperent filiis, ut patrum suorum capita præcidant, non flebile Iphigeniæ fatum, sed molles & festivas Philosophi allusiones, & allegoricos sensus. Rhetorum præceptum est, de rebus gravibus graviter dicere, de humilibus humiliter. Non cuivis pedi quivis quadrat calceus, nec cuivis argumento convenit circumductus & elaboratus sermo. Cum hæc scribere cœpi, cœpi ridere, & ridendo progressus in risus desii. In nuptiis grandia loqui velle plusquam ridiculum fuerit. Piscatores eam escam appendere solent hamo, quam scierint appetituros pisciculos. Plus laboris fuit describere, quam scribere. Et licet non soleam meis subscribere superbum illud *ex tempore*, apud te tamen ἀκίβδηλον [*sincerum*] amicum profiteri audeo, extemporaneum hunc esse discursum, nec mirum, cum ossibus & nervis careat, nisi tu, Trebati, dissentis. Vale. 11 Febr. 1630.

133.

PETRO C. HOOFT.

VErsus tuos, Vir clarissime, quibus magno exercitus nostri Imperatori geminam victoriam gratularis, perlegi aliquoties. Nec enim una lectione exhaurire potui, reconditos omnes sensus, aut acumina ejus assequi. Odisti profa-

Digitized by Google

num vulgus, & ab his sacris arceri vis corvos poëtas, & poëtrias picas. Omnia in te sublimia esse video, mentem, stylum, arcem, in qua imperas, adde & nomen ipsum. Ex illa uti infrà te posita desuper vides, ita & humi-repentes versificatores despicis. Per nubes graderis, sideribus proximus. Inter Latinos tonant Statius & Claudianus, inter Græcos Pindarus, inter Gallos recentioris ævi Bartasius. Tu per Belgicorum vatum capita verticesque incedis, & humiles myricas despicis aëria cupressus. Aliquot retrò annis paradigmatis vicè inservivisti Belgii vatibus, qui quoties à Baviis & Mæviis secerni volunt, tuum cothurnum induere student, & grandiloquum illum sermonem affectare. Sed video hisce imitatoribus accidere, qod ranæ Æsopicæ, quæ cum turgidum bovem inflando imitari conaretur, rupturam fecit. Liceat de te canere, quod de Thebano vate cecinit Flaccus:

Hoostium quisquis studet æmulari,
Belga, &c.

Vis, ut hallucinationes tuas & σφαλώματα [*lapsus*] indicem. Sed non sum is, qui sandalium Veneris reprehendere audeam. Nec sum in amicorum scriptis adeò Lynceus, ut aut observare possim, si quid occurrat minus planum, aut etiam reprehenda obelisco configere velim, si vel possim, quam maximè. Multa in isto tuo carmine scripta acutè, graviter, appositè. Si fortè paranomasia aliqua frontem corruget, judicii

Digitized by Google

dicii mei culpam interpretari malo, quam scriptoris. Vale vir clarissime, & me sæpius heroicis tuis ac lucernam redolentibus lucubrationibus bea. Lugd. Bat. 12 Mart. 1630.

134.

CONSTANTINO HUGENIO.

DIc mihi Constantine,

— pecus cujum? anne Ratalli?
An potius Groti? nuper mihi tradidit ἔλυς. [nullus.]

Addiderat literas eruditas satis, ut quæ arguerent ab optimo parente profectum esse hunc fœtum, quem ipsi exponere libuit, ut aliorum opera lucem videret. Ego, qui (prô pudor) linguam Gallicam non magis calleo, quam sus poëticam, aliorum judicia percunctor, ut quid de opere hoc statuere debeam, si non meis, aliorum saltem oculis cognoscam. Legit paraphrasin hanc vir Cl. Rivetus, ut pote linguæ Druidum peritissimus, qui & illud sibi negotii dari passus fuit, ut non invitus à stribligine vindicaverit patrium idioma, plane uti novum vultum induerit epistola. Iudicat idem vir, sic edi posse. Sed priusquam hoc fiat, consultum putavi tuam super hac re sententiam exquirere. Suspicor non levibus indiciis autorem esse Doubletium nostrum. Quid de opere tu judices, quem autorem designes, scire aveo. Legi πολεμικὸν [*bellicum*] poëma Hoofdii nostri ἀεροβατοῦντος καὶ τὴν ἥλιον εἰσορῶντος. [*gradientis per aëra & solem aspicientis.*]

Multa Muydensem levat aura cycnum,

Digitized by Google

Tendit, Hugeni, quoties in altos
Nubium tractus. Ego apis Batavæ
More, modoque.
Grata carpentis thyma; per laborem
Plurimum circa placidas amœni
Fluminis ripas operosa parvus
Carmina fingo.
Tu canes majore poëta plectro
Principem, quandoque trahet feroces
Impares ferro domitosque gleba
Nuper Iberos.

Ita enim libet ad Horatium παῤῥῳδεῖν. [*imitatorium canere carmen.*] Vale. 15 Mart. 1630.

135.

CORNELIO VANDER MYLE.

HAbes libellum, nobiliſſime Myli, de quo nuper inter nos ſermo, Catecheſin puta Excalviniſatam. Ita enim loqui libet iis, qui Pontificem Calvino, Romam Genevæ præferunt. Vide qua ſolertia & dexteritate hoc agant illi, ut in partes ſuas pertrahant incautos, & tenebras offundant oculis imperitorum. Voculæ in margine notatæ Calviniſmum redolent, ideoque extra textum, relegantur. quæ vero textui verba inſerta vides Italico excuſa charactere, Romani ſaporis ſunt. Vellem filium tuum Adr. Mylium centurionem Sylvæducis inquirere, quæ iſtic Pontificia catecheſis manibus Catholicorum teri ſoleat. Tentarem, an non ſimili modo metamorphoſis induci poſſit ipſorum formulis.

Digitized by Google

lis. Fortè non inutilis esset hæc opera istic loci, ubi in civium animis altè radices egit Papatus. Debebat hæc res curæ esse Synodicis patribus. Sed vereor ne, qua sunt indole, immodestius ac calidius hanc rem incœptent. Prudentia opus est & moderatione in hoc negotio, qualem in convertendis Iudæis se adhibuisse perhibet Apostolus. Abstinendum ab iis, quæ infirmiores offendere queant, ea tamen cautione, ne quæ scitu ac creditu necessaria sunt, silentio prætereamus. Pontificiæ Catecheses facilè haberi possunt, sed ex multis expediet eam eligi, quæ apud Sylvæducenses maximè in usu est. Vale vir nobilissime. 16 Mart. 1630.

136.

GREGORIO DOUBLETIO.

Vir amplissime,

Venit ad te, fœtus hic expositicius, non ut te patrem designem, verum quia inops consilii, quo me vertam, nescio. Expectaveram, ut Professor iste è Druidum gente, lineâ solum subducta indicaret, quæ correctionis egere arbitraretur. At ille humanitatis simul suæ & artis prodigus falcem audacius in alienam messem misit, & censoria sua virgula quaquaversum inclementius grassatus, aciem carminum ordinesque prorsus turbavit. Vir quidam magnus, cujus me judicio multum tribuere fas est, quique in Gallico carmine omne tulit punctum, ita de censore judicat, eum non benè de Gallica ista paraphrasi

Digitized by Google

phrasi meritum esse. Ait, autorem bonam & laudabilem operam navasse, nec ubique inferiorem censore esse, in nonnullis curatura junceum reddi scriptum ac gracile, ut appareat sæpè, oratoria manu poëtam vapulare. Affirmat idem, quibusdam in locis Belgam Pharmaco Gallicano indiguisse, sollœcismos item poëticos, quorum plerosque circa metri censuram commissos ait, hic illic appositè restitutos. Verum ultra crepidam illum sapere voluisse. Quare rogo te & obsecro per amicitiæ nostræ jura, & si tibi quicquam est dulce meum, ut relegere hæc velis, & quid servandum nobis, quid removendum, asteriscо indicare. Facile tibi fuerit discernere æra lupinis. Quæ ex censoris emendationibus retineri vis, integra relinque; quæ corrigendo depravavit, dispunge. Eorum loco, prius scripta rata habebimus. Nolim ego autori, quisquis is sit, (nec enim vis, ut credam, te eum esse) egregium laborem periisse. Legerunt hîc alii, Gallicæ linguæ periti, quibus adeò placuit, ut doleam non statim prœlo commissos hosce versus. Difficile est pluribus convivis satisfacere, vario palato diversa poscentibus. Aliquid tribuendum puto oratoris iftius sacri judicio, at plus ejus viri, cujus modo judicium adscripsi. Tu velut medius inter Damætam & Menalcum Palæmon, & hunc & illum vitula dignum crede. Experiar hîc candorem tuum, & si autorem deprehendero, faxo pari carminum officio, ne illum laboris sui pœnitent. Vale. 17 Mart. 1630.

IOH.

Digitized by Google

137.

IOH. UYTENBOGARDO.

EGregie conſcientiarum libertatem vindicare pergis, Vir clariſſime, adverſus eos, qui numellas illi & compedes parant. Quanquam, dum hoc faciunt, libertatem plenis buccis crepent. Notat in Auguſto & Tiberio Tacitus; illos retentis priſcis magiſtratuum ſub libera Republica vocabulis, turpi ſervitio rempublicam ſibi mancipaſſe, cum viderent Romanos ſpeciem titulosque magis ſervitutis, quam rem ipſam exhorreſcere. Non alieni ab illorum indole mihi videntur illi, qui dum conſcientiarum carnificinam, exoſam ſuperioribus temporibus rem, vocabulo tenus à ſe amoliuntur, bona tamen libertatis ſubverſum eunt: & novis fere rebus aucti, priſcum Reipublicæ morem dediſcunt. Doleo vero cum tam ignobili adverſario tibi negotium eſſe, cui famæ quicquid habet apud ſuos, non virtus probitasque, ſed Synodicæ Legationes peperere, quique temporum magis fiducia, quam cauſa ſubnixus ſanguinariis ſuis conſiliis optimatum animos corrupit. Valde ipſum inclementer, nec immerito, tractas, dum quam ſit ἀλόγιστος & ἀσυλλόγιστος [*rationis expers & à recta ratiocinatione alienus*] iſto tuo ſcripto oſtendis. Non ſiculnea ſolummodo folia, quibus ſe involvit larvatus diſputator, detrahis, ſed & pene excorias hominem, ac cornutis tuis argumentationibus proſtratum in pulvere conculcas.

Digitized by Google

cas. Recte urges, majores nostros ista conscientiarum libertate, quam ille, immane quam liberalis, nobis indulget, minime contentos fuisse: cum non minus conscientiam gravet, eam carceribus, exiliis, mulctis cogi, ut quod sentit, ad gloriam Dei & salutem proximi, loqui non audeat, ac palam profiteri; quam eam cogi, ut se credere simulet, quod minime credit. Quare quæ in hypothesi disputas, huc referri posse arbitror: I. Solum Deum conscientiæ vim immediatam adhibere posse, ut contra quam cuperet illa sentiat & loquatur. II. Hominem conscientiæ vim inferre indirecte, extorquendo actum aliquem, vel actus omissionem, contra animi sententiam. III. Indirectam illam carnificinam duplicem esse respectu actus, aut omissionis per vim extortæ. Vel enim cogitur homo, contra quam sentit, actum externum & imperatum (ut Philosophico utar vocabulo) exercere, idque coactione proprie dicta & rigide sumta; quomodo Antiochus cogebat Iudæos sacrificare Baccho: vel cogitur agere aliquid aut omittere, coactione plus quam morali, contra conscientiam, puta metu pœnæ, mortis, exilii, carceris, &c. quales actiones mixtas vocant Philosophi. IV. Non solum respectu violentiæ adhibitæ duplicem esse illam carnificinam, sed & respectu ejus, qui vim patitur. I. Cum illi imperatur metu grandis cujusdam mali, ut vel credere se simules, vel agat, quod sine scelere ac crimine ille nec agendum sibi, nec credendum, nec simu-

Digitized by Google

simulandum, quasi crederet, putat. II. Cum illi similium aut eorundem malorum periculo imperatur, ne, quod ille sibi profitendum ac agendum ex officio necessario arbitratur, profiteatur aut agat? V. Qui conscientias torquent metu majoris aut minoris mali, fasciculis, æternis carceribus, exiliis, mulctis, exauctorationibus, omnes conscientiarum esse tortores, gradibus distinctos solummodo, in quibus ipsis gradibus facillimus est ab imo ad summum progressus. VI. Stolide dici & imperite Pontificios proprie intendisse conscientiarum coactionem, per adhibitam vim, ut qui voluerint eos, quos affligebant, aliter credere: cum rarissime & non nisi miraculo iste finis istiusmodi mediis obtineri possit. VII. Istam conscientiarum libertatem, ut quisque suo apud se sensu abundet, nullo unquam tempore satisfeciisse iis; qui ab aliorum Ecclesiis, vel merito vel immerito secessere. VIII. Non Orthodoxis, non Arianis, non Donatistis, &c. IX. Non Albigensium ac Valdensium seculo, quo furere cœpit Papatus. X. Non majorum ac proavorum nostrorum ætate. XI. Non hodie in variis Germaniæ superioris locis, Bohemia, Moravia, Palatinatu, &c. uti nec in Brabantia, Flandria, &c. XII. Tunc conscientiam vere esse liberam, cum nulla externa vi ab officio suo dimovetur, sive illud Fidei, Spei, Charitatis actus internos ac elicitos spectet, sive cultum Dei externum, actusque religionis per externa membra exercitos. XIII. Qui cul-

Digitized by Google

cultum omnem Dei externum rem ajunt esse indifferentem, & arbitrii publici, in principia Theologiæ impingere, contradicentibus Scriptura, veteri Ecclesia, & Confessionibus Ecclesiarum Reformatarum. Hæc eorum, quæ fuse, appositè, & erudite disputas, summam esse arbitror. An mentem tuam penitus perceperim nescio. Diu enim est, quod ista Theologorum sacra non excusserim, ut plane mihi videar in alium orbem delatus, cum de hisce rebus mihi verba facienda sunt. Ignosce, si cespitaverim. Veniam etiam mihi des cupio, quod pro munere tuo serius gratias agam. Scripsissem citius, sed ignorabam sub quo Hollandiæ meridiano starem. Amphibiis similis es, qui sæpe sedes mutant, ac Hamaxobiis Scythisque, qui pro tempestatum ratione plaustra modo Orienti, modo Occidenti obvertunt. Sed quid rependam? Seria, sacra & te digna non possum. Mitto ludicra, ut eorum lectione frontem, quam tibi corrugant tristes ac mordaces sollicitudines exporrigas. An non & Bis pueri senes? forte ob hoc, quod jocis gaudeant, & festivæ orationis tintinnabulis se recreari non inviti ferant. Autori Anti-censuræ respondebo, ubi opus illud stupendum & ære perennius perlegero totum. Vnus ex censoribus, rogatus an legisset Anti-censuram, indignabundus respondit, *Non, nolo legere, non volo à diabolo quicquam discere.* Vale vir doctissime & humanissime. E Musæo nostro. IV Non. Maji, 1630.

138. AR-

Digitized by Google

138.

ARNOLDO BUCHELIO.

LItteras tuas ipso Attico melle suaviores, nectare dulciores, non exosculatus modo fui, Vir amplissime, verum quo amantes se mutuo solent, altè in animum recondidi. Video te meminisse istius rei, super quam non ita pridem tibi aurem vellicaveram. Quid rependam profusæ tuæ erga me humanitati! gratias majores maximis; adhæc versiculos & carmina, parabilem domi meæ annonam. Hæ enim opes meæ sunt, hic fundus, hic ager, hoc omne, quod præter bonam mentem possideo.

Non ebur, neque aureum
Meâ renidet in domo lacunar:
Non trabes Hymettiæ
Premunt columnas ultimâ recisas
Africâ, neque Attali
Ignotus hæres regiam occupavi.
Nec Laconicas mihi
Trahunt superbæ purpuras clientæ.
At fides, & ingenî
Benigna vena est, & meis beatus
Pergo Musis immori,
Laurosque Belgî & patriæ duces canto.

Vide, ut me disertum faciant publica commoda, usque adeò, ut jam molestus esse incipiam doctorum auribus. Coërceri me tandem oportebit publico edicto, ut taceam. Ad quodvis argumentum, quod se mihi offert, salit mihi ma-

Digitized by Google

milla & prurit ista divinioris auræ particula, ut quiescere nequeam, etiamsi velim quam maximè. Nempe hæc amabilis insania me jam vexat, donec visum erit superis me ad seria magis applicari! Doctissimo viro D. Schuurmans exemplar trade. Est enim ἐκ τῶν ποιημάτων, [*ex Poëtis*,] ad quos solos hæc sacra spectant. Vale. 3 Non. Maji, 1630.

139.

IOHANNI CABELIAVIO.

MVnus tuum sale ac fumo conditum, ab Arctoo, uti opinor, orbe profectum, non exosculatus solummodo fui, Cabeliavi humanissime, verum in sanguinem jam & succum converti, imo partem mei feci. Nec contentus fui illud solus edere, verum cum amicis tui studiosis frustillatim, aut si mavis bracteatim illud concidimus, & salsuginem rore Liberi patris castigavimus. Quid rependam? aridulas, ut vides, chartas, versiculis meis commaculatas, quæ, ne prorsus tibi inutiles sint, mox thuris piperisque sint cuculli. Carmen leges impetu effusum, uti impetu Olindam cepimus. Lambere non vacavit mihi, ne gratia novitatis decederet. Et similis sum parturientibus matribus, quæ festinos amant partus. Vocavi aliquando poësin scabiem cum perpetuo pruritu conjunctam. Utut enim silere in animum pertinaciter inducam; tamen ad quodvis argumentum publicum & illustre prurit mihi mens, & exilio, non aliter ac ad

Digitized by Google

ad tympani ſtrepitum hinnit bellator quadrupes. Hæc amabilis inſania me jam vexat, hæc Corydonem tuum cepit dementia. Tempus erit, ut miſſis nucibus ſeria aliquando tractem, & quid Peripatus doceat, aut Stoa, gravi ſermone expediam. Cognoſces aliam Poëtarum, aliam philoſophorum eſſe orationem, nec dictione ſolum, ſed & genio, argumento, uſu diſſimillimos illos eſſe. Tu rectius quod à ſtudiis forenſibus ſupereſt otii, ſacris meditationibus impendis, & qua opera ſtylum, eadem animum ad pietatem acuis. Legi paraphraſin tuam. niſi viderem internatantem textum ſacrum, juratem paraphraſin non eſſe. Et quanquam credam non inutilem hanc tuam operam fore, vellem tamen altius te aſſurgere, & novos edolare fœtus, quàm alienos refingere. Servitutis & hæc ſpecies eſt, aliorum veſtigiis inſiſtere, & eorundem ſenſibus velut ex præſcripto inhærere. In libertatis regno natus es, quam non corpori ſolum vindicare nos oportet, ſed animo potiſſimum, qui numellas iſtas & compedes odit quam maximè. Sed hæc apud amicum παῤῥησιαστικῶς. [*liberè.*] Camerariis, patri & filio, ſi tanti hoc nugamentum eſſe putas, exemplar tradi patiar. Vale vir doctiſſime & chariſſime. E Muſæo meo. Lugd. Bat. Ipſis Non. Maji 1630.

Digitized by Google

140.

CONSTANTINO HUGENIO.

IMperaveram jampridem mihi silentium, uti ex adjuncto Epigrammate vides, & Musis omnibus totique Heliconi valedixeram. Verum uti in magno dolore, præsente patris periculo silentium rupit Cræsi filius, ita mihi ingens patriæ gaudium fibulam poëticam laxavit. Dum illa feliciter rem gerere pergit, ego minus feliciter persevero canere. Illud in Sylvam-Ducis operosius est. Quid ni? majoris etiam operæ fuit, illam vicisse. Olindam impetu cepimus, impetu celebravimus. Anne & hoc est orationem rebus accommodare? Cum hac transiret antè pauculos dies Nobilissimus Mylius. Ecquid, inquit, jam silebis Barlæe, & indictum sines Pernambucum? Affirmavi ego, & vilem esse annonam carminum meorum respondi. Omne rarum & minus parabile in precio esse, obvia & frequentiora vilescere. Verum postero die, cum vix è somno cœpissem connivere, & oculis detersissem nocturnum humorem, cœpi Olindam invadere, & carmen scribere deductum, uti Maro vocat, minus operosum ac tenuis spiritus, uti Flaccus loqui amat. Languent animalia post immoderatam venerem, ob exhaustum spirituum fontem. Nec minus crebro opere fatiscit Apollinis vis, & œstrum, quo vatum mentes incalescere solent. Quod de amica sua scripsit Horatius, ego de Poësi verius dixerim, vix illigatum

Digitized by Google

tum me triformi Pegasus expediet Chimæræ. Si perrexerim in hoc studio,

Tandem residentcruribus asperæ
Pelles, & album vertar in alitem
Superne, nascenturque leves
Per digitos humerosque plumæ.

Vale mi Hugeni, & diu vive, mearum

Grande decus columenque rerum.
Ah te meæ si partem animæ rapit
Maturior vis, quid morer alterâ!
Nec charus æquè, nec superstes
Integer. ille dies utramque
Ducet ruinam. non ego perfidum
Dixi sacramentum. ibimus, ibimus, &c.

Vide, ut Horatiana crepem, qui jam totus sum in ejus lectione, & mordacem rumino Flaccum. 3 Non. Iun. 1630.

141.

SIMONI EPISCOPIO.

VIr clarissime, & doctissime,

Vix verbis exprimam, quam bilem moverit Theologis nostris Anti-censura vestra. Omnes ringuntur, & parum absunt à manifesto furore. Nec mirum, inest enim isti scripto vis quædam abalienandi mentes sacras, quarum uti muneris est reprehendere alios & docere, ita reprehendi infamiam summam putant. Exulceratæ facultati caustica adhibuisti, quæ alte reconditis malis mederi solent. Dropaces passim observo & sinapismos. Valdè illud vestrum (ut

Digitized by Google

alia tacèam) de non damnandis iis qui circa Trinitatis dogma errant, judicium exaggerant. Acceſſit jam libellus iſte de Eccleſiæ Concordia, quem ſuperiore anno Ultrajecti apud amicum offendi & legi. Hunc ajunt à te profectum, planeque Anti-cenſuræ σύμφωνα [*conſona*] loqui. Thyſius dixit amico cuidam meo ſe ad exemplum Bodecheri colligere loca ex Anticenſura, quæ locis ex libello iſto Polonico collectis à latere opponet, ut appareat eundem eſſe utriusque operis autorem, aut ſi diverſi ſunt, te cum illo συγκρηπίζειν. [*colludere.*] Cum ſignificatum illi eſſet Præfationem Arrianismum ſapere, reſpondit Præfationem alterius eſſe, libellum tuum. Walæus in Zelandiam abiit cum exemplaribus aliquot, ut iſtic Ordinibus perſuadeat, quid monſtri aluerint hactenus, jam parturiant, Remonſtrantes. Quibus ſermonibus Rivetus Principem circumvenire conatus fuerit non arbitror te ignorare. Ego quanquam certus ſim libellum illum tuum non eſſe, verum adverſarios, cum recta non poſſint, hac via aggredi Remonſtrantes, impenſe & ſerio vos hortor, ut brevi Apologia calumniam iſtam diſcutiatis. Ne, cum vinci non poſſit rationibus cauſa optima, fraudibus eam mendaciisque opprimi ſinatis. Verum habeo, quod tibi ſubminiſtrem, forte non inutile ad præſentem rem. Heynſius magnus cauſæ veſtræ inſectator, quique modo Atheiſmum, modo cum mitius loqui vult, Socinianismum vobis impingit, tam fœde circa Tri-

Digitized by Google

Trinitatis dogma lapsus est, ut expediat plures hoc scire. Adeo qui in scriptis vestris lyncei sunt, in hujus hominis velut à love nutriti commentationibus talpæ sunt. Velim te advertere, & attentius perlegere locum illum qui exstat in ipsius Aristarcho sacro, sive Notis ad Nonni paraphrasin pag. 272. cap. 14. Vbi turpi rerum Theologicarum ignorantia, incidit in Sabellianismum, dum Deitatem, & id quod in divina Trinitate commune est, dicit re differre, modos vero existentiæ ratione & cogitatione, cum quod in hominibus commune est Petro & Paulo ratione differat, Petrus vero & Paulus qua diversi sunt re. Et hoc sensu interpretatur Patres Cyrillum & Damascenum. Quid imperitius, quid crassius, quid ἀθεόλογον [*contra Theologiam*] magis proferri possit. Sabellianismum profitetur, dum Trinitatis assertor audire vult. Addit etiam ibidem, divinam essentiam, voluntatem, bonitatem & similia realiter differre, at hoc ipsum est inter hæreses Vorstii toties exagitatas. Adscribam locum integrum:

Dicam igitur, quod subito in mentem nobis venit, inquit. Quanquam rarius antiquos ita loqui sciam, πεαλικὸν [*reale*] id esse puto, quod vos ὑποσαλικὸν [*subsistentiale*] vocatis. Quatenus non in imagine aut idea, sed οὐσιωδῶς [*essentialiter*] à Patre filius est genitus, quemadmodum subsistit. Quod subtilius Cyrillus libro de Trinitate primo, & qui caput hoc descripsit, primo de Orthodoxa fide, Da-

Digitized by Google

mascenus distinguunt. Qui id, quod commune est in hominibus, Petro puta & Paulo, mente & ratione, quod diversum, rebus, hoc est, πράγμασι, distingui volunt. Contra in divina Trinitate, in qua quod commune est, essentia nimirum, bonitas, voluntas, aliaque id genus, quæ communione ostendunt identitatem, re, non ratione, proprietates autem, sive modos existentiæ, qui differentiam constituunt, animo ac cogitatione distingui volunt. Quæ distinctio ab illis πράγμασι καὶ λόγῳ [*rebus & ratione*] fieri ibidem dicitur. Ecce essentiam à personis vult realiter distingui. Contra quam in Philosophia homo à Petro & Paulo ratione differt. Deinde modos existentiæ quibus distinguuntur personæ ait ratione ac cogitatione differre.

Tertio hunc sensum (imperite) affingit Patribus, dum vocabulis πράγμασι καὶ λόγῳ [*rebus & ratione*] utuntur.

Quarto essentiam, bonitatem, voluntatem dicit realiter distingui. Si hæc scripsisses tu, indignus habereris quem terra aleret, jam Sabellianus audires, jam Deum compositum faceres, & quid non? Utinam iste locus cum brevi consequentiarum exegesi paxillo suspenderetur, & vel solus patenti aliqua forma chartaque excuderetur, quod malim: vel saltem per occasionem Apologiæ vestræ, quam audio te adornare ad amoliendam de libelli istius editione criminationem, inferatur. Quid si utrumque

Digitized by Google

que fiat. Sunt & alia σφάλματα [*errata*] in Aristarcho, quibus in Theologiam incurritur. Sed illud quam immane est. Non dubium quin per imperitiam peccaverit. At hoc sciant facultatis Theologicæ πρεσβύτεροι. [*præfecti.*] Sciant Synodici, ut constet eos dum culices percolant, camelos more suo deglutire. Deest omnis, qui obtendi possit, color.

Quod superest, pro munere isto tuo & libro eruditissimo gratias ago maximas. Videor mihi, quoties in ejus lectione versor, è suggestu, te docentem & disputantem audire. Ubique cum eloquentia argumentorum pondera & momenta conspirant, & modo me dicendi facilitas, modo oratio acuminis & solertiæ plena, modo utraque rapiunt. Habent super quo ungues mordeant quadrumviri. De rebus ipsis & controversiis apud te sententiam dicere non ausim. Metuo sibilum in desuetam arenam admissus. Vale Vir doctissime & charissime. 8 Id. Iun. 1630.

142.

GREGORIO DOUBLETIO.

TAndem paraphrasis hæc Epistolæ Principis ad Principem maritum prodit εἰς φαὸς ἡελίοιο [*in solis lucem*] postquam multorum judicia, eaque rigida satis, experta fuit. Adeò etiam de Principibus vera dicere periculosum est, & res plena scrupulorum, ut voculas pene singulas & apices verborum ad stateram

Digitized by Google

argentariam expendi neceſſe ſit, ne quid perpetram dictum offendat terrarum Deos. Et fortè nimis anxii fuimus lectores ac cenſores, qui offenſam metuimus ex iis, ad quæ vix reſpexerint generoſiores iſtæ animæ. Nempe,

Non curat alta mente Princeps præditus,
Qua voce creſcat, quoque vatum carmine
Quave arte rhytmos finiat, vel inchoët
Poëta.

Valde hic probari audio à Gallicæ linguæ alumnis. Ego contentus ſum illud admirari, & aliorum judiciis fretus gratias me maximas debere fateor autori, in quem oblata occaſione aliquando ſimili beneficii genere reflectar. Non deſignabo illum, quia hoc à nobis fieri non vis. Verum ſicuti ignotus ille me in ſcenam Gallicam produxit, ita & ego aliquando mihi non ignotum ſcenæ donabo Latinæ. Quod metuis, ne meis in Olindam verſibus incentivum addam bellaturientibus, fruſtra eſt. Non ſolent in conſilia belli pacisque adhiberi poëtarum ſuffragia, quorum proprium eſt fluctus in ſimpulo excitare, & ex fumo dare lucem. Alexandrum Magnum aciem inſtruxiſſe ex Homeri verſibus legi, at iiſdem permotum fuiſſe, ut Dario pacem petenti abnueret, legi nusquam. Auguſtus Parthos ſigna referentes in fidem & ſocietatem Imperii accepit, quanquam claſſicum caneret Horatius oda ſecunda,

Nec ſinas Parthos equitare inultos,
Te Duce Cæſar.

Illud

Digitized by Google

Illud addam, Typographum me inconsulto ordinem Epistolarum immutasse. Fortè hoc consilio quia præludere ad Principem videtur Epistola illa ad Witzium. Adde, quod Deos compellare nefas sit absque mediatore. Vale. 10 Iun. 1630.

143.

NICOLAO REIGERSBERGIO.

QVoties tuum, quoties magni istius exulis, affinis tui, nomen animo meo recursat, rationum abunde mihi suffici video, ne cognatum tuum negligentius habeam. Accedunt præclaræ ingenii dotes, morum adhæc modestia & probitas, quæ faciunt ut propius adolescentem complexus fuerim. Benè habebit, si initiis respondeant successus, & præsentibus futura. Ea est Academiæ hujus facies, ea vitæ studiosorum ratio, ut qui vita satis integra huc se conferunt, facilè ab aliorum consortio pessimisque exemplis labem trahant. Diceres non ad studiorum mercatum eos missos, sed ad Sybaritarum collegia aut Lapitharum convivia. Adeò hic & diuturnis compotationibus comburuntur dies, & nocturnis grassationibus horrent compita. Vis causam? distentis nimium loculis ambulant, idque parentum indulgentia. Hinc peccandi fomenta capit juventus, cerea in vitium flecti. Quod moneo, ut cognatum ab istoc vitæ genere, in quod facilis lapsus, deterreas, non quod moneri ipsum sit necesse, sed ne aliquando sit

Digitized by Google

sit necesse. Studiorum methodum ipsi præscripsi, qualem suadere videbantur progressus ejus. Tecum enim sentio, nihil turpius esse, quam ab illiteratis tractari Iurisprudentiam, ac cruda studia in forum propelli. Ideoque cum utriusque linguæ initiis mediocriter instructus sit, pergo amœniore ipsum succo perfundere. Horatii elegantiora ipsi prælego, Odas, Satyras, Epistolas, singula cum delectu. Historias Romanas, uti privatim legeret, mandavi. Homeri quoque lectionem imperavi, ne Græca dediscere. Styli exercitia, orationum nempe & epistolarum perpetua esse volo. His adjunxi Logicæ explicationem, ne dum ad scientias contendit, τρόπον τῆς ἐπιστήμης [*modum perveniendi ad scientias*] ignoret. Audit & Ethicam, ut quæ Iuris principia aperit, & virum bonum format, qualem quam maximè esse oportet Iurisconsultum. Atque hæc inter oracula Academica consulit, & Professorum lectiones frequentat, ut sapere discat & rerum cognitione abundare. Hac ergo methodo Iuvenis studia formare occœpi, donec ætas, & profectus, aliud suaserint. Vale vir amplissime. 14 Iun. 1630.

144.

GREGORIO DOUBLETIO.

EX quo semel apud Te depudui, Vir amplissime, pergo gnaviter esse impudens. hoc est, cum mihi persuaserim, grata tibi esse ea, quæ scripturienti huic calamo excidunt, audeo iterum

Digitized by Google

iterum atque iterum tibi obtrudere malè natos fœtus, quos lambere non vacavit mihi, utpote festinos partus amanti. Vocavi aliquando poësin scabiem cum perpetuo pruritu conjunctam. utut enim sæpius in animum induxerim silere posthac pertinaciter; tamen ad quodvis publicum argumentum prurit mihi mens, & exilio, non aliter ac ad nucum conspectum loco stare nesciunt Cercopitheci, aut ad tympani strepitum hinnit bellator sonipes. Arbitror poëtis esse humores seroſos & salsos, quibus excitati scalpere coguntur, non cuticulam, Gallorum more, verum diviniores illas membranas capitis rationi & sublimioribus curis destinatas. Tu, mi Doubleti, cave ne ex contactu poëtarum malè incalescas. Facile enim & hanc tibi scabiem affricuero: uti contagiosum est genus illud morborum, quos intercutaneos vocant ἰητρῶν παῖδες. [*Medicorum filii.*] Sed redeo ad carmen meum. Quod cave legas alio, quam oportuno tempore, ne conqueratur uxorcula tua, me humani generis commoda remorari. Exemplar unum & alterum, quod ex inscriptione cognosces, velim per famulum mitti D. Grotio & aliud D. Westerbanio. apud te censoriam virgulam deprecor: reliquum vulgus non moror, cui etiam sapiunt, fabrorum prandia, betæ. Vale. Ipsis Cal. Iul. 1630.

145. FOP-

Digitized by Google

145.

FOPPIO AB AISSEMA.

IAm in animo habebam, Nobiliſſime Aiſſema, Poëmatia hæc poſt tuum à me diſceſſum edita, per filium ad te transmittere. Verum dum ille iter protrahit, & inſtitutum meum moratur, ecce inexpectatus nobis ſupervenis, ut jam compendio ad te veniant Muſæ, nec maris nec terrarum ſpatia emenſæ. Vides argumentum mihi ſuppeditari ab ipſa Fortuna, quam propitiam hoc anno domi forisque experti ſumus. Nempe, uti Demoſthenem Miltiadis trophæa ſomnum capere prohibebant, etiam mihi veternum excutit bellator populus. Facit tamen ſingularis tua humanitas & in literarum ſtudioſos benevolentia, ut hæc ingenii mei commenta judicio tuo ſubmittere non verear. Qui enim in magnis Principum controverſiis æquus eſſe ſoles rerum arbiter, quidni & de hiſce luſibus æquius judices. Quod ſi poëtas ipſos occultior quædam vis jungit, etiam tibi hoc nomine debebantur, quem etiam meminimus in Parnaſſo obdormiviſſe, & de illorum eſſe numero, quos ſubinde poëtica ἔκστασις [*mentis emotio*] rebus humanis ſubducit. Cum aulæ tædium obrepet, cum faſtidioſa expectatione reſponſa Potentum præſtolaberis, cum à ſalutantium officiis magis eris vacuus, ad pagellas haſce deflecte, & moroſas regnorum curas vatum ſermonibus interſtingue. Argumentum, in quo occupor, grande

Digitized by Google

de est, Vesalia, Sylva-Ducis, Olinda, quarum fama veterem & novum orbem personat. Sequor victorem Principem, & dum ille potentissimas urbes hoste eripit, nos illum ab oblivione vindicamus. Pro munere tuo gratias A. T. agò maximas, licet beneficii spe demereri te non cupiam. Non est invidenda mihi fortuna, ut alpernari debeam deorum dona. Verum honesti conscientia adeò in hoc pectore radices egit, ut nolim famam meam apud bonos periclitari vel Attalicis conditionibus. Idem si de me statuas, ignoscam humanitati tuæ, officiosæ nimis. ac munus tuum, non pro Musis mercedem, sed indebitum tui erga me amoris ac singularis affectus pignus interpretor. Vale. 1 Iul. 1630.

146.

SIMONI EPISCOPIO.

BEne habet, Vir clarissime, excussisti vetternum Quatuor viris. Distributæ iterum in capita operæ, & quisque quam nactus est Spartam gnaviter ornare occœpit. Quæ fulmina, qui typhones, & presteres vos manent? non una vos teget ægis. Medusam illam ubi conspexeritis, metuo ne obrigeatis ilicet omnes, & lapidescatis. Quoties reverendis Patribus occurso, frontem corrugant, ut vestra causa immites vultus Minóum excipere cogar. Favere vapulantibus omnes credunt, qui non maledicunt una. Ille, qui rumusculos venari solet, Toxander, nec quenquam orationes serias ad Deum dirigere posse

Digitized by Google

posse putat, nisi in singulos dies studiose inquirat, quid Tyridatem terreat unice, aut quid Rex gelidæ meditetur oræ: facie nubila incedit, atque adeo contracta, ut enemate μαλακτικῷ [*emolliente*] egere videatur, quo emolleſcat non nihil. Mirum, quam etiam in vos despumet suum πάθος [*affectum*] Imperator ἑβραίζων. [*Hebraizans.*] Post editam à se templi Hierosolymitani descriptionem plane summi sacerdotis faciem induit, & velut ex Urim ac Thumim anathemata vobis scribit. Sed non est, quod hunc edentulum metuatis. Non est terribilis, cupit videri. Plures columnas numerat professor, quam auditores. Is est, qui emtis nuper Amstelodami aliquot libellis Anonymi istius *de Ecclesiæ concordia*, Hagæ Comitis eos Præsidi Curiæ aliisque distribuit. Pamphilus noster superiore hebdomade me invisit, valde conquestus de Anti-censuræ acerbitate. Respondebam etiam inclementer satis exceptos esse Remonstrantes ipsorum Censura. Nec cum seditiosos, mendaces, turbulentos, &c. vocant Remonstrantes, mellita me vocabula agnoscere. Vbique, inquiebat, ignorantiam, inscitiam; (hoc ulcus est) nobis objiciunt. Ego Episcopium amavi semper, cum illo amicitiam quoad hic vixit, colui; miror, illum ita in nos invehi. Addebat: Remonstrantes nolunt nobiscum fraternitatem colere, & Socinianos habent pro fratribus. Posterius hoc, dixi, me legisse nullibi, prius à Remonstrantibus intelligi in sensu composito,

Digitized by Google

posito, nempe: non haberi ipsos posse pro fratribus, quatenus Manichaica non improbant: deinde quatenus persecutionum consilia Magistratibus suggerere pergunt. Istic in fidem, hic in charitatem peccari graviter. Tum ille: scio hoc illos excipere. Cumque mirari me dicerem temeraria ipsorum judicia, qui Principi aliisque persuasum voluere, te esse istius libelli autorem, tum ille subridens, *hoc ego non feci*, inquit, *sed Rivetus*. Non valde hoc collegæ sui σφάλμα [*erratum*] ad animum revocabat. Nam ægre illi est, grandius jam uber esse collegæ aulico. Sed mittamus hæc. Illa super libello illo excitata tempestas jam resedit, solum mussitant, iisdem te & libellum uti phrasibus ac loquendi modis. Hoc ostensurum se jactitat ille, qui ad Flevum docuit Theologus, Cleopatræ marito cognominis. Quid ejus rei sit, nescio. Nec enim vacat ineptientis exemplo conferre voces. Exolevit & illa jam criminatio, de SS. Trinitate. Verum illam vestram de dogmatis istius necessitate sententiam, ut hæreticam & toti Antiquitati adversam suggillare pergunt. Hoc omnes ex Iustini loci ad Tryphonem citatione exsculpere conantur, vos Socinianos habere pro fratribus, ἐκ τοῦ ὑμετέρου γένους, [*ex vestro genere,*] ideoque vos non gravate illos ad cœnam admissuros, exclusis Contraremonstrantibus. Ego, an recte, nescio, statuo vos argumentari à majori ad minus, hoc modo: si Iustinus eos qui Christum agnoscunt φιλὸν ἄνθρωπον [*nudum hominem*]

Digitized by Google

habet pro ſui generis hominibus, ergo abſit ut nos ex albo vitæ expungamus male circa hoc dogma ſentientes. Et eſt conſequentiæ iſtius ſpecies, in verbis illis: *Et profecto veterem Eccleſiam*, quæ *αὐξησιν* [*augmenti*] quid habeant & majus. Ad locum illud excipiunt, Iuſtinum non agnoſcere illos pro fratribus, ſed pro Chriſtianis, profeſſione tenus, prout hi contradiſtinguuntur à Iudæis & paganis. Ideoque dicit illos eſſe *ex ſuo genere*, hoc eſt Chriſtianorum, non re, ſed titulo tenus & appellatione, quomodo quis Pontificios dicat eſſe ex noſtro genere, ſi nobis cum Turcis aut Iudæis ſit diſputatio. Erat enim Iuſtino negocium cum Tryphone Iudæo. Sed videtur Iuſtinus reſpicere iſta ſua phraſi ad illud Scripturæ, non erant *ex nobis*, quod arctiorem fidei communis copulam ſignificare videtur. Vos expendite. Nec illud ferunt, Athanaſiani Symboli autoritatem convelli. Sed à vobis rem ipſam Symbolo contentam agnoſci video, reprehendi ſolummodo, præciſas illas & argutas, ac veluti divino juſſu exactas ſubtiliſſimarum phraſium formulas & paranomaſias. Taxant & hoc, peccatum Adami non imputari poſteris, quaſi eidem reatui obnoxiis, quod Antiquitati quoque contraire clamitant. Quicquid hac de re ſit, nihil analogiæ fidei contrarium dici puto. Agnoſcitur communis miſeria, ſolum quæſtio eſt, an illa in poſteris pœnæ proprie dictæ rationem habeat, an ſolummodo damni. Conſona vobis loqui videtur autor Hiſtoriæ

Digitized by Google

ſtoriæ Pelagian. pag. 129. Sed veſtrûm eſt hæc accuratius exequi. De neceſſitate dogmatum fidei, locus eſt in Eubulo Teilingii, ubi (ni fallor) recenſitis neceſſariis ad ſalutem, dogma illud de Trinitate in Vnitate, ne attingit quidem. Adſcripſi hic loca quædam, forte vobis uſui futura. Vnum vereor, ne ululas Athenas mittam. Quod ad libellum illum Apologeticum attinet, ſuper verſiculo iſto Ioannis, diu eſt, quod autor illum non viderit, & cum apographum nullum habeat, etiam adverſaria ipſi perierint, prorſus quid tum ſcripſerit, neſcit. Petit itaque obnixe ſibi mitti, ut recenſeat. Forte inſeri quædam poterunt, quæ ſuſpicionem divertant alio. Quare relegere illum deſiderat, mitte, ſed non niſi per fidos, aut tuto. Hæc quoque ſcripta liberius tibi ſoli ſcripta crede. Vale, ipſis Kal. Quinctil. 1630. ſaluta τὸν πρεσβύτην. [*ſenem.*]

147.

FOPPIO AB AISSEMA.

QUia vis, ut judicium meum de capitibus iſtis ad te miſſis exponam, Nobiliſſime ac doctiſſime Aiſſema, morem geram. Nihil enim eſt, quod non tua cauſa & ſuſcipere libenter, & quoad poſſum, conficere cupiam. Arguit ſuſcepti operis ἔνθεσις [*argumentum*] autorem in intima Medicinæ ac Philoſophiæ penetraſſe, nec, uti hodiè à multis fit, perfunctoriè artes iſtas addidiciſſe. Quin, me judice, rem aggreditur

Digitized by Google

graviſſimam, digniſſimam, utiliſſimamque. Graviſſimam dico, tum ob Medicinæ, tum ob Aſtrologiæ Iudiciariæ inſignem incertitudinem, in quibus obſervaſſe axiomata aut certa, aut ſaltem valdè probabilia, magnæ fuerit operæ, ingenii non vulgaris, experientiæ verò maximæ. Digniſſimam autem, quia præſtantiſſimam artem & hoc noſtro ſeculo neglectam, nempe faciendi medicinam ex aſtrorum quotidiana obſervatione, novo paxillo ſuſpendit, ac ex ipſis, ut ajunt, principiis arceſſit. Vtiliſſimam denique, quia harum rerum ignorantia in facienda praxi turpiter ſæpè hallucinantur Medici, ægrumque in diſcrimen non leve adducit, pleniluniorum, dierum Criticorum, anni Climacterici, Caniculæ, &c. neglecta obſervatio. Illud tamen fateor, quædam hic ab autore ſumi tractanda, quæ levibus rationibus ſubnixa puto, uti ſunt illa de erectione Thematum natalitiorum, quæque ex horoſcopis deſumuntur judicia, cum per humanam prudentiam & occultam Dei providentiam res ſecus evenire poſſint & ſoleant, quam indicare videtur talis vel talis aſtrorum aſpectus. Nec enim temerè dictum à Poëta,

Sapiens dominabitur aſtris.

Itaque, quæ ad hanc rem afferri ſolent à ſcriptoribus, mirabilia magis ac ſtupenda ſunt apud credulos, quam vera aut utilia. Illa aurea ſunt, quæ capitibus 18, 19, 20, 21, 22, 23, 24 promittit autor, & totius Iatro-Mathematices cardo & caput. Hic figendus pes. At velim autorem

Digitized by Google

rem obiter etiam indicare, non solum eam Mathematicæ partem, quæ Astrologia dicitur, Medico necessariam esse, sed & eam, quæ pure Mathematica est, Geometriam. cum huic subalternari in multis probationibus medicinam in confesso sit. e. g. docet Chirurgus vulnera rotunda difficilius sanari, oblongis. At hujus rei rationem habet definitio circuli, in quo partes circumferentiæ æqualiter distant à centro, quod secus se habet in aliis Mathematicorum figuris, non exactè circularibus. Quæ capite 1, 2, 3, de libro Sapientiæ & Salomone magnifica allegantur, adducta credet non obtusus lector, ut auspicium operis augustius sit sacrorum ostentatione: & ad populum phaleras esse. Iam olim illud nos docuit Patavinus scriptor: Datur hæc venia (inquit) antiquitati, ut miscendo humana divinis primordia urbium augustiora faciat. Amamus, uti origines nostras, ita & artes disciplinasque, ac recens reperta ad Deos referre autores. Quare & Chymici & magiæ naturalis scriptores, & divinatores Astrologi, in medium adducere solent, Patriarchas, Mosen, Trismegistum, Salomonem, ne sine magnis autoribus loqui videantur. Quod tamen ut per occasionem in scripto fiat, non vetò, modo istiusmodi ampullis non destinentur (pace hoc autoris dixerim) integra capita, & ambitio absit orationi, deorum ac sacrorum scriptorum autoritate suffultæ. Quæstiones capitis quarti & quinti dilutæ nimis sunt, quam ut operosius eas exami-

Digitized by Google

nari neceſſe ſit. Ea quæ capite ſexto proponitur, de liberi arbitrii & influentiarum concordiâ digna eſt doctorum examine. Manilii illud eſt, ni fallor, in Aſtronomicis :

Fata regunt orbem, certâ ſtant omnia lege.

Et de Tiberio teſtatur Suetonius, eum circa Deos negligentiorem fuiſſe, utpote Mathematicæ addictiorem, & plenum perſuaſionis, omnia fato agi. Sed benè habet, quod autori ſanior ſententia placuerit, quæ libertatem adſtruit & agendi indifferentiam, etiam invitis Saturno & Iove, potentiſſimis Dîs. Eccleſiaſtici ſcriptoris libro Sapientiæ cap. 8 vox eſt : *à fine ad finem pertingit fortiter, & omnia diſponit ſuaviter.* De Planetarum, uti & ſignorum in hæc potius, quam illa corporis membra facultate multa diſſeri ſolent, quæ an invictis rationibus nitantur, neſcio. Luna plena non minus hydrocephalis, quam aſcite laborantibus gravis eſt, cum tamen in illis caput, hic ventrem occupent aquæ. Poriſmata, quæ inde ſe deducturum promittit ſcriptor capite 8, quantivis erunt precii, modò poëticis fabulis minus involuta. Caput 9. jucundis nec ineptis ſpeculationibus vacat. Capite 10, 11, 12 contenta placent. Diſtinctiones domiciliorum in cœlo agnoſco, ſed quæ apud alios ſcriptores plena ſunt ineptiarum, ne ſupellectile ſua carere Planetarum domos quis credat. Primam domum vocant vitæ, ſecundam facultatum & ſubſtantiæ, etiam portam inferni, tertiam cadentem, manſionem fratrum, quartam profundum cœli, angu-

Digitized by Google

angulum terræ, quintam gaudium Veneris (opinor in hac illam cum Marte deprehensam,) sextam gaudium Martis &c. ultimam vocant cacodæmona, à quibus, qua est prudentia Autor, sedulo cavebit. Peculiares horum domiciliorum in hominem virtutes quotidiana experientia non minus falsas esse evincit, quam veras. Ajunt Solem in Ariete facere communiter homines subrufos, ventre exili, amicos habentes plurimos, idque in primis decem gradibus. At à decimo gradu ad vicesimum (diceres Solis vestigia pressisse) facere nigros, iracundos, suspiciosos, fraudulentos, septos inimicis pluribus, qui hunc venantur (ita loqui amant) ad mortem: à vigesimo porrò ad trigesimum rufos, croceo permixtos colore, solitarios, meditantes insidias. Pari modo de ceteris signis pronunciant. Et ut exemplum Iatro-Mathematices ipsorum adferam, ajunt: Quibus stranguria molesta est frequenter, vel calculus, hi communiter nati sunt Sole in Ariete, vel Geminis existente. Qui in piscibus nati sunt, iis venena metuenda, & torsiones ventris. Saturnus in Cancro genitalium partium dolorem facit. & similia plura, ob quæ rideat Democritus, vel ad ilium rupturam. Quæstio ista, An vita hominis possit prolongari, mordebit Fati patronos, qui Dei de vita hominum ac morte temporali decretum absolutum esse volunt, omnisque conditionis expers. Memini me cum puer essem, præclara multa super hac re legisse in opere quodam Theologico Ægidii

Digitized by Google

Hunnii. Ne prolixior sim; in argumento nobili, at difficili ac abstruso versabitur prodromi autor. quem, quisquis sit, virum judico variæ eruditionis, & ἐν κύκλῳ παιδείας [*in toto scientiarum ambitu*] versatissimum. Nec dubito, quin eam in hoc opere adhibiturus sit prudentiam, ne inveniant imperitia ac malevolentia, quod arrodant, aut naso suspendant. Alias hæc Philosophiæ pars, nisi sobriè & religiosè tractetur, obtrectationi obnoxia, ac cavillis oportuna est quam maximè. Dixi sententiam Vir amplissime, sed non ex tripode. Ab ea provocabis, cum voles, vel ad infimos Quiritium. Vale & παῤῥησιαστικῶς [*libere*] scribentem apud prodromi autorem excusa, qua potes. Ipsi. Non. Sextil. 1630.

148.

IACOBO PETITIO.

REsponsum ad literas tuas distuli, Petiti suavissime, in id tempus, quo in urbem vestram confluere solent convivæ annales, & Bibulorum (illustris ea Romanorum familia fuit) plena sunt omnia. Æquum putabam, ut dum me quoque inter illos desideras, aliquod mei apud te pignus deponerem, ne prorsus absens essem. Quo minus veniam duo in causa sunt. Odi mensas vestras ob longos accubitus & sedentarias moras, quæ meridiem vesperæ, tenebras luci annexere solent. Et dum in orbem bibitis, Principumque saluti impensè studetis, vereor ne affligam meam. Est & aliud: uxori propinquitas partus adest,

Digitized by Google

adeſt, ut ille apud Plautum loquitur. Iam Lucinam invocat, quo rerum ſtatu nefas fuerit Amphitryonem peregrinari. Vos interim ſodales curas pellite, & natis in uſum lætitiæ ſcyphis fruamini, ac cubito remanete preſto. Non jam ad portas Hannibal eſt, qui gaudium veſtrum turbet, non jam finibus inſtat vaſtator Cuculus, non caſtrorum metatoribus, non tot ephoris opus eſt, qui caveant, ne quid Respublica detrimenti patiatur. Veſtra eſt Amersfortia, in gratiam vobiscum rediit Iſala, alia rerum omnium facies eſt, ex atratis candidi facti eſtis, ex timidis audaces, ex feminis viri. Accinam vobis cum Horatio:

Nunc eſt bibendum, nunc pede libero
Pulſanda tellus, nunc ſaliaribus
Ornare pulvinar Deorum
Tempus erit dapibus, ſodales.
Antehac nefas depromere Cæcubum
Celles avitis, dum Capitolio
Dux ille dementes ruinas,
Funus & imperio parabat.

Scripſit Athenæus libros δειπνο-Sophiſtarum. Vos, ne Sophiſticam agatis, bona fide, hoc eſt, amyſtide bibite. Aliud hoc tempore vobis præceptum non dabo. Nec enim jam Socratici eſtis, aut Nazaræi, ſed Pinarii ac Potitii. Munus tuum jam penè inter dentes periit. Nos datori gratias habemus maximas, eumque hortamur, ut pergat benefaciendo Deos imitari. Viduam, uti juſſiſti, in partem muneris admiſimus. Addam

Digitized by Google

aliquid è Philosophia petitum. Dum fervet Sirius, apparet in caseolis tuis documentum traditionis Aristotelicæ, ex putri materia generari animalia. Ex parvis latebris & fissuris prodire vidi ingentem exercitum. Dixisses locustas esse, sed alarum expertes. Ego magnam horum fratrum lacteorum turbam cultello compressi, & vivos, semianimes, & spirantes epulas in viscera recondidi. Nisi inopinatum quid interveniat, statui vos invisere, ubi canis latrare desierit. Vale. 10 Aug. 1630.

149.

GODEFRIDO DE HAESTRECHT.

Nobilissime Haestrechti,

Cum non habeam, quod scribam, oculis tuis auribusque dignum, hoc unum scribam, me benè valere, & memoriam tui noctu ac interdiu animo circumferre. Si nimium dixisse putas, crede poëtam scribere, cujus generis homines amant hyperbolas, & exaggerationes. Hesterna die, cum pro Curia ambularem, ubi falsa veris miscere solent non jurati testes, intellexi Principem Auriacum hac hebdomade Haga discessurum, partim ut Principem uxorem, valetudinariam ex nupero abortu, ad Brabantiæ confinia deducat; partim, ut quæ nova castella condere cœperunt Sylvæducenses, coram lustret. Obiit hac septimana filiola natu minima, Charlotta, ut jam familiæ spem omnem sustentet filius & filia. Quam ego Principibus tantis sum felicior,

Digitized by Google

licior, quam diis conjugalibus gratior, cui jam octavam prolem peperit uxor, & quidem ejus sexus, quem ad sceptra admittit Britannia. Non habuit plures animas orbis terrarum, quo tempore relliquias humani generis Arca servabat. Sed quid jocor? Tempus est ordiri gravem sermonem, regni de rebus. Legatus Regis M. Britanniæ ante paucos dies in concessu Ordinum verba fecit, exposuitque: regem suum cum Hispaniarum rege pacem fecisse, nosque hortari serio, uti ipsius exemplo Induciarum consiliis aures commodemus. Accepi minus gratam fuisse hanc orationem nostrorum plerisque, iis nempe, qui sagum togæ præferunt. Mantua stratagemate à Cæsareanis capta, uti Gallorum animos fregit, ita Venetis necessitatem imposuit, omnem belli vim Veronam Brescianque convertendi. Gallus superatis Padi fontibus recta ad castra Spinolæ properare dicitur. In acie novaculæ res jam posita videtur, & inclinationem propediem facturus est Mavors. Suecus in Pomerania successus suos urget, ac cedentibus instat. Adhuc Hagæ moratur Neoburgicus, profusæ, ut ajunt, in multos liberalitatis. Fortè proxima hebdomade Ultrajectum excurram. Num te illic videbo? Fac sciam. Vale. 20 Aug. 1630.

150.

IACOBO VANDER STRATEN.

Amplissime, doctissimeque vir,

Poëmata mea, quæ jam pridem sparsim edita

Digitized by Google

edita vidisti, in fasciculum collecta mitto. Ita Deos imitor, Triptolemum, Cererem, Floram, qui sparsas fruges herbasque conservare amant. Accessere tamen & quædam hactenus inedita. Libellus mole est exiguus, sed argumento magnus, qui præterquam quod à sacris ordiatur, juxta illud veterum, Ab Iove principium, etiam patriæ nostræ triumphos, & celebratas toto orbe victorias exequitur. Illa dum feliciter pugnat, dum fines suos ultrà Oceanum promovet, dum Hispanicæ potentiæ nervos incidit, sequor encomiastes, totumque Helicona cieo, Musisque facundiam suam extorqueo, ne sine vate ac virtutum tantarum teste pugnasse Batavos credat posteritas. Sed quam vellem hoc studiorum genere me expeditum. Videor jam porrò publico debere similes πανηγύρεις, [*laudum celebrationes solemnes*,] & qui sæpius in patriam officiosus fui, obstrictus quasi judicor idem factitare in posterum. Tu, mi Stratene, mecum opta, uti Inducias aliquando celebrare liceat, neglectis classicis ac belli furoribus. Eas nos sperare jubet Legatus Regis Britannorum, cujus orationem in consessu Ordinum super ea re habitam puto jam te vidisse. Vrget Rex brevem & categoricam responsionem. Dux Neoburgicus Hagæ adhuc moratur. Transiit hac Princeps Auriaca Aquisgranum ad fontes Spadanos profectura. Vehitur lectica à mulis Italorum & Hispanorum more. Solatia valetudinis à balneis & fontibus sperat, ne sæpius abortiat.

Digitized by Google

tiat. Tanti interest proletarios esse Principes, hoc est plurium liberorum patres, quo pluribus munimentis (ut Taciti verbis utar) insistant. Domi nostræ per Dei gratiam omnia salva. Vale. 28 Aug. 1630.

151.

IACOBO PETITIO.

Amplissime, doctissimeque vir,

Cum à vobis discederem, commodum Amstelodamum veni, ut funus reverendi viri D. A. Borrii una prosequerer, quem ingenti pullatorum syrmate extulimus. Mirabar ego tantam in illa urbe reperiri hominum ἐπιεικῶν [*æqui bonique amatorum*] frequentiam. Inter primos ego nigrum agmen duxi. Is scil. homini, extero honor debebatur. Ponè me sequebatur facultatis dignitate prior Episcopius, aliique ejusdem cum defuncto ordinis. Omnia placidè absque turbis transacta. Credebam & hoc esse aliquod libertatis ejus, quam speramus, documentum. Nec enim ante & tuto vivere, & tuto mori licuit Remonstrantibus. Exempla non desunt eorum, qui mortui pœnas dederunt, à quorum cadaveribus ferale lucrum reportarunt avidæ Prætorum manus. Gratulamur nos & seculo, quod mitescere jam incipit, & illi, qui jam excessit, viro, quem post labores jam manet suum otium, post pericula securitas, post exilia cœlestis patriæ non impedita fruitio. Senem illum compellavi πολλῶν ἀνδρῶν ἄξιον ἄνδρα. [*unum multis*

Digitized by Google

multis aliis æquiparandum.] videtur mihi inverſo naturæ ordine à ſenio vires capere, & veluti juveneſcere. Vidi quoque publica Pacificæ gentis delubra, minasque Murorum ingentes, & ſpem ſurgentis Iuli, ut ad Maroneum illud alludam. Faxit Deus ne aliquando ferocientes Danai exclament: convellimus altis Sedibus, impulimusque. Nummos illos triumphales expectat ſibi mitti Overbeecquius. Petit etiam unum ſibi cudi rector Screvelius. Precium tibi reddi curabimus. Quæ mihi humanitatis officia præſtitiſti, cum iſtic eſſem, memori mente circunfero. Rependam, ubi potero. Domino de Haeſtrecht libellum hunc poëmatum meorum velim tradas, ea lege, uti eundem tradat egregiæ virgini Mariæ Schuurmans. Cum apud vos eſſem, ipſe decreveram illi exemplar de manu in manum tradere, ſed quod illi deſtinaveram, ceſſit Nobil. Plooſio. Vale vir chariſſime, cum uxore ac liberis. Fratres Borrios ſaluta, nec non ocreatum meum amicum, quem jam nominavi. Forum Valckenburgicum jam fervere incipit equis & equabus non unius generis. 10 Sept. 1630.

152.

CORNELIO VANDER MYLE.

Nobiliſſime Myli,

Quæ res Italis poëtis bilem jam pridem movit, etiam mihi ſtomachum concitavit. Perſtrinxi nebulonem iſtum verſibus Lycambeis, ne

Digitized by Google

ne inultum quoque per me sinerem magnum Petrarcham. Non potuit moderatæ orationi locus esse in tam enormi scelere. Monachum istum, quà Monachum exagitare nolui, ne iniquius in totum ordinem destomachatus fuisse videar, Vnius ob noxam. Si N. T. ita visum, per me licet, uti videant Veneti, etiam apud nos charum esse istius poëtæ nomen. Librum istum Monumentorum antehac mihi non visum evolvi cum voluptate, qui maximorum mihi virorum memoriam, & eximiæ multorum doctrinæ, virtutumque non vulgarium exempla ob oculos posuit. Quos enim vivos in scriptis venerati sumus, eorum mortuorum quoque recordatione non leviter afficimur. Monet quoque sepulchrorum conspectus, utcunque magnarum animarum domicilia claudant urnæ, nominis tamen claritate illas Libitinam effugere. Aveo scire, per quem libellus meus Duci Neoburgico exhibitus sit. Vbi reversus fuerit, fortè expediet memoriam refricari. Si Iesuitarum hac in parte audit consilia, nihil est quod sperem. Sciunt & mihi fœnum esse in cornu. Non favent nisi suæ religionis hominibus, malo more, qui literarum studia ex partium studiis æstimat. Vale vir summe, cum uxore ac familia omni. Nos per Dei gratiam valemus rectè. Lugd. Bat. 22 Sept. 1630.

153. THEO-

Digitized by Google

153.

THEODORO GRAVIO.

Charissime Gravi,

Is qui hasce literas tibi tradet, vir est non vulgari mihi junctus necessitudine, vitæ adhæc famæque illibatæ. Artem Notariatus hic superioribus annis feliciter satis exercuit. Posteà edictorum in causa religionis rigor ipsum cum aliis in Sueciam propulit, unde jam ad suos reversus sedem domiciliumque in urbe vestra figere statuit, eandemque Notariatus artem ibidem exercere. Verum cum ad hanc rem consensu ac suffragatione Amplis. Consulum opus sit, rogo obsecroque uti virum hunc parenti tuo de meliore nota commendare velis, quo voti sui compos fieri possit. Ego hoc in reliquis tuis erga me meritis reponam. Proles nuper mihi nata in ipso vitæ limine obiit. Ingressa est theatrum vitæ hujus, ut exiret. Vxor hanc mortalitatis vicem ægerrimè fert, affectu magis ac matrum στοργῇ [*naturali amore*] mota, quam ratione. Ne enim improlis sit, reliqui superstites abundè cavent. Frater tuus rectè valet, fringillis capiendis intentissimus. Cum nuper Amstelodami essem, cum parente tuo Woerdam concesseras. Matris tuæ matronæ honestissimæ, ac omnium vestrum studiosissimæ, obitum doleo. Tu dole, sed ita ut Christianæ sapientiæ locum des. Non periit, uti vulgari errore loqui solemus, sed abiit, transiitque in loca lætiora. Hoc cum

Digitized by Google

cum cogitas, apud beatos beatam agere, dolori tuo quis locus? Vna & vera cogitatio obversetur assidue, commune hoc mori esse, æquè ac illud nasci. Mens quæ ad ista assurgit, ad luctum non demittitur, & scit mortem humano generi non tam supplicium esse, quam tributum. Vale & parentem saluta. 28 Sept. 1630.

154.

CORNELIO VANDER MYLE.

Nobilissime Myli,

Catechesin istam Pontificiam propediem videbis verè Catholicam, & orthodoxam. Vbi otii plusculum nactus fuero, aggrediar metamorphosin, fortè non inutili labore. Sylvæducenses operosis & ad ostentationem comparatis disputationibus, qui converti posse putant, frustrà sunt. Hoc agendum, ut ipsis constet, in multis nos fidei articulis cum ipsis convenire, idem cum ipsis Apostolicum Symbolum, eademque trium primorum seculorum symbola confiteri. Adhæc Ecclesiæ priscæ ritus quosdam non inutiles, ordinis ac εὐσχημοσύνης [*decori*] ergo, non aspernari: aliquam quoque Pontificum Romanorum supra alios Episcopos esse dignitatis, jure humano, prærogativam: Veterem Ecclesiam Romanam rectè sensisse & orthodoxam fuisse, at sparsa esse in agro Domini dormientibus pastoribus zizania: & labentibus cum imperio seculis plus sibi vindicasse Pontifices, pronis etiam Ecclesiasticorum, quæ humana

Digitized by Google

est imbecillitas, in ambitionem & avaritiam animis. His & similibus præparandi, quos ad saniorem mentem revocatos cupimus. Calidis illorum consiliis qui in Pontificem tanquam ipsissimum Antichristum illis in locis debacchantur, Pontificios omnes à spe salutis æternæ excluſissimos clamant, nihil proficitur. Nec enim istiusmodi via instituit Paulus, qui factus est omnibus omnia, ut aliquos Christo lucri faceret. Sed de his alias latius. Versiculos D. Hugenii acutos & plenos genii, uti omnia ejus, cum voluptate legi. Videbunt Veneti non infeliciter hic pangi versus, nec Petrarchæ etiam hic deesse suos cultores. Cum nuperrime Vltrajecti essem, tradidit mihi D. Buchelius I. C. vir antiquitatum & secretorum Bataviæ scrutator studioſissimus hanc schedulam, ex qua videbis, quid in mea causa apud Principem facto opus sit. Ea est familiæ meæ ratio, ut istiusmodi solatio quam maximè egeat. Vale vir Nobiliſſime ac præstantissime, ac litterarum cultores ac Academiæ hujus veterem hospitem favore tuo prosequi perge. Lugd. Bat. 5 Oct. 1630.

155.

IACOBO VANDER STRATEN.

NEc tu meis, nec ego tuis votis obsecutus sum, Stratene doctiſſime. Veniam ergo petimus damusque vicissim. Vbi res meæ sinent, superveniam inopinanti. Væ agris, væ cuniculis, ubi venator ego pavidis animalibus à tergo

Digitized by Google

tergo institero. De litteris tuis ne sis sollicitus, probe eæ curatæ sunt. Negligentiæ meæ imputa, quod non respondérim citius. Iam pudor esset non rescribere, ubi munusculis tuis me prævenis. Ego bulbos istos magnifacio, ob superba nomina Helvetiorum & Coronarum. Facile illi inter reliquos meos flores minorum gentium excellent, & tua liberalitate aliquis quoque. Floræ cultor videbor iis, qui hanc insaniendi artem magnis sumtibus profitentur. Quid supereſt, nisi ut iis precer propitiam hyemem & minus novercantem terram, penes quam est vel sævire in barbaros hos flores, vel parcere exteris. Memini me aliquando de iis scripsisse:

— hic lumina pascit
Tulparum venerandus honos, precisumque coloris
Mirantur tam grande sui. stat margine quædam
Discolor, hæc varia folium vibice flagellat.
Sanguineis hæc tincta notis, hæc cærula fundo est,
Hæc umbone rubet. fulvumque intermicat illis,
Illi purpureum. totos facundia fontes
Laxat, & hac ipsa Batavus jam cernit in herba
Stultitiæ documenta suæ. suspenditur auro
Immitis spolium Boreæ, brumæque rigentis
Opprobrium, & levibus pignus violabile causis.

Vnum hoc me anxium habet, quibus officiis nomina mea apud te expungam. Verum, ut ut facultas impræsentiarum remunerandi desit, non deest tamen constans & perpetua voluntas tibi hoc pectus fide, beneficentia, obsequio probandi. Vale vir ornatissimè, & literas cum

Digitized by Google

noſtris ſæpiusculè commuta. Vale. 17 Octob. 1630.

156.

IOHANNI UYTENBOGARDO.

R *Everende Vir*,

Sparſus hic fuit per urbem noſtram rumor, D. Polyandrum nonnullis intimæ admiſſionis (uti putabat) amicis dixiſſe: *Quicquid mollius leniuſque ſcriptum reperitur in ſpecimine, à ſe profectum eſſe, reliqua aſperiora collegarum eſſe.* Hoc an verum, an falſum ſit, non attinet dicere. Illud certum, collegis ejus hoc ipſum innotuiſſe, qui haſce ejus artes acerbius inclementiusque perſtrinxere, quaſi hoc ageret, ut ſcripti iſtius invidiam à ſe in collegas ſuos derivaret, & Remonſtrantium gratiam aucuparetur. Rogavit itaque me obnixe, per D. Voſſium internuncium, vobis uti ſcriberem, ne, ſi ſorte hæc res ad aures veſtras pervenerit, ejus in reſponſo veſtro meminiſſe velitis, ne collegarum ſuorum invidiæ ac odiis, quorum jam ſemina jacta, miſer objiciatur. *Negat ſe ita dixiſſe.* Nec quid momenti ad cauſam iſtam, quam agitis, adferre poſſint vanæ iſtæ voces, video. Putat D. Voſſius recte vos facturos, ſi hac parte ipſi parcatis. In ceteris nihil præſcribit. Noſtis Pamphili mores indolemque. Videtur miteſcere, & magnatum conſiliis nonnihil attendere. Hoc ſcio, non bene ipſi cum tetrico ac ferreo profeſſore convenire. Velim, niſi moleſtum fuerit, *tribus*

Digitized by Google

te verbis reſcribere, an quid inaudiveris de Polyandrico iſto malagmate, & an metuere debeat, ut ejus mentionem ſitis facturi in reſponſo veſtro. Me judice, digna non ſunt, quæ in ſerio ſcripto locum inveniant. Cum legiſſem Specimen, vix prurientem calamum continere potui, quin margines harum pagellarum his lineis extemporaneis conſpurcarem. Vtinam tutiore loco viverem. Forte & hoc propediem dabitur. En, in ipſo limine ſpeciminis impingunt, quod inauſpicatum. Quam improbe aut imperite detorquent illa verba *hoc Socinianum, hoc Pelagianum eſt*, & plura iſtiusmodi. Vale Vir ampliſſ. & doctiſſime. Lugd. Bat. Kal. Decemb. 1630.

Specimen paucis hic placet plures exſibilant & merito.

157.

EIDEM.

R *Everende vir, & Frater in Ieſu Chriſto obſervande,*

Objecerant inter alia Pamphilo Collegæ ſui, procul dubio futurum, uti à Remonſtrantibus publico ſcripto ipſis exprobrarentur ea ipſa, quæ hic illic, ut lenior videretur, effutiverat. Addiderat tetricus ille, *Tu hoc dixiſti Barlæo, quem ſcis eſſe hoſtem Eccleſiæ, qui illud ipſum ad Uytenbogardum & Epiſcopium perſcripturus eſt.* Quibus vocibus perculſus ille pene ſupplex petiit, uti apud vos intercederem, quanquam ipſi aſſeveraſſem, nihil me ejus rei ad vos ſcripſiſſe. Iam lectis

Digitized by Google

tuis litteris, per D. Voſſium ipſi hunc metum abſterſi. Tragœdiam hanc ipſi concitavit Ariſtarchi autor, qui Walæo rem omnem aperuerat. *Prodromum tuum avidiſſimis oculis hauſi, ſed autorem, datoremque, licet abſentem, animo arctius complexus ſui. Vt ut ætas, nondum effœta eſt in te priſtina dicendi vis, & fluit, uti olim, facundiæ tuæ torrens minime lutulentus. Non facile Septuagenarium te* (in proverbio eſt Sexagenarium) *de ponte dejicient* IIII *viri. Etiam illud proverbio apud Romanos jactari ſolebat: Salva res eſt, ſaltat ſenex. Liceat & nobis dicere: Salva res eſt, ſcribit ſenex.* Ille cujus Theologicum σφάλμα [*erratum*] nuper paxillo ſuſpendiſtis, ἐν χείλεσι δάκνει. [*labia mordet.*] Primo reſponſum ipſe minabatur, poſtea alios ut reſponderent incitavit; jam audio ipſum Satyram velle reponere. Quod ſi fecerit, forte alicui grave erit legere illa Satyrici:

Semper ego auditor tantum, nunquamne reponam,
Vexatus toties rauci Theſeide Codri? &c.

Si ſapiet, ſilentio ſe ulciſcetur. Quia petis, mitto reliqua quæ in margines inter legendum conjeceram. Quid dicam, in illo libello, ut Plauti verbis utar, *Specimen ſpecitur, ignorantiæ, maledicentiæ, verſutiæ, & ægri in Remonſtrantes animi.* Quibus animis prodromum veſtrum exceperint, nondum intelligere potui. Locum illum in Eubulo Teilingii de rebus ad ſalutem ſcitu neceſſariis, velim vos propius conſulere. Vale Vir doctiſſime & chariſſime. 6 Dec. 1630.

158. EI-

Digitized by Google

158.

EIDEM.

Reverende vir,

Professores nostri lecto Prodromo gratulantur sibi super rotunda vestra quoad Trinitatis dogma confessione, sperantque futurum, uti laudabili ac felici successu hic litterarius conflictus decurrat. Petitioni quoque vestræ seriæ ac æquissimæ obsequi non gravabuntur. Iam sudant ut necessitatem istius dogmatis probent. Fabricant arietes, quibus Socinianos de cœlo deturbent. Vnus hic erit: Qui credit in Christum salvabitur, qui non credit condemnabitur. *At credere in Christum est credere in verum Deum, secundum vos,* qui Christum verum & coæternum Deum agnoscitis. Ergo hoc negantes, non salvabuntur, quia non credunt. Sed facile se expediet Arrianus, qui verum Deum Christum agnoscit, licet non coæternum. Socinianus forte dicet, Dei vocem varie sumi. Remonstrans, eum qui in Christum credit, qui verus Deus est, salvandum, non autem, eum qui credit in Christum *quatenus* est Deus coæternus, coessentialis, &c. quasi necessitatis salvandi fundamentum sit in illis restrictionibus Deitatis. Alter hic erit: *Maledictus qui confidit in homine.* Sociniani confidunt in homine. Ergo. Sed dicent, eum, qui confidit in Christo confidere in Patre, & sic in Deo terminari fidem. Negabunt etiam Christum esse ψιλὸν ἄνθρωπον.

Digitized by Google

[*nudum hominem.*] Habent enim & suos Deitatis modos. Ex his de reliquis judicate. Procul dubio & illum locum adducent Ioh. 17. Hæc est vita æterna, &c. responsio notissima est. Deliberant IIII viri an jamjam velint edere hunc Epidromum suum, an expectare donec prodierit vestra responsio. Hoc posterius suadet Polyander, in prius inclinant tres reliqui. Valde exagitabunt illud vestrum de Athanasiani Symboli autoritate, aut potius superbo ac præfidenti exordio judicium, quod in Apologia habetur. Velim D. Episcopium legere præfationem Erasmi in Hilarium. Extat in Volumine Epistolarum. Est ibi locus de minus necessariis circa Trinitatem controversiis. Velim etiam vos inspicere responsum Walæi ad Ioh. Arnoldi Enchæresin Molinianæ Anatomes, pagina 308. Illic Pelagianismi crimine infamat verba Confessionis Gallicæ. Putat Corvinum citare verba Confessionis Belgicæ, at Gallicæ sunt Confessionis. Hunc, in finem hoc moneo, ut perstringatur petulantia illa & temeritas, qua quicquid minus arridet Pelagianismi aut Socinianismi odiosis vocibus traducunt. Error est istius Imperatoris Tetrici crassus. Debebat in vestro responso poni libri pagina primâ versâ, ut solus nudusque splendeat in oculis lectoris, cui sæpe non vacat omnia perlegere. Advertite non videor hoc frustra monere. Vale Vir prudentissime & Episcopium saluta, quem gaudeo tandem incaluisse. Qui dierum curas partitur cum Professori-

Digitized by Google

fesloribus, discat noctes partiri cum conjuge. Illi meis verbis gratulare feras Nuptias. Raptim, 19 Dec. 1630.

159.

CORNELIO VANDER MYLE.

Nobilissime Myli,

Redit ad te Catechismus iste Catholico-Romanus, jam factus Catholico-Reformatus. Planè alium vultum induit, & voces istas dedidicit, quibus loqui amat Curia Romana. Animo meo obsecutus fui, & libens hunc laborem exantlavi. Diu enim me momordit ista Catechesis Excalviniſata, cui hoc qualecunque vindictæ genus jure Talionis debui. Sic ars deluditur arte. Ipsi præiverunt. Non exiguo labore mihi steterunt istæ interpolationes. Addidi, ne sine ratione posita mutasse videar, loca Scripturæ, Conciliorum, Patrum, quæ eo quo potui judicio selegi. Vtinam fructum hinc aliquem percipiant Sylvæducenses, aliique, quibus placent impensius decreta aulæ Papalis. Hoc velim primo, libellum hunc ita mutatum attentius perlegere D. Uytenbogardum, cui effæta ætate mens integra vegetaque. ut si quid oculos meos effugerit, id annotet corrigatque. Ab acerbis responsionibus abstinui. Largitus fui, quicquid salva veritate largiri nos fas fuit. Deinde si viro isti non placeat labor, velim ad Concionatores Sylvæducenses transmitti, judiciumque illorum rogari seriò. Nam nisi his probetur, sine fructu

Digitized by Google

foret omne quod agitur. Illud cavendum, ut de autore pauciſſimis conſtet, aut potius nullis, ſaltem non Contra-Remonſtrantibus. Suſpectum enim ipſis eſt, quicquid à noſtri ordinis hominibus proficiſcitur. Principis rogatu hoc negotium Paſtoribus commendari poſſet, aut aliis primoribus ejus urbis. At hoc omne prudentiæ tuæ prorſus committo. Vale Vir nobiliſſ. & mei ſtudioſiſſime, uxorem, filios, filiasque meis verbis ſaluta. 21 Dec. 1630.

Potuiſſent ex mente Remonſtrantium hic illic quædam accuratius dicta fuiſſe. Sed nolui hic agere noſtram cauſam, ſed Reformatorum potius adverſus Pontificios. Non ſine cauſa hoc moneo.

160.

SCHOLARCHIS
Scholæ Amſtelodamenſis.

VT Petrum Poppium A. A. veſtris commendem, rationum momenta operoſè non conquiram. Nec enim aut Dictaturam, aut Faſces, aut Quæſturam appetit, ſed Grammatiſtæ munus minimè invidendum. Ad eam provinciam non ſolum idoneum arbitror, ut meliore loco dignum putem. Iam enim ante Scholarum curriculum emenſus ad Academiam tranſiit, à qua tamen, morte optimi parentis, & acciſis matris rebus, pedem retrò ferre coactus fuit. Modeſtiam & morum ſuavitatem ſpirat vultus. Pietatis ſtudia vel invito extorquebunt Eduardi Poppii patris pia recordatio, à quo viro vel ipſa pietas

Digitized by Google

pietas præcepta capere potuit ſeverius vivendi. Sanè è libris ejus poſthumis ſeculum hoc noſtrum exulceratiſſimum diſcit, Deo ac Ieſu Chriſto conſcientiam ac mentem ſine fuco debere. Quare, ut virum hunc promoveatis, à propriis quoque virtutibus inſtructum, rogo. Omnino confido, illum Scholæ veſtræ uſui futurum. Quod Deus ille donet, quo teſte hæc ſcripſi. Valete. Lugd. Bat. 1630.

161.

D. OSDORPIO.

Doctiſſime Vir,

Commendavi amicorum rogatu Ampliſſimis Scholæ veſtræ Curatoribus Petrum Poppium, uti locus aliquis illi inter tuos ὑπηρέτας [*ſubditos tibi præceptores*] eſſe poſſit. Nec gravaberis opinor tu ſuffragatione tua noſtris verbis pondus addere. Collegam habebis moribus facillimis, indole optima, & qui filius τῶτε πατρὸς ἔυχεται εἶναι. [*illius patris gloriatur eſſe.*] Scientiæ abunde habet ad Grammaticas lectiones; ætatem quam revereatur pueritia prudentiam, qua moderetur impoſitos diſcipulorum mores. Nec dubito, quin ex eorum ſit futurus ordine, qui officii ſui eſſe ſciunt leges accipere, non ferre. Inaudivi cum malignis iſtic quorundam ingeniis te luctari. Sed hæc ad animum noli revocare. Levius fiet patientia, quicquid indignatione corrigi nequit, aut ſi illa fruſtra ſit, non deërit tibi magiſtratus ſeverius imperium,

Digitized by Google

perium, quo tumor ille pædagogicus deprimi possit. Vale. Prid. Cal. Ian. 1630.

162.

ARNOLDO BUCHELIO.

Librum istum Cæsaris Vannini, quo me beasti, doctissime Bucheli, per otium à capite ad calcem perlegi, idque eo avidius, quod magnum aliquid polliceri videretur Inscriptio, Amphitheatri Divino-magici, Christiano-physici, & Astrologo-catholici. Quam hæc sunt sesquipedalia & veluti torno elaborata nomina. Inde autoris nomen, qui Iulium Cæsarem appellatione refert, magna expectatione animum meum erexit. Rem quod attinet, ita judico, illum felicius cordatiusque philosophari, quam res sacras asserere. Probanda sibi sumit religionis κεφάλαια [*capita*] sed non iis semper argumentis, quibus ea fulciri fas est. Frigida probatio, taciturnæ improbationi vicinior est. Hoc etiam agit, ut paradoxa subinde adstruat, sed addita salutari clausula, *nisi Ecclesia Romana secus statuat.* Hanc toties aggerit, tamque sollicitè, ut suopte judicio videri possit heterodoxa adstruere. Meticulosæ illæ limitationes & cautelæ animi signa sunt sibi male conscii, & subdolè prævaricantis. Turpiter passim adulatur Loyolitis, quos veneratur, non quod diligat, sed timeat. Nec deest tamen quod in scriptore isto probem, dictionis perspicuitatem, orationis facilitatem, & rerum Philosophicarum peritiam non vul-

Digitized by Google

vulgarem. Ex fide dignis autoribus habeo, illum ipsum Vanninum Tholosæ miserè periisse & atheismi crimine ad flammas damnatum. Summa hæc istorum hominum imprudentia est, quod tales cum sint, sibi solis non sint. Virus enim suum disseminando nulli utiles esse possunt, sibi verò certissimam perniciem creant pestiferam doctrinam propagando. Amstelodamenses Scholam illustrem erigere jam serió parant, eo consilio, ut dimissos scholis suis trivialibus juvenes Philosophiæ literarumque studiis instrui curent, nec necesse habeant cruda studia & annos consilii expertes in Academiam protrudere. Meam operam in profitenda Philosophia efflagitarunt. Nec denegavi. Quid faciam, mi Bucheli, excarnificor hic continuis prælectionibus, exigui lucri spe, quo tamen hactenus familiam solatus fui. Mores insuper studiosorum & convictorum usque adeò in pejus degenerant, ut non ad scholas sed tabernas ac popinas missi videantur. Ita, quo fata trahunt non invitus sequor. Obsequor Deo vocanti. Iuventutem pro modulo virium præceptis institutisque Philosophiæ ad capessendam Iurisprudentiam, Medicinam, Theologiam præformabo. Reliqua Θεῷ ἐν γόνασι [*Dei in arbitrio*] posita putabo. Vtrum institutum meum sis probaturus, nescio. Non improbant, quotquot de rerum nearum statu propius edocti sunt. Hæc celare te nolui, utpote affectu, consilio, ope mihi antehac probatum. Vale vir humanissime, & qui novus ab integro nascitur annus,

Digitized by Google

annus, tibi, uxori, familiæque omni feliciter decurrat, benedicente Eo, Cujus nativitatis annum celebramus supra millesimum, sexcentesimum trigesimum primum. Raptim, die qui inter nascentem & denascentem annum medius est.

163.
CORNELIO VANDER MYLE.

Nobilissime Myli,

Satyram istam Tiberinam, oppositam Satyræ, Dii Vestram Fidem, filius tuus legendam mihi tradidit. Hui, quantum inter illas discrimen. Si ullibi, etiam hîc verum illud proverbium: Aliter sues, aliter catuli olent. Indigna est illa posterior, in quam quis seriò incurrat. Iudicium dixi pauculis verficulis, quos si ita N. T. visum, Ill. Molino mitte. Iam aliud exponam, majoris momenti. Non ignorat N. T. Senatum Amstelodamensem de erigenda Illustri schola, decrevisse, quo præstructi magis, ac Philosophiæ litterarumque studiis imbuti adolescentes, ad Academiam se conferant. Operam meam in profitendâ Philosophiâ ipsi addixi, uti & in prælegendis historiis D. Vossius. Mihi adscriptum futuri laboris præmium, mille quingenti floreni annui, præter domum. D. Vossio, qui hic stipendio gaudet mille sexcentorum florenorum & insuper emolumentis ducentorum florenorum, auctum stipendium ad bis mille & quingentos florenos, præter domum. Sed metuo, ne D. Vossio litem moveant super hac vocatione D. D. Cura-

Digitized by Google

Curatores, quo titulo nescio. Sui juris est, nec tam luculentum stipendium hîc expectare habet. Nec sine exemplo est, professorem ex vicino loco aureo hamo invitari. Ingrediemur urbem diversis animorum studiis mirè fluctuantem. Sed non ero unguis, ut ajunt, in ulcere. Placent pacis ac concordiæ studia, nulli ero gravis, intra Philosophiæ cancellos stabo, nec irritabo crabrones. Faxit Deus Opt. Max. ut hæc res nobis, Reip. & Ecclesiæ benè cedat. Cras, Deo volente, Amstelodamum cum uxore proficiscar, ut domum habitationi designatam perlustrem, reversurus die lunæ proximo. Ibit & una Vossius. Ita quo fata trahunt retrahuntque sequendum. In Calendas Maji migrandum erit, nisi quid cadat inter calicem supremaque labra. Scripsit mihi tribus verbis Ex-Hortensius sibi placuisse Catholicum-Reformatum. De filio tuo tecum deliberabo. Statui enim, ubi quid ocii nactus fuero, Hagam excurrere. Hæc obiter. Vale vir nobilissime ac præstantissime, nec me hac fortunâ ita inebriatum puta, ut si quod alicunde adjiciatur rebus meis Corollarium, illud respuendum credam. Vxori filiis ac filiabus plurimam salutem denuncio, quos omnes ac Te præsertim vir amplissime hisce novi anni auspiciis Deo tutelari votis precibusque commodo. Raptim è Musæo 9 Ian. 1631.

In Anti-Satyram Tiberinam.

Litigat Adriacis Tiberis contrarius undis,
Et Satyra dignam seque suosque negat.

Nec

Digitized by Google

Nec ſolam ſe Roma nocens peccare fatetur.
Crimina non hæc ſunt noſtra, ſed orbis, ait.
Ipſe Theoninum dentem dum exaſperat autor,
Nec ſatis obſcurus, nec ſatis acer, hebet.
Pagina laxa fluit. nec ſat mihi fellis in illa eſt.
Hoc video vati deeſſe, fricare nequit.
Degenerat mala Roma iterum quæ maſcula diſcit
Crimina, jam Satyras ſcribere dedidicit.

C. B.

164.
IOH. UYTENBOGARDO.

Everende vir,

Omnia in ſchedula placent, tum diſcurſus ille de ſpirantibus & non ſpirantibus, tum libelli colophon. erudite, appoſite, ac non ſine ſale aliquo autori ſuas artes reponis. Quare noli diutius multorum expectationem morari. Profeſſorum libellum legam, otii plus nactus, & quid ſentiam, libere exponam. Excerpta illa Thyſio & Walæo fuiſſe lecta ante & viſa mihi retulit Polyander. Negant σοφιστικῶς [*captioſe*] ſibi viſa, quia non ſingulis. Heri Amſtelodamo reverſus ſum, ubi de commodis mihi ac D. Voſſio ædibus diſpeximus. Statuerat mecum ire Voſſius, ſed poſtero die cum accinctus eſſem itineri, mutavit ſententiam, ac filium natu majorem miſit. Scripſi D. Voſſium operam ſuam addixiſſe Amſtelodamenſibus. Hæc res Profeſſores noſtros, potiſſimum Theologos anxie habet, qui miſſis Hagam Magnifico Rectore & Theologo-

Digitized by Google

logorum uno Curatores incitarunt, uti cœptum negotium interturbent. Vocatus Hagam ipsorum mandato Vossius, per literas à Syndico nostro jussu Curatorum exaratas, & quidem imperiose satis: summa literarum est: ne ulterius se nisi conscitis Curatoribus Amstelodamensibus obstringat. Omnem lapidem movebunt, ut virum istum retineant, non quod ipsi bene velint, oderunt enim, verum ut Amstelodamensibus adversentur, & optima procerum istius urbis consilia eludant. Vossio firmandus animus per D. Beaumontium, Reigersbergium, etiam N. Mylium. Cum ipsis libebat exauctorarunt virum, Collegio ejectum ignominiose habuerunt: convictores uti aleret; privatim, quos vellet, institueret, interdixerunt: Synodicorum insuper rabiei ac tyrannidi objectus linguæ ac calamo cataſtas injici passus est. Cur non & illi integrum erit, rebus suis consulere? præsertim cum nullis promissis ipsis obstrictus sit. Animis opus est, & pectore firmo. Hoc agunt & agent, ut consilium de Schola ista Illustri prorsus evertant. Metuunt, ne si in illam urbem transmigret, ipsorum opera aliquando utantur Remonstrantes. Nescio, quæ non Ecclesiæ fulmina ipsi minentur. At frustra, si modo ipse sibi constet, nec Amstelodamenses deserat. Si fecerit, pœnitebit ipsum facti. Hæc argumenta, aliaque ipsi objicite. Est jam Hagæ. Omnis mora in damno est. Delegati Amstelodamensium monendi, ne animum despondeant. Primos impetus ubi fortiter

Digitized by Google

sustinuerint, languebunt sequentes. Si quid ad hoc negotium consilio tuo conferre possis, confer. Versus istos in Fr. Iunii Epitaphio notatos silentio præteri. nec enim iis quæ scripseram ex aliorum relatu prorsus fido. Editionem enim, quam quæsivi, mihi comparare non possum. Immoderatius Catechismum Catholicum Reformatum commodasti viro isti nobili, & laudes istas quas in autorem congeris, verecunde amolitur. Notas tuas probo, excepta prima: Nam non solum familiaris est illa vox Pontificiis, sed & Brabantici soli propria fere in isto sensu. Et distinguunt Pontificii inter dogmata fidei, morum & rituum. Hæc raptim. Vale vir summe & nos ama, 15 Ian. 1631.

165.

CORNELIO VANDER MYLE.

Nobilissime Myli,

Spirant literæ tuæ eundem erga me affectum, quem in literarum studiosos jam olim prolixe effudisti. Si naturæ tuæ genium spectem, & insitam erga Musarum alumnos facilitatem, proprietate quadam tibi regimen illud in hac Academia debetur, quo tam glorioſe tot annis functus es. Sæpius Professores isti, quos reliquos habemus ex publico naufragio, quoties ad familiare cum illis colloquium devenio, in hæc verba erumpunt: Desideramus Mylium. Ego inter illos postremus non sum, qui per N. T. precium inveni apud eos, qui literas æstimare didi-

Digitized by Google

didicerunt. Ex eodem illo tuo affectu provenit, quod libelli istius censuris meis interpolati autorem immodicis laudibus prosequaris. Nec gratiam, nec gloriam ex isto opere aucupor. Bene volo Ecclesiæ Reformatæ & doctrinæ tot martyrum, ac Patriæ Patrum sanguine confirmatæ. Vtinam ex libello illo fructus aliquis redeat ad illos, quos Romanæ Curiæ splendor excœcat. Si ita prudentioribus visum, per me licet, prodeat in lucem. Sed unice cavendum, ne autor publice innotescat. Quæ Utenbogardus annotavit emendavi, excepta prima censura. rationes ob quas retineri malim verba textus Pontificii, ipsi transscripsi. Quicquid sit, leviscula illa sunt, nec delere gravabor, si in sententia perstet. Sed an non N. T. consultum putat, uti libellum illum perlustrent & examinent Sylvæducenses Ecclesiastæ? Scio nasutulos illos esse, & rigidiores in Pontificios, cum in hoc negotio prudenti ac circumspecta moderatione opus sit. nihil largiri volent, cum tamen largiendum aliquid sit, ne in omnibus dissentire [illegible]amur. Ista enim arte pelliciendi sunt. & quantum indulserit oportet ille Gentium Doctor, cum in has adorandæ & suspiciendæ mansuetudinis, & æquitatis voces prorumperet, se omnibus omnia factum, ut aliquos Christo lucrifaceret. Abunde tamen à nobis cautum, ne cum Christo Belial, cum luce tenebræ permixtæ putentur. Quæ porro agenda sunt prudentiæ Tuæ commito. Ego fœtum expono. Tollat in usus vel suos, vel

Digitized by Google

publicos, quî volet. Heri Amstelodamo domum reversus sum, ubi mihi ac D. Vossio de ædibus prospectum. Theologi nostri per D. Curatores hoc agunt, ut vocationem Vossii eludant, non quod tantus ejus sit amor, sed ut Amstelodamensibus incommodent. Quæso consiliis tuis præclara Reip. Amstelodamensis cœpta promove. Interest ejus, uti viro isto potiantur. Vale Vir nobilissime & generosissime, & Barlæum tuum amare perge. Lugd. Bat. 15 Ian. 1631.

166.

IOH. UYTENBOGARDO.

R *Everende vir, ac dilecte in Iesu Christo Frater,* In Concilio Niceno nullos esse factos Anathematismos verum est, si Canones ipsos xx, authenticos & Græcos spectes, quos videre est libelli hujus pag. 157. Imo nullibi istis Canonibus damnatur Arius. Interim negare non ausim in Confessione Synodi Nicenæ, quæ legitur pag. 182, Ario anathema scriptum esse, uti etiam [illegible] ex iis quæ pag. 162 leguntur, necnon 166. Reformati itaque Doctores distinguunt inter ea, quæ acta sunt in toto Concilio Niceno, & Canones istos xx, politiam Ecclesiasticam concernentes. In prioribus dicunt damnatum Arium, cum ob hujus dogmata potissimum convocata fuerit Synodus. In Canonibus fatentur nullam Arii, aut dogmatum ejus fieri mentionem. Velim tamen ..... ad Epistolam illam Constantini Imperatoris missam ad Alexan-

Digitized by Google

Alexandrum Episcopum Alexandriæ, & Arium, post turbatas ibidem & in universa Ægypto Arianis controversiis Ecclesias; Reperies eam pag. 62. Iudicat in illa Epistola Imperator Constantinus controversias, ab Alexandro & Ario motas non esse necessarias, sed inanis otii certationes, nec vulgi auribus credi illas debere, vocat quæstiones argutas & subtiles, &c. Et cum missa hæc sit Epistola per Osium Episcopum Cordubensem, magni tum nominis & doctrinæ virum, verisimile est ab ipso Osio fuisse conceptas. Licet postmodum & ipse & Constantinus Arium damnaverint. Affirmat vir clarissimus amicus noster Osium, post Concilium Nicenum concessisse in partes Arianorum, etiam ipsum Constantinum. Nec probare potest Cyrillum, fuisse primum Anathematizatorem in Concilio Ephesino, quod celebratum fuit ante Chalcedonense, nam in Concilio Gangrensi, licet particulari *, quod antevertit Ephesinum & Chalcedonense, adeoque Cyrilli ætatem, edita sunt Anathemata. Vide Canones, cum adjectis anathematismis.

De loco Iustini mecum sollicitus est. Arbitratur Iustinum Ebionitas...., quos tamen vocat ἐξ ἡμετέρου γένους, [*ex nostro genere*,] quia disputat contra Tryphonem Iudæum, itaque inter professione tenus Christianos refert. Ebionem autem ejusque sententiam damnavit Ignatius in epistola ad Philadelphios, dicens: *Si quis*

* *Gangrense anno* 361. *Ephesinum*, 431. *Chalcedonense*, 451.

Digitized by Google

dicat unum esse Deum, & confiteatur Iesum Christum, sed eum esse nudum hominem putet, non autem unigenitum Dei Filium, &c. hujusmodi serpens est, fraudem & errorem prædicans in exitium hominum, & est ejusmodi inops sensu, cognomento Ebion. Hæc ex Baronio notavi ad Annum Christi 73,74,75. Refert etiam Irenæus lib. 3. c. 4. Ioannem Apostolum cum in idem cum Ebione balneum venisset, dixisse: *Festinate fratres, egrediamur hinc, ne cadat balneum, & pereamus cum Ebione, qui intus est in balneo, propter ipsius impietatem.* Hæc ibidem Baronius. Consulendi essent ipsi autores. Verum an Iustinus ibidem Ebionitas intelligat, nulla necessitas cogit credere. Antecedentia & consequentia examinanda forent.

Quod ad Catechesin Catholico-Reformatam attinet, non valde laboro, ut edatur, per me licet, ut lateat. Si R. T. consultius putet Sylvæducenses non videre, non repugno. Sed quid si ipsis scribatur, ut legant, & lectum libellum Hagam remittant, & quid de eo sentiant, perscribant. Postea quid facto opus sit deliberabimus. Alias si ipsorum suffragiis editio urgeatur, provocabunt ad Professores, aut Deputatos Synodi, aut ipsam Synodum. Quid suadeas fieri, candidus imperti.

Amstelodamenses non nisi de duobus Professoribus vocandis decrevere. De Iurisconsulto altum adhuc silentium. Qui audeant? Vossius abitu suo perculit Leidenses. Theologi ringuntur. Mota in ipsum tempestas jam pene desæviit.

Digitized by Google

viit. Reſponſum Profeſſorum (ignoſce) ad prodromum nondum legi. Bis intra paucos dies fui Amſtelodami, ut de ædibus mihi ac D. Voſſio diſpicerem. Prius nobis aſſignatæ à Senatu & viſæ haberi non potuerunt. Iam alias nacti ſumus commodas & amplas, *in de Spinhuys-ſtraet*. Meas inhabitavit Syndicus Pauwius, Voſſii, quæ ampliores ſunt, Iacobus Roelandi, quam diſpares Domini. Legam cras, Deo volente, & monebo ſi quid obſervavero. Vale Vir prudentiſſime. 27 Ian. 1631.

167.

EIDEM.

REverende Vir, & noſtrorum μέγα ἔρυ&α Ἀχαιῶν, [*magnum munimentum Græcorum,*] hoc eſt, Remonſtrantium, habes, quæ obiter in libelli hujus foros conjeci. Quisquiliæ ſunt & ſtipulæ præ auro tuo & argento. Accuratiora per temporis anguſtiam meditari non potui, quia videbam reſponſionem tuam carceres mordere. Et præter tria illa argumenta Profeſſorum, nihil eſt dignum ſerio examine in chartulis IIII virorum. Ad locum Iuſtini hæc noto:

1. Remonſtrantes eum allegare, ut probent merito ſe meticuloſiores eſſe in damnandis æternum iis, qui non capiunt aut explicita fide credunt, filium eſſe ab æterno ex eſſentia patris per intellectionem genitum: cum ex Iuſtini dialogo non ſubobſcure colligatur, Eccleſiam cum iſtis communionem coluiſſe, qui Chriſtum φιλὸν ἄν-

Digitized by Google

ψιλον [*nudum hominem*] dicebant. Argumentationem dico esse à majori ad minus, hoc modo: Si Iustinus cum illis communionem coluit, ergo non peccant qui non audent tales ex albo vitæ expungere.

2. Iustinum intelligere Ebionitas probandum Professoribus. At illi habebant Christum pro puro homine. Esto. Quid vetat etiam in Ecclesia Christianorum fuisse ejus sententiæ homines? At Ebionitæ damnati. Agnosco. Fuerunt enim in aliis pluribus dogmatibus hæretici. Et publica voce Ecclesiæ fuisse damnatos tempore Iustini, aut ante non legi, Doctorum judiciis fateor.

3. Iustinum non intelligere Ebionitas, sic probo I. quia nullibi in suis operibus, (quod sciam) Ebionitarum meminit. II. quia dicit eum qui Christum non demonstrat prius exstitisse, & nasci hominem sustinuisse, in errorem lapsum esse, non autem negare hunc esse Christum illum, in quo cardinem Christianismi ponit. Ergo vult tales reapse Christum illum agnoscere. Quod de Ebionitis non dixerint Professores. III. quia dicit errorem esse, non hæresin, non blasphemiam; videtur in eo esse Iustinus, imo in eo est, ut elevet momentum istius controversiæ. IV. quia illos dicit esse, ex suo genere & ordine, quæ verbo arctiorem necessitudinem & fidei communionem significant, quam eam quæ est nomine tenus, & professione externa Christianismi. Et quanquam cum Iudæo disputet, non propterea sequitur, per illa verba ex nostro genere,

Digitized by Google

genere, intelligi debere titulo Christianos, cum oppositio inter Iudæos & vere Christianos major sit, quam inter Iudæos & titulo Christianos; cum hi reapse Iudæi & Iudaizantes esse possint. Quod si conjungas, Iustinum illos habere pro sui generis hominibus, & eos Christum illum non negare, re Christianos ipsius judicio describi videas. Pontificios professione, & titulo Christianos esse judicant Professores. sed an dicere iidem ausint, illos Christum non negare? Qui possint; cum in Catechesi Palatina dicantur, Christum reipsa abnegare.

4. Probent Professores apud Iustinum ullibi, ἀπὸ ἡμετέρᾳ γένους [*ex nostro genere*] significare titulo solum Christianos. Contra, ubicunque de talibus agit in hoc dialogo; aut illos professione Christianos nominat, ut Marcionitas, Valentinianos, Basilidianos, Saturninianos, quos à suis diserte secernit: aut addit, illos professione Christianos doctrinas seductionis spirituum docere, impia & blasphema docere, vid. pag. 196. Edit. Commelinianæ. Tantum abest, ut tales dicat esse sui generis. Firmiter mihi persuadeo, Iustinum intelligere eos, quos pro vere Christianis habuit, professione Christianos ubique perstringit ac damnat.

5. Quam durum & crudum, imo impium foret, Iustinum quamvis cum Iudæo disputantem, Ebionitas, quorum præceptor scribitur Paulum Apostolum calumniis onerasse, Petrum mendaciorum insimulasse, ex parte Iudæum, Essenum,

Digitized by Google

Nazaræum, Cherinthianum, Carpocratianum, vocasse sui ordinis homines.

6. Non est mirum, Iustinum, eos qui Christum habebant pro puro homine, habuisse pro Ecclesiæ suæ membris, cum & Socratem, & Heraclitum pro Christianis habuerit. Scultetus in Analysi Defensionis Christianorum ad Antoninum Pium Imperatorem, (est ea Iustini) hæc scribit:

Hic objectio alia movetur: Christianos igitur tantum eos esse, qui intra 150 annos vixerint.

Respondet, (Iustinus) non sequitur: quia Christus est primogenitus Dei, quicunque ergo cum illo vivunt, Christiani sunt, ut inter Græcos Socrates, Heraclitus; inter Barbaros, Abram, Elias.

Et in hoc ipso Dialogo, qui inscribitur Tryphon, sic refert Scultetus quæstione tertia:

3. Vtrum salvus futurus est is, qui hæc ita se habere sciens, ad fidem tamen in Christum observationem istorum, (rituum puta & ceremoniarum Mosaicarum, nam de illis proxima egerat quæstione) adjungat, necne?

Respondet: (Iustinus) suo judicio talem servatum iri, modo alios ad Christum ex gentibus conversos in suam sententiam non pertrahat, & opinionem necessitatis non fingat.

Hæc si toleravit Iustinus, quid mirum si & prius illud de Christo puro homine toleraverit.

Hæc raptim. Vale Vir doctissime, & de bonis bene mereri perge. Ipsis Cal. Febr. 1631. summo mane.

168. COR-

Digitized by Google

168.

CORNELIO VANDER MYLE.

Nobilissime Myli,

Instat octavus Februarii dies Academiæ solennis, quo sceptra ejus in alium deferri solent, ex veteri, uti probè nosti, more. Exhibebuntur Illustrissimo Principi hæc nomina: Franco Burgersdicius, Ottho Heurnius, Ewaldus Screvelius, à Senatu Academico, denominati. Burgersdicius Rectoratu jam defungetur. Eligendus ergo aut D. Heurnius, aut D. Screvelius. Optem ego, & mecum boni complures Rectorem in proximum annum à Principe designari D. Heurnium. Commendant illum parentis sui fama & præclara in Academiam hanc merita, Iohannis inquam, Heurnii, qui Illustrissimo Principi Guielmo, beatæ memoriæ, cum viveret, medicinam sæpius, idque feliciter, fecit. Accedit, quod professoris munere annos jam triginta functus fuerit, nec alium ante se habent tempore priorem. Primarius insuper est Medicæ facultatis & Anatomiæ professor, quam provinciam geminam summa cum laude hactenus sustinuit. Nec desunt viro prudentia, modestia, morum facilitas, doctrina, aliæque ad munus illud requisitæ virtutes. quanquam sciam non defore, qui toti in eo sunt, ut virum optimum, mihique multis nominibus charum, fugillent & deprecient, inter quos non postremus est vir iste tibi amicissimus D. H. cujus invidia, &

non

Digitized by Google

non dextris artibus, ne quid durius loquar, opprimitur & calcatur. Vtinam, utinam à N. T. hoc impetrare liceat, uti apud Illustriſ. Principem, penes quem eſt, Rectoris eligendi poteſtas, cauſam ejus agas, & commendatione tua, qua poteris, juves. Benè mereberis de Academia, bonis omnibus, & me. Ipſe verò D. Heurnius, cui, neſcio quo fato, hæc dignitas hactenus non obtigit, ſummi hoc ipſum beneficii loco putabit, & peracti operis laudem N. T. ac profuſæ in Muſarum alumnos humanitati debebit. Sunt & aliæ cauſæ, ob quas hunc Rectorem velint mitioris ingenii Profeſſores, quas adſcribere non eſt neceſſe. Vale Vir nobiliſſime & ampliſſime, cum uxore & liberis. Filius rectè valet. Circa finem hujus hebdomadis ſtatui excurrere Hagam. Raptim, è Muſæo noſtro IV Non. Febr. 1631.

169.

IOHANNI UYTENBOGARDO.

Reverende vir,

Quæ de Conſtantino Imperatore, & Oſio, poſt Concilium Nicenum, Arianismum amplexis, ſcire deſideras, jam habe.

Conſtantinum Imperatorem, extremo vitæ ſuæ tempore baptizatum fuiſſe in ſuburbiis Nicomediæ, refert Euſebius Pamphili lib. 4. c. 61, 62. At præerat illis ſuburbiis, uti & Nicomediæ Euſebius Epiſcopus Nicomedienſis, Arianorum anteſignanus & fautor perpetuus. Vnde colli-

Digitized by Google

colligunt Patres nonnulli, illum, utpote ab Ariano baptizatum, in Arianorum perfidiam & dogmata consensisse.

Hieronymus in Chronico suo ad ultimum annum Imperii Constantini, ita scribit: Constantinus, extremo vitæ suæ tempore ab Eusebio Nicomediensi Episcopo baptizatus, in Arianum dogma declinat, à quo usque in præsens tempus Ecclesiarum rapinæ, & totius orbis secuta est discordia.

Habet eadem fere Isidori Chronicon.

Vide etiam Theodoretum lib. 2, cap. 32.

Baronius ipse consequens hoc admittit, Constantinum in Arianorum perfidia baptizatum, siquidem constet ipsum ab Arianis baptizatum. Verum antecedens hoc negat, & ad loca supra adducta frivole respondet. Nempe, propugnat fabulam veterem de Constantino à Silvestro Papa baptismate tincto.

Vide plura in Baronio, tomo tertio ad Annum Christi 324. Constantini 19. nec non locum egregium Luciferi Calaritani Episcopi, qui lib. 1. pro sancto Athanasio, causam exilii Athanasii, in quod conjectus fuit post Concil. Nicenum, à Constantino, hanc dicit fuisse, quod noluerit esse Arianus. Extat locus tomo tertio Baronii fol. 445.

De Osio hæc scribit Sulpitius Severus: Osium quoque ab Hispania in eandem perfidiam consensisse, opinio fuit: quod eo mirum atque incredibile videtur, quia omni fere ætatis suæ tem-

Digitized by Google

tempore constantissimus nostrarum partium, & Nicena Synodus illo auctore confecta habebatur: nisi fatiscente ævo (etenim major centenario fuit, ut S. Hilarius in epistolis refert) deliraverit. Hæc Sulpicius. Hinc & Hilarii querela illa in Osium est, quod sepulcri sui, nempe corporis, nimium amans fuerit.

Meminit & lapsus Osii Sœbadius in libro contra Arianos scripto, de quo mentio est apud S. Hieronymum de Scriptoribus Ecclesiasticis in Sœbadio. Locus est disertus, sed prolixior. Vide Baron. tom. 3. fol. 704. aut videatur, si libet, ipse Hieronymus.

Vigilius Martyr contra Eutych. lib. 5. de ejusdem Osii lapsu, & cum Valente, & Vrsacio conspiratione ita scribit:

Immenso sane luctu, & implacabilibus lamentis prosecuti sunt sancti Patres funus præclarissimi viri, qui cum navem, qua tot tantaque maria navigaret inter Syrtes, scopulos, atque piratas, validis undique adversariis urgentibus ventis, jam ad portum salutis magna gloria perduxisset incolumem, ibi insperato naufragium fecit, universa Catholica Ecclesia expavescente. Ejusmodi Osii plane miserabili casu Catholicus orbis contremuit, concussæque sunt solidissimæ Petræ, &c.

Socrates lib. 2. cap. 26. Eccl. hist. fatetur illum fidei Arianæ consensisse, sed vi compulsum, & tormentis.

Idem scribit Athanasius epistola ad Solitarios. Digna

Digitized by Google

Digna lectu sunt, quæ ex sua sententia subjungit Baronius, fol. 704.

Superavit (inquit) mea sententia lapsus Osii præteritorum omnium casum, sive Origenis, sive Tertulliani, vel quorumvis aliorum dixeris, &c.

Probat postea Baronius fol. 706 & 707. Osium denuo resipuisse, sed argumentis stramineis prorsus & invalidis.

Aristarchus legit responsum istud Anonymi, dicit se non responsurum. uti in magnis doloribus fieri solet, stupet, alii gratulantur vapulanti. Ad componendas controversias Ecclesiæ Roterodamensis vocati sunt Hagam, ut audio, Polyander, Walæus, & de Dieu. D. Vigilantium, si Roterodami sit, velim moneri, uti curet exemplaria aliquot scripti Anti-Heynsiani mitti ad I. M. 1631. mense Februario.

170.

EIDEM.

R *Everende vir*,

De Actis Concilii Niceni à Gelasio Cizicено editis, utrum ea genuina sint nec ne, nondum ex amico nostro intelligere potui. propius rem expendet excussis scriniis. Quæ D. Grotius scribit, verissima sunt, si spectes ipsos viginti Canones Nicenos extra omnem dubitationis aleam positos. Nullum enim illi habent anathema. Symbolum vero Nicenum prout ab Athanasio perscriptum transmissumque est ad Iovinianum Imperatorem, nullum itidem

Digitized by Google

itidem anathema additum habet. Verum Pontificii ex Scriptoribus Ecclesiasticis ac Patribus quibusdam plures colligunt Canones Concilii Niceni, necnon Acta alia & Epistolas ejusdem Synodi ad Ecclesiam Alexandrinam, &c. in quibus Anathemata in Arium ingeminantur. Hæc an supposititia omnia sint, non est meum dijudicare. Nam ex Theodoreto lib. 1. cap. 8. video Epistolam Synodi citari supradictam, quæ ἀναθεματίζῃ. [*exsecratur.*] At Theodoretus iste magnæ est fidei & autoritatis. Salmasii annotationes Plinianæ, sive Solinianæ, hic prostant magno ære, 23, ni fallor, florenis. Legi locum, in quo de Anathematis voce disserit. sed prolixior est, quam ut describi à me possit. Excerpam quædam: hæc ille.

Ἀναθεματίζειν in sacra Scriptura idem volunt significare, diris nempe defigere ac devovere. quod Patres, *Anathematum vinculis innodare & constringere*, sæpe dicunt. Hesychius: ἀνάθεμα ἐπάρατος, ἀκοινώνητος. [*execrandus, à communione segregatus.*] Duas hujus vocis significationes attulit, quarum ultima sola vera est. Qui ἐπάρατον & maledictum hoc nomine intelligi volunt, ἀνάθημα & ἀνάθεμα confundunt, & utrumque pro re dedicata & consecrata accipiunt, &c. Nusquam autem ἀνάθημα apud Græcos in malam partem accipitur: nec illi unquam ἀνάθεμα dixere pro ἀνάθημα. Vt hinc liqueat aliud esse ἀνάθεμα aliud ἀνάθημα, licet contra sentiant viri doctissimi. Re quidem ipsa devotum & maledictum

Digitized by Google

lectum hominem significare potest τὸ ἀνάθεμα, sed verbi notio alia est, quæ proprie separatum ac semotum designat, ut ex his verbis Pauli constat Epist. ad Roman. cap. 9. ηὐχόμην γὰρ αὐτὸς ἐγὼ ἀνάθεμα εἶναι ἀπὸ τοῦ Χριστοῦ, id est, separatus & alienatus à Christo. Recte itaque Hesychius ἀκοινώνητον [*communione segregatum*] exposuit. Et paulo post:

Hoc proprie ἀνάθεμα, res nempe separata & semota à reliquo corpore & numero, aut ab usu privati alicujus exempta, ut Deo dicaretur. Nec mirabitur tam diversæ esse significationis ἀνάθημα & ἀνάθεμα, qui scribit æque in diversa notione poni τὸ ἀνατίθεναι, & τὸ ἀναθέσθαι. Et post:

Ergo ἀνάθεμα proprie est separatio ac segregatio ab aliquo corpore, & societate. Quâ voce in hoc sensu passim usi sunt post Apostolos antiquæ Ecclesiæ Patres. Idem quippe est τὸ ἀναθεματίζειν & τὸ ἀφορίζειν, [*segregare*,] &c. In plerisque quidem Conciliis ἀναθεματίζεσθαι in solis laicis locum habet, qui ab Ecclesia extorres fiunt. Nam Presbyteri propter idem delictum removebantur tantum ab ordine, & in Ecclesia retinebantur. At in Concilio Gangrensi, tam clericis quam laicis una pœna infligitur, τὸ ἀνάθεμα. Quod tamen commode exponendum est. Nam ἀνάθεμα *Presbyteri remotionem*, & ἀπολύωσιν *ab ordine & gradu significat*, Laici *vero* ἀνάθεμα [*abalienationem*] *depulsionem ab Ecclesia*. Et sane qui ab ordinis sui cœtu rejicitur

Digitized by Google

ἀνάθημα est, ὅτα ἐκ κλήρου ἢ τάξεως, [*à clero & ordine,*] quod & μετακλήθεσθαι τάξεως dicitur in Synodo Neocæsarienſi πρεσβύτερος ἐὰν γήμῃ, τῆς τάξεως αὐτὸν μετακλήθεσθαι. [*Presbyter ſi duxerit, ordine ipſe depellendus.*] Idem porro est ἀναθεσθαι & μετακλήθεσθαι, ut ſupra oſtendimus. Nihil aliud igitur ſignificat τὸ ἀνάθεμα, quam τὴν ἀποβλησιν, ἀλλοτρίωσιν, ἀφορισμὸν [*rejectionem, abalienationem, ſeparationem*] ab Eccleſia, & communione fidelium. Nulla prorſum devotionis, aut conſecrationis in hac voce ſignificatio, ut perſuaſum hactenus fuiſſe video viris doctiſſimis. Quia vero pro magno malo ducitur extorrem fieri, & exulare ab eo corpore & ſocietate, cujus te cupis eſſe participem, ex eo vice imprecationis uſurpatum eſt. Vt enim, qui ſibi credi volunt aliquid affirmantibus ſolent dicere, *ne vivam, peream, inteſtabilis ſim, niſi hoc ſit*, ita Iudæis & antiquis Chriſtianis ſolennis in jurejurando formula *anathema ſim*, hoc eſt, à Synagoga & Eccleſia excluſus. Vnde & καταναθεματίζειν ſibi tale anathema imprecari. Apud Matth. cap. 26. de Petro Dominum abjurante: τότε ἤρξατο καταναθεματίζειν, καὶ ὀμνύειν. *Anathema ſibi ipſi imprecabatur, ſi hominem vidiſſet.* Male vertunt: *tunc cœpit ſeipſum devovere.* Nec melius vulgaris, *tunc cœpit deteſtari.* Nec recte Eraſmus: *execrari.* Sed de eo nos alibi latius. Et paulo poſt.

Pœna autem non fuit alia delinquentibus in Eccleſia Dei propoſita, quam ἀνάθεμα, id eſt, ſepa-

Digitized by Google

separatio ab Ecclesia, & communione fidelium, &c. Hinc ἀναθεματίζειν pro ligare, & anathematum vinculis constringere exponunt, quod extra Ecclesiam pellere significat.

Hæc bona fide ex Plinianis exercitationibus Salmasii excerpsi. habentur latius & continuata serie pag. 1089, 1090, 1091.

Exemplaria adversus monstrosum Specimen abunde jam hic prostant. Iudicant, etiam qui Aristarcho amicissimi sunt, illi impositam silendi necessitatem, nec quicquam posse ad locum reponi. De replica multi idem judicant. Vt facultati sapiat nondum rescire potui. Litem Amstelodamensibus movebunt super Schola ista illustri Curatores & Consules Leidenses, hisce Ordinum Comitiis. rem omnem & cœpta tanta eversa volent. Etiam D. Vossio iterum interdixere, ne ulterius cum Amstelodamensibus transigat. Sed quid transigendum superst, non video. Operam suam illis addixit ἁπλῶς. [*simpliciter.*] Et perstat in sententia. Hierarcha noster Fabricius in Professores Walæum & Polyandrum aliosque invehitur apud suos, quod de negotio Roterodamensi cum politicis sententias dixerint. Nihil adhuc de captivis Pastoribus decretum? aveo scire. Raptim, 12 Mart. 1631.

Digitized by Google

171.

CONSTANTINO HUGENIO.

NE crede, doctissime Hugeni, me gruum more dormire, ut qui ἀνὴρ [*vir*] minimè βελησφόρος [*consiliarius*] amem ἔυδειν παννύχιον. [*dormire per totam noctem.*] Multo minus eo situ dormio, quo Imperatorem mori oportere judicavit Solymæ domitor. Nec enim hanc dormientis posituram ferat; quæ mihi à latere est, cum nec Hectoris Andromache, nec Catonis Portia hanc posituram amaverint, graves alioquin feminæ. Quæ de tribus istis Epigrammatis meis disertè ὑπερτραγῳδεῖς, [*tragice exaggerans addis*,] missa facio. Digna profectò non sunt, ob quæ vel Bellerophon esse velim, aut μάντις κακός. [*vates malus.*] Titivillitia sunt, & antiquum Barlæi tui βρεκεκεκεξ. [*eadem cantilena ranarum more.*] Sed quam tu lepidè ab atomis physicorum ad atomos deflectis poëticas, easque mihi obtrudis, ut Fabium tuum, loquacem satis, exerceas. Age, quia ita vis, sequar. Ad Calendas usque Maji libet tibi & genio obsequi. Vbi in magna ista urbe versari dabitur, grandia me cogitare oportet, inter grandes. Quod si habendi scabiem, qua laborant istic cives, mihi affricuerit Diva Moneta, actum erit de Musis. Atomorum, quos vocas, libros tibi relinquam, dummodo corpora trinæ dimensionis aurea & argentea convasare possim. Sed ne audiat hæc fortuna. Ne mihi, uti Micyllo Luciani-

Digitized by Google

cianico imponat, cui dives illud & aureum somnium abrupit galli cantus. Redeo ad atomos tuas, quarum prima est:

Adverte Stoa, versor in tuo sacro
Quis liber & non liber, & tamen est liber?

Respondeo cum Horatio,

Quisnam igiter liber? sapiens, sibique imperiosus,
Quem neque pauperies, neque mors, neque vincula terrent,
Responsare cupidinibus, &c.

Cum ipsa vero Stoa è Paradoxis Ciceronis, μόνος ὁ Σοφὸς ἐλεύθερος, καὶ πᾶς ἄφρων δοῦλος. [*solus sapiens liber, & omnis insipiens servus.*] Meam sententiam si vis:

Advertat aulæ cultor & decus grande,
Tu liber & non liber & tamen liber.
Liber parente nata libero proles,
Non liber uni mancipatus Heroi.
Equitumque rursus jure liber, Hugeni,

Vale Vir suavissime & charissime. 12 Mart. 1631.

172.

C. HUGENIO *trium filiorum patri.*

PAucula hæc ad triumviratum tuum & trium liberorum jus lusi, Hugeni paterrime. Tribus liberis videbantur convenire epigrammata tria, quæ quinque distichis decurrunt, ut ea vobis quinque inscripta videri possint. Vide, ut rationalis sim, qui non sine ratione versus tibi annumerem. In numero jam stas perfectissimo,

Digitized by Google

ternione videlicet, qui primus principium, medium & finem habet; & Diis pariter hominibusque sacer est. Si acquiescas, auspicatum fortè erit. Si excesseris, non metuam valde, ne sit inauspicatum. Si ratione gererentur Aphrodisia sacra, næ ex myrto coronam ferres trium natorum ex ordine pater. Iam non magis hoc naturæ eventu sapis, quam desipui ego trium natarum ex ordine pater. Sed loquar seria. Det Deus, ne isti in fatum Curiatiorum adolescant, ne Triumvirorum societate Reipubl. graves sint, neve τρία κάκιστα κάκιστα [*tria pessima x*] imitari velint. Quin potius illos sua virtus certet tergeminis tollere honoribus, aut si contemplativum vitæ genus placeat, discant scribere versiculos similes ejus, cujus hoc est: *Tres sumus imbelles numero.* Vale Hugeni dilectissime, cum uxore, quæ tecum vivere amet, tecum obeat libens. Lugd. Bat. 20 Mart. 1631.

173.

IOHANNI UYTENBOGARDO.

LIber iste, quem de Magistratus in Ecclesiasticis jure scripsit D. Vossius Roterodami inter chartas D. Grotii in Curia asservatur. Dum enim in viri illius ædes involatum fuit ab Harpyis, etiam hunc autoris fœtum ibidem repertum tenebris damnavit publicus furor. Fortè, si res tanti fuerit, per Consulum aliquem repeti posset. Interim mitto autoris adversaria, quæ non difficulter impetravi, ut si usui tibi es-

se

Digitized by Google

se queant, iis fruaris ad lubitum. Vltimum illud responsum, quo Professoribus respondistis, Meduſæ caput est, ad quod rigent, ceu catoche correpti. Nihil culpant, nihil quiritantur. Silent, & quæ apoplecticorum signa sunt pathognomonica, sensus omnis & motus expertes sunt. Nec video, qua apologia fortem illam apoplexiam & ἀφωνίαν [*vocis defectum*] solvant. Mihi adeò arrisit ista replicatio, ut legerim bis. Responsiones ad argumenta illa, quibus malè de SS. Triade sentientes anathemate percuti volunt, aptæ sunt & nervosæ. Non es ex eorum scriptorum numero, qui eloquentiam levibus & inanibus sonis corrumpunt. Res graves tractas graviter; levicula ita, ut gravia videri possint. Anna, perenna, ex veteri formula. Non alius idoneus magis antagonistes Facultati opponi potuit. δώαμιν Θεολογικὴν ἀδώαλον [*facultatem Theologicam omni facultate destitutam*] facis & ἀσθενῆ. [*invalidam.*] Decretum illud Ordinum de captivis Pastoribus non omni ex parte placet. Video quorundam callidis consiliis moras quæri, usque dum Saturni ac tristes Dii meridianum nostrum teneant. Quorsum enim ista collatio, nisi ut novis declarationibus vexentur miseri, & in arctum compingantur conscientiæ eorum, quorum corpora hactenus arctè habitarunt. Vale Vir reverende, & fœcundum concute pectus, 26 Martii, 1631.

Digitized by Google

174.

EIDEM.

Reverende vir,

Hesterno die, cum convivio hic celebriori Doctoris cujusdam interessem, una cum IIII viris, multus mihi fuit variis de rebus cum Wâlæo sermo, post turbatos, ut fieri solet, mensæ ordines. Tandem obnixe à me petiit, uti ad Ecclesias ipsorum redire velim, humanissime se mecum acturos. Respondi ego: Ordines Generales jam Collationem parare inter captivos Pastores, aliosque Synodicos Gelriæ, ad eam etiam ipsum vocandum; monui & rogavi uti in ea istiusmodi conciliationis viam inirent, quam & ego bona conscientia sequi possem. Ad hæc verba regessit: Non arbitror negotium illud institutæ Collationis successurum, Ordines Gelriæ gravantur huc mittere Deputatos suos, aut eos qui per litteras Ord. General. sunt excîti. Non dubito quin ad ipsum hæc è Gelria perscribantur. Etiam ipsi non usque adeo videbatur arridere hæc Collatio. Addebat: si instituenda sit Collatio, utilius illam institui posse cum Remonstrantium coryphæis ac directoribus. Non sinent illi, ut dicam quod sentio, res illas à Synodis ad istiusmodi conventus devolvi, quales damnavit Synodus Schoonhoviana. Vale Vir doctissime. 29 Mart. 1631.

175. AR-

Digitized by Google

175.

ARNOLDO BUCHELIO.

IAm ultimum te affabor, Bucheli doctissime, ex illo loco, quem studiis meis facilem primum, mox difficilem expertus fui. Ita eunt res humanæ. Volvimur huc illuc, donec ad terminum illum perveniamus, qui nulli cedit. Ad Calendas Maji hinc abitum paro, Amstelodamum migraturus, ex quieta in turbulentam & negotiosam urbem. Nihil est quod eo me rapiat, præterquam melioris famæ solatium, alioqui plura sunt, quæ me hic detinere possint, eruditorum frequentia, Academica studia, loci amœnitas, assuetudo, aliaque. Si Ultrajectinis illud fuisset institutum, quod jam est Amstelodamensibus, maluissem in vestra urbe vivere, quam inter Mercuriales & quæstuosos homines. Nunc cum impetrari non possit, quod maximè libet, libeat, quod potest. Ego sicuti charam tui memoriam hic habui, ita & eandem servabo alibi. Quin vicinior vobis futurus, humanitatis officiis & studiorum Societate N. T. jungar arctius. Nisi crassus & nebulosus loci aër poëticam vim obtundet, etiam inde interdum expecta otiosæ mentis lusus. Spartam nacti sumus, hæc ornanda lectionibus, scriptis & carminum, si qua nostris debetur, laude. Poëmata mea uno jam opere excudit Elzevirius. Mittam propediem exemplar. Prodiit tandem Sylva-Ducis Heinsii. Sunt qui de obscuritate conquerantur. Ego

Digitized by Google

ἐπέχω. [*judicium sispendo.*] Iam vale mi Bucheli, & ubi rescribes per otium, non ad Rheni sed Amstelæ accolam literas mitte. Domus mihi obtigit in vico nobili, quem de *Spinsteegh* vocant, in qualem credo Achillem deflexisse, cum castris Græcorum se subduxisset. Inter Mænadas & Thaidas habito, loco à Philosophiæ studiis non alieno, nempe, ut illas sapientiores, has meliores reddam. Lugd. Bat. 16 April. 1631.

176.

CONSTANTINO HUGENIO.

CVm literæ tuæ mihi traderentur, Hugeni nobilissime, jam Leidam reliqueram, vetus Musarum mearum hospitium. Eam discedens apud animum meum sic allocutus fui:

Leida vale, nostris statio gratissima Musis,
Iam studiis facilis, jam minus æqua meis.
Leida vale, & multos qui se tibi credidit annos,
Iam precor augurio prosperiore juva.
Imus in Amsteliam, sic fatis volvimur, urbem,
Quoque vocant Procerum vota, Deusque sequor.
Vivere sic nostrum non una sede morari est,
Patria virtuti creditur omne solum.

Ipsis Calendis Maji huc appuli, cum uxore & reliquis familiæ meæ consectariis. aliquot dies in disponenda supellectile periere. quæ causa fuit, quod citius non responderim à charta & calamo imparatus. Iam

Quæque suis stant vasa locis, tabulæque librique,
Et peragunt munus mens pluteusque suum.

Ad

Digitized by Google

Ad docendum omnia hic adhuc imparata. Nec mora in damno erit, contendentibus inter se Leidensibus & Amstelodamensibus de Iure publicè hic docendi. Illi Academiarum hoc proprium esse volunt, & sibi privilegio regio concessum. Hi inter Scholam illustrem, qualem habet Brema, Steinfurtum, Hardervicum, Daventria, & Academiam sive Scholam privilegiis à suprema potestate donatam, distinguunt, & jure promovendi, immunitates ac specialis fori gratiam, necnon studiorum Universitatem Academiæ τὸ εἶναι [*essentiam*] dare contendunt. Alterutra pars judicio Curiæ Hollandicæ aut stabit aut cadet. Ita visum Principi. Sed stipulati sunt Amstelodamenses, uti intra mensem decidatur quæstio. Interea mercantum hic vultibus adsuescam, & Yam Amstelamque mihi conciliabo, ne his invitis procedant novi hospitis studia. Aliquot post me diebus venit huc cum familia omni D. Vossius, eandem mecum fortunam inter Mercuriales experturus. Faxit ille, qui Sapientiæ omnis ac doctrinæ fons est & largitor benignus, ut hæc cœpta nobis ac Reip. huic benè feliciterque cedant. Quod de juvene isto nobili scribis, ita habe. Decretum nobis convictores non alere, præterquam eos, quibus jure naturæ alimoniam debemus, quos Aristoteles partes nostri esse dicit, Poëtæ parentum lætas propagines & ἐκφύματα [*germina*] vocant. Si tamen me adolescentis commendatissimi ingenio obstetricari posse putas, non deëro officio meo, & sen-

Digitized by Google

sentiet commendationis tuæ non leve apud me fuisse pondus. Vxor jam per viginti annos culinæ & foco affixa otium divos rogat. Quid, quod planetarius liberorum numerus omnes domus meæ stationes occupaverit. Non tam laxis hic tectis habitatur, uti alibi. Ingens hic terræ & artis est precium, & quorum cupiditati non sufficit Universum, vix habent, ubi pedes honestè regant, ut cum Hebræis loquar. Leidam meum, hoc est Musarum secessus, doctorum vultus, ambulacra amœnissima, & quæ sunt aliæ urbis istius illecebræ, frustra hic requiram. Nec tamen si cum familia rationes ineam piget susceptæ vocationis. Quicquid hic desiderabimus, Tu, mi Hugeni, literis, affectu, & honesta mei recordatione supplebis. Vale. 10 Maji, 1631. Amstelodami.

177.

IOHANNI POLYANDRO.

MItto, vir clarissime, quod petiisti, Epigramma in Nuptias tuas secundas, & quidem ejus genii, qui Hymenæo convenire putabatur. Captavi sensus festivos, quia Epithalamium scribendum erat, non morosi argumenti poëmation. Qui Socraticum sermonem in nuptiis exigunt, sapere mihi velle videntur, ubi desipiendum est. Illud audeo dicere, ex benevolo erga te ac sponsam tuam affectu me hæc scripsisse & ἄνευ δόλου. [*sincere.*] Arbitrii tui erit, illud aut premere, aut aliorum gratulationibus subjungere.

Digitized by Google

re. Interea nuptiis tuis fausta omnia ac felicia comprecor, facilem maritam, & nisi prorsus refrixistis, sobolem tantis parentibus dignam Eam si impetraveris, cum Marone canendum tibi erit

Extremum hunc Catharina mihi concede laborem.

Vale Vir doctissime, & ad sponsum παῤῥησιαστικῶς [*libere*] scribenti ignosce. 13 Maji, 1631.

178.

FRANCISCO LEEUWIO.

VIderis ambigere, ornatissime Leeuwi, utrum Amstelodamum sis concessurus ad studiorum mercatum, an alio. Inter tot suadentium ac dissuadentium voces, vix audeo sententiam meam interponere. Nec enim ut Lugdunensem Academiam depreciem, causæ quicquam habeo; nec ut nascentem hanc scholam tibi non commendem. Illa fama, doctorum celebritate, studiorum universitate latè inclaruit. Hæc nostra, Deo laboribus nostris benedicente, incrementa sua in spe habet. Quid, quod de natalibus ejus mota sit controversia, à Curatoribus Academiæ Lugdunensis, qui jus publicè in Hollandia Zelandiaque docendi soli Leidæ deberi contendunt. Expectamus indies responsum Curiæ utriusque, ad quas hæc res spectat. Interea ex amicorum tuorum consilio decerne, quid facto opus sit. Si visum ipsis sit huc te mittere, polliceor non defuturas tibi hic optimas proficiendi occasiones. Nec deëro tibi vel consilio vel opere, qua publicè, qua privatim. Si Mercurium

quæ-

Digitized by Google

quæris, qui viam monstret ad sapientiam, habet illum hæc urbs velut tutelarem Deum. Qui mercantes fallere docet, nostra opera præstabit, ne fallere velis, verum ut inoffenso tramite conscendas, *Edita doctrina sapientum templa serena.* Vale juvenis doctissime, & pietatem cave ab eruditione, modestiam à gloriæ studio sejungas. Amstelod. 19 Maji, 1631.

179.

PETRO CUNÆO.

VIr clarissime & cognato-dilectissime,

Tandem à publico contemptu me vindicarunt Amstelodamenses, & qui privatus plures jam annos transegi, ipsorum beneficio in lucem protractus sum. Migravi felicibus, ut spero, auspiciis in hanc urbem, ubi mercatu compita & fora fervent. Hoc jam agendum nobis, uti Mercurio cum Apolline benè conveniat, & literarum splendore magis splendescat opum fulgor. Ædes nactus sum commodas satis & amplas, loco à turbis & strepitu forensi remoto. In eas hoc Epigramma lusi:

Thaidas & rabidos inter jam versor Orestas,
Et geminum cingunt nomina tanta latus.
Hîc sua dedisscunt effrenes ausa puellæ,
Parte alia furiis æstuat aula suis.
Vt magis hæc sapiat, vivant moderatius illæ,
Non poteram poni commodiore loco.
Quas obeat partes Sapiens hîc invenit. illinc
Proximus insanis, proximus inde malis.

Ad

Digitized by Google

Ad docendum omnia hic imparata repperi. Iam operi se accingunt architecti. Locus lectionibus designatus Academiam vestram magnitudine æquat. Interea feriamur nos, dum oraculum Curiæ Hollandicæ expectatur, utrum nempe fas sit Amstelodamensibus Scholam publicam aperire, nec ne. Postero quam appulissem die, Prætor urbanus Grootenhuysius, jussu ac nomine Consulum, mihi adventum gratulatus fuit, ut & post aliquot dies adventanti D. Vossio. De te plurimus hic inter Senatores sermo, omnium ferè vocibus designaris. Non loquar explicatius. Hoc, quantum in me erit, agam, ut sive loco moveri possis, sive non, uberior saltem Amstelodamensium opera ad te rivulus dimanet. Sed pereat hæc periodus inter nos, quam facile apud Te intimæ admissionis amicum extorsit benignior affectus. Petiit à me D. Polyander Epithalamium. nec denegavi. mitto, ut legas, sed ea lege, ne rideas. Vale Vir clarissime & amicorum candidissime. Vbi Amstelodamum excurrere lubebit, quod ut lubeat, rogo, cave aliud [illegible]tum subeas, quam hoc meum. puto enim & amicitiæ & cognationis jure hunc honorem mihi deberi. Idem de uxore ac liberis intellectum volo. qui omnes à me ac uxore mea salveant. Amstelodami, 20 Maji 1631.

179. E I-

Digitized by Google

180.

EIDEM.

Vir clarissime & cognate dilectissime,

Prodeunt denuò Poëmata mea, sed typis elegantioribus excusa, fronte picta, cauda, ut vides, privilegiata, ut jam quantivis videri possint. Tibi cum nihil hactenus nugarum mearum negaverim, etiam hoc qualecunque χάεισμα [*donum*] offero: non ut poëticæ artis documentum aliquod apud te deponam, verum ne quod amici officium in me desideres. Addidi exemplar D. Heynsio inscriptum, quod velim per occasionem ipsi exhibeas, aut per filium, si mavis, mittas. Nos hic supino otio fruimur, usque adeò, ut invisa primum desidia jam placere incipiat. Vobis Academicis hanc felicitatem debemus, qui dum litem movetis Amstelodamensibus, nobis minus, ut verum fatear, graves estis. Iampridem scripsit mihi Nobilissimus Mylius, vocatum à DD. Curatoribus Cl. Salmasium, nec levi id se audi[illegible]one habere: sed addebat Præsidem Crom[illegible]tium hoc omne ignorare. Id si verum est, etiam hoc exemplo discimus, non Principum solummodo, sed & Doctorum majorem è longinquo reverentiam esse. Domestica & quæ ad manum sunt vilescere ac æstimari minus. An Vinnius tibi collega obtigit? Ita nuper audivi. Grotii uxor hic aliquot dies commorata cum fratre Reigersbergio quæstore, jam discessit. At quantis ausis, vir patriæ

Digitized by Google

patriæ amantissime excidimus. qui Flandriam pene totam spe devoravimus. Ita molitiones maximas levissimis casibus eludit fortuna, ludum suum insolentem ludere pertinax. Iam hoc agimus, uti æraria nostra & hostium ingentibus impensis flagellemus, quo hinc inde exhaustis Inducias extorqueat potentissima imperatrix ἀνάγκη. [*necessitas.*] Vale vir doctissime & charissime, uxorem, socrum, liberos, etiam ubi occasio fert D. Vorstium plurima salute imperti. Amstel. 23 Iun. 1631.

181.

IOH. ISACIO PONTANO.

IAm nuper præclaro illo tuo opere me beasti, clarissime Pontane, in quo magnitudinem rerum gestarum pari industria & labore mihi æquasse videris. Dignus & Regum favore, qui regibus digna scribis, & luci asseris res ab hominum memoria remotissimas. Nobis non ea scribendi vis est, nec animus tantis laboribus exantlandis par. *Mihi spiritum Latiæ tenuem Camœnæ, Parca non mendax dedit, & malignum spernere vulgus.* Aut cum serii sumus, in Philosophorum dumeta digredimur, & veteris ævi placita meditamur, quid Peripatus, quid Stoa decreverint. Ita suis quisque studiis ducimur, aliique laboriosius, alii amœnius ocium sectamur. Ego nec possum nec volo esse clitellarius. Quod ut credas, mitto poëmatum meorum novam συλλογὴν. [*collectionem.*] Non hic à prima origine, à

Digitized by Google

Frontonibus aut Canutis res Danicas arcesso, non regnorum Septentrionalium ortus & occasus gravi oratione enarro, sed otiosæ mentis commenta vinculis adstringo non necessariis. Tu, qua es humanitate, munusculum hoc literarium lubens accipe, & communibus studiis fave. Censuram tuam non deprecor, ut qui scias, poëtis familiare esse, dormitare, & cespitare, præcipuè ubi per abrupta & salebrosa circumducenda est oratio. Nos hoc jam agimus, ut nascentem hanc Scholam adornemus & legum fulcris stabiliamus, quemin finem rogo, ut exemplar mihi mittere digneris legum Scholæ vestræ Harderwicensis, ut in usus nostros transferamus ea, quæ accommoda huic scholæ ac reip. videbuntur. Non erit, ut nostra vicissim officia aliquando, frustra exigas. Vale, 24 Iun. 1631.

182.

LUDOVICO KINSCHOT.

TAntum tibi animi ac fiduciæ esse, Amplissime Kinschoti, ut post primas nuptias ad secundas transire audeas, equidem gaudeo. Similis es iis, qui à primo naufragio superstites, denuò procellosum mare conscendunt. Etiam illis, qui equo in acie excussi, arrepto alio pugnam restaurant. Nec tamen sine Theologorum exemplo facis, quod facis. Qui tecum quoque huic uni possunt succumbere culpæ. Alia fateor mens fuit Vespasiano Imperatori, qui ne Tito ac Domitiano filiis novercam superinduceret,

Digitized by Google

ceret, secundas nuptias odisse & fugisse dicitur. Non desunt, qui Divum Hieronymum objiciunt, qui multa in secundas nuptias, & quidem acriter satis, suo more, scripsit. Verum cum mulieres illa potissimum tangat disputatio, non est quod animum tibi expectoret patrum autoritas. Sunt qui ita argutantur: à muliebri sexu plus castitatis & pudoris: à viris plus constantiæ & prudentiæ requiri: priorem insaniam ab ætate esse, ab affectu & rerum humanarum imperitia: posteriorem à consilio proficisci, ut affectata videri possit, & latam habere culpam. Qui iniquius rigidiusque philosophantur, ajunt, eos qui ex priore conjugio liberis aucti ad secunda vota transeunt, manibus suis in propriam domum dissidiorum facem immittere; qui verò lenius, secundas nuptias permitti magis, quam probari volunt. Quicquid sit, Kinschoti, me judice, nec in divinas nec in humanas leges peccas. Quare cum severa Didone agnosce veteris vestigia flammæ, quam hominum pectoribus accendit vis superior. Si matrimonii finis est liberorum procreatio, si voluptates castigari honesta ratione fas est; si solis esse, malum; omnia certè hæc non minus secundis quam primis nuptiis, haberi possunt. Macte nova virtute. Habes philosophum patronum. Petis, ut nuptias tuas carmine prosequor, & quidem heroïco; quasi Æneæ in Turnum irruentis furor describendus esset, aut commissus cum Hectore Achilles. Itane heroï-

Digitized by Google

cum esse putas, συνεσπάζειν? [*coire?*] Puto ego hic socco potius incedendum, quam cothurno. Licet in hæc sua præcepta peccent poëtæ sæpius, & ego peccaverim non semel. Vellem tibi obsequi, sed in novam urbem translatus, sentio id poëtis accidere, quod plantis, quæ in aliud solum translatæ, aut novi aëris insolito appulsu, exarescunt. Et sane poteris sine vate te virum præstare. Non eget classico veteranus, aut flantibus à tergo ventis ipse Æolus. Si qua Aönii liquoris guttula supereſt, id omne in illud tempus servem oportet, quo victor ad suos redibit Fredericus Princeps. Nisi fortè superis secus videbitur, ne secundis efferamur insolentius. Non desinam tamen absens tibi precari conjugem facilem, & liberis tuis novercam, sine Maronis epitheto. Vale suavissime Kinschoti, & grande illud Principum monitum à lecto ne alienum puta: σπεῦδε βραδέως. [*festina lente.*] proprid. Cal. Iul. 1631. Amstelod.

183.

HERMANNO CONRINGIO.

ET gaudii pariter & doloris materiam mihi præbuerunt literæ tuæ, Conringi doctissime: Gaudebam, cum de honesta tibi condicione prospectum intelligerem. At dolebam eò tibi abeundum, ubi & corporibus gravis incubat Mars, & conscientiis rigor Ecclesiasticus. Expertus didici, nulla vincula durius premere, quàm quibus generosissima illa animæ vis, qua sapi-

Digitized by Google

ſapimus, qua Deo vivimus, invita conſtringitur. Corporis compedes & numellas patienter ferat ſapiens, modo animo ſit ſuus nec alterius juris. Quod ſi contrà quam ſentiat, ſentire ſe ſimulet, Phalaridis ſe tauro includi putat, & intus lentè torqueri. Non ignoras mecum, Confeſſionis Auguſtanæ Theologos (paucis exceptis) rigidiſſimos eſſe dogmatum ſuorum exactores. Et tamen partes ſunt ac membra unius Eccleſiæ Chriſtianæ ac Catholicæ. Et ſicubi judicio vel tuo vel meo hic illic fortè aberrent in non neceſſariis ad ſalutem, tolerandos tamen & pro fratribus agnoſcendos arbitror, nec ſecedendum temerè ob iſtiusmodi errores ab illorum Eccleſiis, qui ſe iis junxerint. Scio alium fidelium, alium docentium publicè rationem eſſe, & ab his plura ſcitu neceſſaria exigi, quam creditu, ut vivere inter tuos poſſis privatus, ſine conſcientiæ labe, licet publicè loqui non ita ſit facile. Sed video ab eorum dogmatibus te minus abhorrere, à quibus hic loci vultum avertit cura publica. Ideoque parum tibi præſidii ſolatiique à neglectis deſertisque hominibus polliceri poſſum. Soli Amſtelodamenſes hac parte æquius mecum egere, & veterem morem novo exemplo comprobavere. In aliis Hollandiæ civitatibus quum boni cum malis, duri cum mitioribus, libertas cum ſervitute, moderatio cum immoderatione luctentur, ſpem ejus fortunæ, quam optas, qui tibi facere audeam? De aliis ad hanc Scholam vocandis Profeſſoribus nihil

Digitized by Google

decretum, nec decernetur propediem, cum etiam super hisce ipsis præludiis, & Scholæ initiis litem nobis moverint Leydenses. Tecum delibera, quid facto opus sit. Si non ferant res tuæ, ut diutius hic subsistas, omnino suaserim, ut oblatam condicionem accipias, modo salva possis conscientia. Ea invita quicquam te aggredi nolim. De cætero Deum Opt. Max. rogo, ut eam tibi porrò mentem inspiret, quæ Ecclesiæ Christianæ mirum in modum discerptæ pergat condolere, & de remediis tantorum malorum audeat cogitare. Horum nullum æquè conveniens, ac illud, quod præ manibus habes de Articulis fidei ad salutem necessariis. Spartam tibi elegisti, hanc orna. Ita tibi ac studiis tuis benedicat ille, cujus causam illo opere agis. Vale, 3 Iul. 1631.

184.

SIMONI EPISCOPIO.

VIrum istum consularem, clarissime Episcopi, probè novi & probum. Primos ueritiæ annos cum illo transegi, ea in urbe, quæ ad Helium ostium sita est, cui animi mei culturam omnem debeo, & sementem ejus, quam nunc refero, messis. Schola nostra lentis passibus procedit, tum ob operariorum negligentiam, tum ob litem à Leidensibus illi motam. Hæc cum Curiæ arbitrio permissa sit, expectamus verbum irrevocabile. Interea ociamur & feriamur, & mercantium vultibus adsuescimus. Mirum, quan-

to

Digitized by Google

to hic faſtu incedant Phryxææ iſtæ oves. Vix meus ſum, quoties Pelopas iſtos adſpecto & Midas, grandesque gradum grandire Lucullos. Non ſola ſcientia inflat. Etiam ſplendidioris luti poſſeſſor quantivis ſe precii putat, prout turgent loculi, turgent iſti terræ filii, & cornua ſumunt. quod noto, ne me temere ſcripſiſſe putes, me mercantium vultibus adſuefcere. Iuvenem, quem mihi commendas, quod attinet, hoc te ſcire volo, nullos me in convictum meum ſtudioſos poſthac recepturum. Vxor convictorum quotidianis moleſtiis Leidæ attrita otium divos rogat. Etiam ædium ea hic eſt ratio, ut pluribus alendis minus idoneæ ſint. Scholæ noſtræ fama jam Suecos aliquot & Polonos nobiles huc excivit. Aderunt & aliunde alii, ubi lectionum fiet initium. Privatim docere occæpi. ſed ex Cathararum genere adſunt pauci. Cavent à nobis, tanquam ab ulcere. Audio denuo à Synodicis nova fulmina in veſtri ordinis homines cudi, quibus in vos arment Ioves ὑψιβρεμέτας, τὰ ὑπερτάτα δώματα ἔχοντας. [*ex alto tonantes, & ſumma tenentes domicilia.*] Ergo ſi tauri eſſetis, evaderetis ſine noxa. Vale. 12 Iul. 1631.

185.

IOH. UYTENBOGARDO.

INgenti me gaudio perfudit, clariſſime Uytenbogarde, allatum ad nos de liberatis captivis nuncium. Bene habet, tandem luci ac libertati priſtinæ reſtitutos lucis ac libertatis Euangeli-

Digitized by Google

cæ præcones. Quod à Procerum patriæ noſtræ facilitate impetrari non potuit, ab ingenio tandem impetravere. Et hoc recte. Libertatem juris naturalis eſſe perhibent Iurisconſulti. Illi ergo ſtudere fas eſt, quotquot naturam ac ſui amorem non exuere. Exceſſere omnes adytis, aut potius carcere, alteri adhuc incluſi, è quo liberationem tantopere optavere Platonici, tantopere ἀνδρῶν ἁπάντων Σωκράτης σοφώτατος. [*omnium hominum ſapientiſſimus Socrates.*] Ex illo humana induſtria erepti ſunt; ex hoc ſola mors eruet, ubi ſummo liberatori viſum. In illum reverti poſſunt, in alterum illum, ubi ſemel exierint, redire non dabitur, captivitatis puta titulo. Ego liberatis, & aëre nobiſcum liberiore fruentibus gratulor, nec futurum ſpero, ut poſthac patria noſtra pergat προδόναι. [*prodere.*] Videbaris poſtremis tuis ad me litteris aliquid petere velle, ſi quando tertiam Poëmatum meorum editionem adornarem. Fac ſciam, quid velis. Nihil eſt quod tui cauſa, & non ſuſcipere libenter, & perficere cupiam. Voluiſſem in iis meminiſſe Herois iſtius, cujus ſanguine ferrum irrubuit, necnon tui & aliorum. ſed non licuit, quoad Leidæ mihi vivendum fuit. Optime novi, quid officii mei ſit. ſed alibi metus, alibi muneris ratio prohibent facere, alias facienda. Vale Vir clariſſime & prudentiſſime, cum uxore & familia. Amſtelod. 24 Iul. 1631.

In

Digitized by Google

In liberationem Captivorum Remonſtrantium.

Qvos triſtes tenebræ, formidatique penates,
Ferrataque diu detinuere ſeræ,
Abſolvit nox una viros. Sic, victa dolore,
Ipſa ſibi pietas repperit arte viam.
Et quod non potuit precibus, jam perficit aſtu,
Fortunæ vindex ingenioſa ſuæ.
Claudite Idumæi vaſtâ ſacra funera petrâ,
Et tumulum armiferis cingite militibus.
Claudite vos Chriſto famulantia nomina Belgæ.
Et captos totis cingite fluminibus.
Nil agitis. ceſſere duci cuſtosque, foresque.
Iam famulis, illo vindice, clauſtra patent.

186.

THEODORO SCHREVELIO.

Literas tuas una cum Poëmate mihi tradidit Martialis quondam editor Lentulus. libet hac periphraſi communem noſtrum amicum deſignare, ut in curandis etiam tuis eum lentum fuiſſe ſcias. Quas enim ad me exaraviſti 30 Iunii, mihi traditæ ſunt 25 Iulii. Ipſius ergo negligentia factum, ut ſuaviſſimis tuis Elegis tam diu caruerim, quorum lectione viſus fui mihi non ſolum juveneſcere, alter veluti Phaon, verum propius tibi jungi, & totus intra pectus tuum recondi. Vis judicium feram de carmine, de autore, de utroque? Illud acrior tuus erga me amor fecundo pectore extudit, expolivit eruditio ſin-

Digitized by Google

gularis, ut non alio ore Veneres omnes, Gratiæque loqui possent. Merum ubique mel & ambrosia. nullibi non favos reperio & stipatas nectare cellas. Non amicos suos cordatius absens Naso, non abeuntem Virgilium magis sollicite Horatius, aut Messalam suum blandius allocutus fuit Tibullus. Expedit vel hoc nomine abiisse me, ut tam rotundum tibi & numerosum carmen impararet dolor. Magnum aliquid & excellens parturit affectus, ubi cum ingenio & bona mente in gratiam redierit. Felicius parere solent matres, cum partus dolores ingravescunt. Nec aliter poëtæ, affectu vel amoris vel iræ commotiores, præstantius enituntur carmen. Accidit & hoc tibi, mi Schreveli, absentis amici impatientiâ. Elegos istos impetu fudisti, in quibus disertior es, ubi doles; erectior, ubi querelas iteras, & vitæ inter nos hactenus suaviter & honestè actæ imaginem depingis. Et nescio, an non obductam penè cicatricem refricueris. Sane commovisti me non parum, & Leidæ novum desiderium concitavit tragicum illud tuum, & crebris singultibus repetitum, vale. Delectas amicum tuum, & luctu imples: præsentem te mihi ostendis, interim absens immoderatius laudas, omnium illaudatissimum: gratularis meliori sorte aucto, & juxta à te divulsum doles. quas ipsas ἀνθφάσεις [*contradictiones*] facile conciliabit, idem ille, qui eas dictavit, amor. Sciet posteritas, si forte ad hanc seculi favore pervenient nostra, quanto alter alterum amore dilexerimus,

qua

Digitized by Google

qua fide, concordia, facilitate una vixerimus, etiam ringentibus iis, quibus ob amicitiam noſtram & quotidianam familiaritatem oculi doluerunt. Expectas, ut per ferias caniculares ad vos excurram. ſed qui audeam, cum hactenus fuerim deſidiæ Profeſſor, nec ullo adhuc merito me Reip. huic probaverim. Glorioſius ad ſuos reverti ſolent Duces, ubi aliquid indole ſua dignum dederint. Etiam me forte tibi gratiorem ſtitero, ubi non nomine ſolum, ſed re Profeſſorem compellabitis. Tu potius feriis vindemialibus, quæ veſtræ ſunt, huc gradum accelera. Præmonitus de adventu occurram venienti ad eum locum, ubi Harlemenſes tui jus dicunt, ubi ſcaphæ terras trajiciunt, & ſaltum faciunt. Vale Vir doctiſſime & amiciſſime, uxorem liberosque plurima imperti ſalute. Etiam D. Profeſſorem Heurnium, Doctorem Delmanhorſtium, D. Altena collegam tuum, aliosque Pomeridianæ ſectæ viros, ſaluta. Amſtelod. 26 Iul. 1631.

187.

IACOBO PETITIO.

DVplex tuum munus, anni primitias, accepi Petiti dilectiſſime; alterum meo, alterum uxoris meæ palato, delitias fecit. Videris annuo aliquo tributo, ac veluti emphyteuſi veterem amicitiam obſignare, ne ejus forte oblivio ſubeat. Lætor autem præſentis tuæ benignitatis cauſam σεηκαταρχικὴν [*inchoantem*] fuiſſe felicem uxoris tuæ partum, quæ dum filium effudit,

Digitized by Google

dit, tu liberale tuum pectus effundis. Sic disco verum esse, quod Scholastici ajunt, omne bonum esse effusivum sui. Filioli tui natalibus ea comprecor, quæ & optare & sperare fas est. Ne verum sit in illo, quod canit Horatius, *Ætas parentum pejor avis tulit, Progeniem vitiosiorem.* Nec sinat Deus, ut aliquando tibi extorqueat illum Homeri versiculum, quem Augusto extorsit malè adoptatus Agrippa:

Αἴθ' ὄφελον ἄγαμός τε μένειν, ἀγονός τ' ἀπολέσθαι.
O utinam cœlebs vixissem orbusque perissem.

Quin potius in familiæ tuæ, ac parentum solatium pariter & subsidium adolescat. Si parentem refert ea corporis parte, qua mas est, uti minus graviter scribis, referat aliquando eundem ea quoque parte, qua Philosophatus olim es, cum Iustitiæ causam publicè cum laude asservares; referat ea parte, quæ probitate, morum candore, facilitate, humanitate, aliisque virtutibus optimorum virorum albo te inscripsit. Talis ut fiat non sola dabit natura, quæ ex propagatione sperari potest indoles, verum ad naturæ benignitatem si accesserit sollicita educatio, præclarum aliquid & excellens expectare dabitur. Non hæc scribo, ut te officii tui commonefaciam, verum ne officio meo non satisfaciam. Philosophi est docere tum ea quæ scire, tum quæ agere oportet. Puerperam tuam jam afflictam (& hoc à Philosophia minimè alienum puta monitum) verbis mellitissimis & basiolis suavissimis subinde recrea. Pelias hasta es mi

Digitized by Google

mi Petiti, quæ vulnus infligit idemque ſanat. Vale & uxori meo nomine bona verba dicas. 11 Auguſt. 1631.

188.
ABRAHAMO DOMINICI LEEUWARTIO.

LÆtiorem cataſtrophen exſpectaveram iſtius actus, quem coram ſpectavimus. Verum aliter viſum illi, cujus arbitrio res vitæ ac mortis geruntur. Poſt abitum tuum viſus mihi fui triſtes exequias filioli tui, etiam trans mare, proſequi. Adeò me affecit pueruli calamitas. Quam dum cogito, indignor naturæ, quæ ea lege nos naſci voluit, ut exquiſitiſſimis modis cruciaret. Alium tumeſcentes in abdomine aquæ, alium nata in ipſis viſceribus animalia, alium flagrantes febrium faces exſtinguunt. Attamen inter tot moriendi genera, nullum aliud à Deo deprecor ardentius, quam quod à calculo eſt. Cujus doloribus dicendis, quæ par oratio inveniri poteſt? Filiolo tuo bene eſt. Si convaluiſſet, potuiſſet eidem malo denuo implicari. Ita ſpem metumque inter ſenſiſſes longe te citra vota tua ſtare. Brevi epigrammate ejus fatum ploravi. Grandia loqui non potui, quia de puero ſermo erat. Tu boni conſule, & fruere memoria prolis nuper afflictiſſimæ, nunc beatiſſimæ. Vale. 10 Aug. 1631.

SI-

Digitized by Google

189.

SIMONI EPISCOPIO.

ADhuc inexorabiles sumus uterque, Episcopi clarissime, ego & uxor. Licet meam citius pertinaciam, quam illius expugnaveris. Quod si quam maximè vellem convictoribus ædes meas aperire, non nisi duobus locus esset. Qui numerus plus dispendii, quam compendii afferret rebus meis. Alias causas jam non repetam, nec arcessam altius. Quamobrem rogo, ne ulterius facundiam tuam explices, & de arietibus cogites, quibus impetas Capitoli immobile saxum. Fortè proximis Calendis Maji, ubi ædes ampliores nacti erimus, cum illis consilium mutabimus. Interea promovendis studiis juvenis istius, quem commendas, non deero, qua publice, qua privatim. A Comitiis Ordd. proximis, Episcopi clarissime, nihil causæ communi metuo. Ingens erit malacia, ubi Amstelodamenses cordatius loqui in animum inducent. Audio hic decretum esse, ne posthac Edicta illa in Remonstrantes rata habeantur, aut executioni mandentur. Hæc turbis, odiisque materiam præbere, & facem dissidiorum motibus novis accendere. Ita futurum spero, ut idem ille, qui fluctus hosce aliquando movit, Neptunus, eosdem tridenti suo componat, & Æolios fratres in ordinem cogat. Vale Vir clarissime & doctissime. Vxorem, D. Couwenhovium aliosque amicos & collegas meo nomine saluta. Raptim 10 Sept. 1631. Amstelod. A N-

Digitized by Google

190.

ANTONIO OETGENS VAN WAVEREN.

Amplissime vir,

Gratulor te cum legationis tuæ sociis incolumèm in Stormariorum metropolim appulisse, quo Federatorum Ordinum jussis destinabaris. Faxit Deus, ut pericula terræ marisve emensus talis ad nos redeas, qualis abivisti. Nec enim istiusmodi tibicine Respublica, nec Mecœnate nascens Schola carere possit. Illud miror, adeo te studiorum cura affici, ut etiam extra patriam positus, eam nondum deponas, & de iis benè mereri studeas, qui alibi nati apud nostrates eruditionis incrementa sperant. Quæ rogatu ampliss. viri N. Gernertsii Syndici Hamburgensis petis, æquissima sunt. Professorum Leydensium nemo est, qui studiosos in convictum recipiat. Civium nemo non, & hi plebei ferè omnes, nullo salubrioris scientiæ succo tincti. Quæ de Germaniæ porro rebus scribis, non iniquis hic auribus excepimus. Maximis succedentibus bellum gerit Suecus, & seculi sui spem superat invictissimus Rex, in cujus magnitudine constituenda virtus cum fortuna decertare videtur. Nec tamen, qui quorundam mos est, triumphum Regi decernere ausim. Aliud est prælio superiorem esse, aliud bello. Acuit sæpe fortitudinem desperatio, & animos resumunt, quorum infamiæ comes it ruinæ metus. Austriacorum consilia uti lentiora sunt, ita & certiora.

Nec

Digitized by Google

Nec nos hic infeliciter pugnavimus, intercepta hostium classe, quam malis avibus duxit Iohannes Nassovicus. Illam victoriam versibus celebravi, quorum exemplar mitto. Vale Vir amplissime & humanissime. Amstelod. 20 Octob. 1631.

191.
PETRO CUNÆO.

VAlde me perculit casus optimi juvenis Thomæ Honerdi, utriusque nostrûm amici, quem apud Genuates in sacras manus incidisse scribis. Monstrum illud S. Inquisitionis nocte volat, cœli medio, & quot corpore plumæ, tot vigiles oculi subter. Non dubito, quin famuli scelere ac perfidia delatus fuerit. Nam qua est ætate & prudentia, ignorare non potuit peregrinantibus ἐχεμυθίαν [*silentium*] convenire. Evadet tandem, sed non sine impensis & parentum dispendio. Eandem aliquando sortem expertus fuit Dominus van Loo, importunè, cum illic esset, facundus. Non inconsultum arbitrarer, si literas D. Heynsius det ad Holsteinium præfectum Bibliothecæ Vaticanæ, ut si forte Romam abducendus sit, pro Honerdo intercedat. Solent namque istiusmodi negotia felicius sæpe confici privatis intercessionibus, quam Principum, qui in partibus sunt. Sensit hoc Realius noster, cum Viennæ detineretur, cui Ordinum imperiosiores literæ nocuere, profuere verò quam maximè Catholicorum quorundam

Digitized by Google

rundam Amstelodamensium ad patres Iesuitas familiares literæ. Scripsit mihi Hamburgo ampliss. noster Consul A. Oetgens, Germaniam universam ad nuperam regis Suecorum victoriam contremere, & Erphordiam jam, Thuringiæ metropolim, occupasse. Tillius exercitus reliquias colligere dicitur ad Visurgim. Hamburgenses, dum incerta belli cogitant, Cæsari magis quam Sueco favent. Regem parva primum, & exigua militum manu molientem contemsit Cæsar; jam majora molientis impetum vix sustinet. Duos istos Soles Gustavum & Ferdinandum non fert Germania. cedendum erit alterutri vel armis vel fato. Vale amiciſſime & tuos saluta. 1 Nov. 1631.

192.

E I D E M.

Vir amplissime, cognate dilectissime,

Vidimus hic maledicum istud carmen I. Westerburchii, Aretalogi Dordraceni, adjectum Thesibus Polyandræis, quo non solum in Remonstrantes, vulgi hactenus fabulam, verum etiam in Rectores hujus urbis impudentius debacchatur. Scio hîc lectum esse in Consessu Consulum nostrorum. Qui non tam præconis istius audaciam mirantur, quam quod scripta istiusmodi thesibus suis subjungant Theologi vestri, quin & valvis Academicis affigi sinant. Fortè & hoc Perseverantiæ sanctorum κριτήριον [*indicium*] esse putant, τὰς δόξας βλασφη-

Digitized by Google

μεῖν. [*dignitatibus maledicere.*] Non deerunt hic poëtæ, qui carmen istud simili perfricabunt sale. Qui sapiet, abstinebit à contactu. Grotium nostrum appulisse non ignoras. In illum novis animis insurrecturi videntur, quibus ægrè est hic conspici hominem, causæ innocentia & invidendis virtutibus subnixum. Nescio tamen, an rebus suis vir prudentissimus benè consulat, quod Gallia deserta, in qua maximum est ejus precium, hic se hostium suorum furori & invidiæ denuò objiciat. Interim benè ominor, & post tempestatem spero affore alcyonia. Iam in procinctu est, uti de Schola nostra pronunciet Curia. Quanquam ea res me minus sollicitum habeat, quam collegam meum. Scribit ex Anglia Vossii filius, illic militem conscribi Regi Suecorum in subsidium. Is pergit ἀρίστευειν, [*bene rem gerere,*] & Episcopali mitra ab Herbipolensibus donatus, ad Augusti exemplum, Imperatorem simul & Pontificem aget. Tempus est, uti sua convasare incipiat Palatinus, & de repetendo Palatinatu cogitet. Vides quam benè de rebus communibus & salute publica sperem. Affinem tuum Zeistium hac vespera apud me in cœna detinui, nec passus fui eum sine meis ad Te litteris abire. Vale Vir clarissime & charissime. Vxorem, socrum, liberos salute. Amstelod. 15 Nov. 1631.

193. IA-

Digitized by Google

193.

IACOBO NIENDALIO.

Doctissime Niendali,

Cœpit non leve tui esse apud me precium, cum disticha illa pauca fortè legerem, quæ Itinerario D. Erpenii præfixisti. Videbantur mihi sapere erectius ingenium, nec carere acumine ac genio, quem in Poëtis quam pluribus desideramus. Itaque judicavi jam tum, si studium hoc excolere diligentius animus tibi esset, præclarum aliquid te ac dignum tua indole scripturum. Nec fefellit me mea divinatio. Scaldis tuus devictus fidem facit, nihil de te sperari posse, quod non spem superet. Ostendisti illo poëmate, nec à poëtica inventione te destitui, nec à dictione, nec à gravibus istis sonis, quos Epicum carmen exigit. Perge isto pede, & summorum poëtarum, quos prisca ætas tulit, vestigiis insiste. Illos postquam admirari cœpi, senti me non parum in istis studiis profecisse. Ego jam canendo fessus barbiton ad Palladis ædem suspendi. Tu prodi in theatrum & emerito succede novus vates. Argumentum suppeditabit Patria, Princeps, & felicitatis publicæ privatæque donator Deus. Vale Niendali doctissime & humanissime. Amst. 20 Nov. 1631.

194.

PETRO CUNÆO.

IAm vidisses me, virorum doctissime, & cognatorum charissime, nisi ex relatu, nescio

Digitized by Google

cujus, intellexissem, apud vos esse Avunculum tuum D. Regemorterum, qui cum venire non soleat sine appendicibus & apparatu, nolui familiæ tuæ numerum hoc tempore augere. Præsertim, cum & hyemis inclementia & uxoris tuæ ac meæ non dispar condicio idem mihi, quod tibi, suaserint. Verebar insuper, ne dum apud vos sum, Curia fortè contra nos pronunciaret, & sic ludibrium quibusdam vestrûm deberem. Vt verum fatear, jam me Leidæ desiderium capit, & tui præsertim, quem inter amicos complures habui non uno nomine primum. Non poterit sermonibus nostris deesse materies, sive lætam, sive non omnino lætam voles. Nec enim prorsus ex voto bonorum eunt res publicæ, nec prorsus præter votum. Senatus noster Scholastica jam se lite expedivit. Supereſt alia, quæ longius Syrma trahit, propter illos ἑλκεσιπέπλους, [*longa trahentes pallia*,] si Troadum epitheto alludere liceat, ad Calchantes nostros. Nempe expectamus indies, uti in Presbyterio locum sibi eligant illi, qui apud nos Mosen repræsentant, quem libri tui titulus, optimo exemplo, Aaroni socium facit. Hoc si ferrent Ecclesiastæ Amstelodamenses, posset sine motibus res hæc abire. Quia Aaronis mentionem feci, libet referre quorundam anxiam nimis subtilitatem. Quiritantur Mosen in titulo libri tui à siniſtris stare, Aaronem à dextris, ac si huic primæ, illi secundæ in populo Dei partes tribuerentur. Sed hæc non sunt curæ Hippoclidi.

Interim

Digitized by Google

Interim gaudeo Curiæ utriusque Senatores Amstelodamensium institutum probasse. Minus invidiæ ac quærimoniis obnoxium esse solet, quicquid à potentioribus jure geritur. Peripatus nostra propediem suâ formâ spectabitur. Erectus est suggestus, expectatur doctor. Lectionum initium fiet, ut opinor, ante Calend. Febr. sub Consulum, quos præsente anno habuimus, auspiciis. Vtinam illud Scholæ huic decus afferre possem, quale afferri à Professore par est. Annitar pro virili. Nec deerit laboribus meis summum Numen. Libros tuos de Republ. Hebræorum, ut omnia tua, exosculatus sum. Magnum illorum hic apud non vulgariter doctos precium est, tum ob observationes Thalmudicas, quas apud ipsos autores legere cujusvis non est, tum ob dictionis Romanæ, qua omnibus hujus seculi doctis præcellis, puritatem. Ego, quæ Philosophorum pulpam sapient, hac æstate, si Deus siverit, reponam. Libros meos de Sceptica Philosophia, oppositos libris tribus Pyrrhoniarum Hypotyposeon Sexti Empirici, magnam partem absolvi. Si trimestre adhuc feriari licuisset, potuissem absolvere. Sed nolim hæc alios scire, ne videar aliquando, operis minus eruditi expectatione, vos detinuisse. Vale Virorum summe, & domesticis omnibus salutem imperti. Tua feliciter pariat, nec mea infelicius. Si Imperatores essemus, sat multis munimentis insisteremus. Amstel. 28 Dec. 1631.

Digitized by Google

195.

EIDEM.

BInas tuas literas accepi, Cognatorum charissime, & celeberrime, quarum prioribus adjunxeras pyxidem unguentariam pro quo munere gratias tibi agit uxor & uxoris maritus, quem non potes non nosse. Illa jam meliusculè habet, postquam ἀπόστημα [*apostema*] aperuit chirurgi novacula. Dolendum profectò facilem istum sexum tam difficili, ac crudeli egere curatione. Quid facias? ex primæ matris transgressione, hæc matribus nostris incumbit calamitas, ut etiam de illis verum sit dicere, πολλάκις γὰ ξυμπᾶσα πόλις, &c. [*sæpe enim tota civitas.*] Infans, Iacobus nomine, athleticè valet, & nocturnis clamoribus ædes meas implet. totum diem stertit, securus quid Tiridaten terreat. Divisum imperium habet cum reliquis mortalibus, qui noctu dormiunt, de die vigilant. Misi nuperrime tibi per Doctorem Tollium exemplaria orationis meæ incompacta, quod inofficiosum officium rogo boni consulas. Festinabat ad vos amicus iste, itaque dabam illi, prout ad manum erat, sine veste Dianam, oblitus & officii mei & honoris vestri. Lis Ecclesiastica, Senatum inter & Presbyterium hactenus exagitata, ex voto Magistratus composita est, intervenientibus Synodi Delegatis. Transactum his condicionibus: uti ad Calend. Maji proximas σωνεδείαν [*consessum*] differat Senatus: quæ super hac re

Digitized by Google

re acrius ex umbone disceptata fuere ἀμνησία [*oblivio*] aboleat, præterea ut sententiam dicant Senatus delegati deliberativam, non decisivam; denique ne in Ecclesiastico ordine quicquam benè positum innovetur, & sic hi motus animorum, atque hæc certamina tanta, pulveris exigui jactu compressa quievere. Quam apud vos animosè pro famulo peroraverit Razivillius, intellexi. Ita Agamemnonem allocutus fuit commotior Achilles. Rectoris tibi munus & dignitatem gratulor. Non alius istas magnificentiæ partes obit dignius graviusque. Rectoratum tibi opto facilem, & qui sine magnis motibus tibi & Academiæ decurrat. Vale Vir clarissime & dilectissime. Vxorem liberosque meo & uxoris nomine saluta. Amstel. 14 Febr. 1632.

196.

EIDEM.

VIr clarissime ac cognatorum dilectissime,

Non sinunt me diutius elinguem esse publica gaudia, quibus luculentam materiem præbuit hæc æstas, sub Principe feliciter forti & prudenter audaci. Iam Musis æger & tristior valedixeram, abdicaveram à me Phœbum, Gratias omnes, & studia ista amœniora, quibus impensius me addictum fuisse profiteor. Verum uti Miltiadis trophæa somnum adimebant Demostheni, ita mihi veternum excutiunt Principis nostri stupendia usus, ac felicissimi successus. Malui balbutire & dissonum epos scribere,

Digitized by Google

quam obmutescere, præsertim cum non deessent hic, qui hortabantur, ne grande hoc Reip. nostræ incrementum indictum sinerem. Tentavi itaque veterem cantum, qui si minus placebit exactis ad omnem elegantiam auribus, officio tamen pietatis, & profusioris in Patriam & Principem affectus probari fortè poterit. Voluissem limatius esse, quod scripsi, Poëmation, sed non vacat longius hisce studiis immorari. Παρεργα [*operis accessiones*] nunc sunt, quæ olim cum otium abunde suppereret, ἔργα [*opera*] fuere. Quamobrem Areopagitica judicia deprecor, & Minois frontem. Non semper tonat Iuppiter, sed subinde murmurare in nubibus contentus est, nec fulminat semper, sed & leviusculè fulgurat. Quæ amicis inscripsi exemplaria, velim per filium aut ancillam exhiberi, ubi commodum fuerit. Vale Vir clarissime ac præstantissime. Vxori liberisque, D. Heynsio, Vorstio aliisque collegis salutem plurimam uti dicas rogo. Amstel. 1 Sept. 1632.

197.

EIDEM.

Cognatorum clarissime & charissime,

Venerunt ad nos filii tui salvi & incolumes. Exhilarabar ipsorum conspectu, & videbar mihi jam aliquatenus te frui posse. Gaudebat non minus Casparus noster, qui jam animo ad vos cogitabat. Feriæ sunt trivialium Scholarum, & dies hosce aliter quam feriando transigere

Digitized by Google

gere nefas puerulis videtur. Itaque non est quod operosè efflagites, ut eum Leidam excurrere patiar, quem missurus fuissem ultrò, nec invitatum. Veniet, Deo volente, & cum tuis trigam faciet. Gloriabitur, opinor, se argenteo calamo donatum à Scholarchis, ob benè scribendi peritiam. Princeps noster hactenus urbes expugnavit; jam provincias deditione accipit: Gratulor & faveo egregiis Patriæ successibus. Sed hoc in aurem Tibi dicere aulim: Aut jam debellandus omninò est hostis, & ad pacis conditiones compellendus, aut exhausto ærario debellamur ipsi. *Amici*, dicebat veterum aliquis, *si sic iterum vicerimus, perimus*. Excrescunt in immensum rationes & nomina publica. Bene mecum actum puto, quod pro illis non sponderim. Viderint προεστῶτες. [*præpositi.*] Nostrûm est animis ac linguis favere. Vale vir clarissime, & uxorem, socrum, liberos & amicos per occasionem saluta. Raptim. Amstelod. 20 Sept. 1632.

198.

ROCHO HONERDO.

ARionem tuum inter æquoreos Deos canentem legi, amplissime Honerde. Ita & Augustum àliquando inter Romanos suos, Apollinis habitu consedisse opinor. Ficto Arioni favit olim mutus piscis,

Quamvis mutus erat, voci favisse putatur
Piscis, Arionia fabula nota lyra.

Digitized by Google

At ego cantui tuo faveo, non exemplo muti delphinis, sed ejus qui carmini tuo potest εὐφημεῖν, sive linguis favere. Imperii nostri momenta prudentiæque civilis voces, veste involvis poëtica. Prima & summa rerum nostrarum exequeris, & Duces laudas, per quos hactenus inconcussi stetimus. Vtinam hæc intelligere concessissent æquiores Musæ Principi, cujus illa laudi destinasti. Meruit inter astra referri Delphinus Arionis sospitator. Quamobrem nos majore jure te Principum Encomiasten Dis Superis miscebimus. Arionem citharædum morti subduxit piscis. Tu tenebris & oblivioni longè majora nomina. Videris mihi à senecta vires capere, & à canicie dicendi scribendique vim. Qua ætate in aliis languet vatum furor, in te gliscit. Verè Arionii sunt versus tui, qui non solum doctissimos viros D. Cunæum, Vossiumque affecere, sed & ipsos castrenses Delphinos demulcere queant. Gratias Tibi ago maximas, quod meis quoque auribus istum tuum citharædum indulseris. Qualis sopor fessis in gramine: tale tuum carmen nobis divine poëta. Vale Vir amplissime & doctissime. Salveat à me uxor, & filius mediis elapsus Achivis, Loyolitis volebam dicere. Amstel. 16 Octob. 1632.

199. PE-

Digitized by Google

199.

PETRO CUNÆO.

Cognatorum & doctorum celeberrime,

Poëma ampliſſimi Senatoris Honerdi Hagam ad autorem remiſi, additis literis, quibus quid de Arione iſto ſentiam, expoſui. Iudicabis mecum & poëtæ ipſum partibus probè defungi, & juxtà viri prudentis. Qui ne ſummorum Principum illuſtris memoria exoleſcat, Patris Auriaci laudes filiorum gloriæ ſociat. Vtinam ſicut inter æquoreos Deos canens Arion ſalvus evaſit, & in terram expoſitus fluctibus ſubductus fuit: etiam Patriæ noſtræ aliquando contingat poſt bellorum tempeſtates in pacis portu reſpirare. Omninò mora opus eſt & belli remiſſione, ut quaſſam Reip. navem reficiamus. Audio Æolos contra flare, nec ferre mitem Favonii aut Zephyrorum auram. Vale vir clariſſime & amicorum amiciſſime. 18 Oct. 1632.

200.

GODEFRIDO DE HAESTRECHT.

Nobiliſſime Haeſtrechti,

Scribit Horatius ad Iulium Florum in hæc verba:

Iuli Flore, quibus terrarum militet oris
Claudius, Auguſti privignus ſcire laboro.

Ego verò non minus ſcire deſidero, quibus terrarum oris degat Haeſtrechtius meus, vir ad omnia

Digitized by Google

omnia ſumma natus, & ejus capax fortunæ, cujus nec ipſos heroas pudeat. Scripſiſſem jam pridem. Sed neſcio an Diœceſis te habeat Trajectina, an Brabantia, an Hollandia. Si me ſoſpitem eſſe cupis, fac me certiorem, ubi vivas, quomodo vivas & cum quibus vivas. Te incolumi ſentio mihi quoque vires addi. Cum dubio nuper Marte obſeſſa eſſet Trajectum ad Moſam, familiarius, uti inter amicos fieri ſolet, confabulari ſumus. Iam inclinationem in partes noſtras fecit Mavors, & facta eſt ad Rempublicam noſtram egregia acceſſio iſtius urbis expugnatione. Si dubitas, eximet animo tuo dubitationem omnem hoc meum Poëma, quo Principis noſtri heroïcos auſus executus ſum. Vbi à venatione te recolliges, illud lege. Videbis me non fraudaſſe debitis laudibus illos duces, qui pro rege Hiſpaniarum res præclarè geſſerunt. Didici etiam in hoſte laudandam eſſe virtutem. Quam vellem, ita viſum eſſet ſuperis ac terreſtribus Dîs, uti tandem coëant in pacis, aut induciarum federa Belgicæ populi. Quid expediat, judicare non eſt meum. Supra captum poëtarum ſunt regnorum momenta. Illud tamen audeo eloqui, me præferre tutam pacem pertinaci bello. Vale amiciſſime, & fac videam propediem valetudinis tuæ indices literas. 14 Nov. 1632.

201. VIN-

Digitized by Google

201.

VINCENTIO FABRICIO.

Literas tuas, doctissime Fabrici, una cum Oratione tua mihi tradidit vir officiosissimus Vichevortius. In literis omnia mihi placent, præter ea, ob quæ me tibi placuisse scribis. Nec enim illa in me agnosco, quæ mihi affingis, nisi fortè tu ea perspicere potes, quæ in aliis potius, quam in me reperias. Quare superlativos tuos, quos in me congeris, amolior, ratus tutius mecum agi, si inter humiles positivos stem. Nam comparativis accenseri non minus odiosum esse nosti. Loquar tecum familiarius. Scribis te Hamburgensem esse. Verùm aut ego vehementer fallor, aut nihil Saxonicum vel Hamburgense sapit tua dictio & scribendi genus. Germania superior, si pleraque ingenia spectos, hodie inferior jure dici possit. Te aliosque excipio, qui soli indole erectiores animos geritis, & inanibus sonis non contenti orationem componitis ad masculas periodos, in quibus nec nervos desideres, nec succum bonæ mentis. Nec est quod febres, catharros aliasque sordes objicias. Optimè à morbis & sordibus sibi cavent, qui istis mederi possunt. Gratulor Leidæ, quæ Encomiasten nacta est etiam inter peregrinos. Debebant lautius haberi, qui tam erudite, tam laute & copiose de Fame publica verba fecerunt. Audio te operam tuam addixisse doctissimo, & mihi amicissimo viro D. Swaer-

Digitized by Google

D. Swaerdecronio. Non pœnitebit te hujus instituti. Frueris tali viro, quales si omnibus Scholis essent præfecti, uberiorem doctorum sementem referrent Batavi. Amicitiam meam, quam expetis, offero tibi dosi quam maxima, etiam ad libras. Valde hoc munerum genere liberalis sum. Vale Vir amicissime, & me ama. 4 Dec. 1632.

202.

PETRO CUNÆO.

QVanquam quod scribam non habeam, illud tamen scripsisse operæ precium fuerit, me per triduum ex oris ulcusculo laborasse. Adeo ut coactus fuerim à lectionibus abstinere, ut affectæ parti quies esset. Sentiebam loquendo exasperari malum. Convaluit jam per Dei gratiam illa corporis particula, sine qua nobis non licet esse professoribus. Nolui hoc te ignorare, cum indulgens sibi fama exaggerare sæpenumero soleat aliorum mala. At quantus, mi cognate, bellator, quantus heros occidit, morte quidem illustri, sed luctuosa Sueciæ & universo orbi Christiano. Sic Decii occubuere, sic salvo exercitu & clypeo Epaminondas. Nisi de novo exercitus Duce inter Germanos & Suecos conveniat, recuperabit facile amissa Cæsar. Multi Duces Cariam perdiderunt. Vtinam in acie non stetisset, sed præliorum periculis exemptus summæ rerum se reservasset.

At nunc magna Ducis sub terras ivit imago.

E Gal-

Digitized by Google

E Gallia demum profugit regis frater, novas iras colligens, ob necem Ducis Montmorancy. Ego Principi ad suos reduci gratulor. Vale. 10 Dec. 1632.

203.

CONSTANTINO HUGENIO.

BEnè habet, Nobilissime Hugeni, quod carmen meum Dis Superis, inferis & terrestribus gratum fuissem nuncies. Licet quos tu inferos Deos vocas, apotheosi donare soleat & inter indigetes referre Romanus antistes. Nec tamen repugno inferos dici, qui in inferos imperium exercent, & pallentes animas modo evocant Orco, modo ad tristia tartara mittunt. Te verò ex eo loco subductum gaudeo, ubi vel peste vel armis itur ad genium Cereris. Sæpius tui cura animum momordit, atq; hęsit sub pectore fixa:

Sive quis Antilochum narrasset ab Hectore victum,
Sive Menœtiaden falsis cecidisse sub armis.

Non quod credam te inter bellatores stare, sed quia castrensi morbo plurimos exstingui rumor est. Hactenus te servavit Apollo, & ut porrò servet propitius Deus rogo ac precor. D. Brosterhuysium, quem mihi commendas, totum in animo gero, & ubi oportunum erit, luculenta commendatione tradam iis, penes quos potestas est distribuendi munia publica. Factum etiam id ante per occasionem. Sed lentis hîc maxillis, non editur quidem, sed decernitur. Expectandus alius fabarum jactus. Non loquar explicatius. Mitto lachry-

Digitized by Google

lachrymas, quas in amiciſſimi viri obitum fudi. Is Hamburgi fide conjugali egregiæ Virgini obſtrictus ſtatim à ſponſalibus obiit. Vale Vir præſtantiſſime, & Barlæi tui memoriam ſine ſubitide recurſare animo. Amſtel. 14 Decemb. 1632.

204.

ADRIANO PLOOSIO.

FEriæ jam ſunt apud nos, nobiliſſime Plooſi, & ſicuti de rebus Patriæ jam loqui ceſſant Irenarchæ, etiam nos fibulam profeſſoriæ linguæ ad dies aliquot impoſuimus. Quare liberior & expeditior circunſpicere cœpi, quibus mihi ex officio ſcribendum putarem. Inter eos occurriſti inter primos, quem & publica & privata merita arctius mihi junxerunt. Et licet nihil habeam curis tuis dignum ſcribere, tamen libuit, ne non ſcriberem. Intellexi in eorum te eſſe numero, quibus demandatæ partes de induciis deliberandi. Grandis profectò illa provincia eſt, odio non minus quam gratiæ obnoxia. Imus enim & hîc in partes Batavi, dum aliis pacis aliis belli ſtudia placent, aliis lorica, aliis toga, aliis tuba, aliis tibia; his clypeus, his pilea. Audio hic diſcrepantes valde & diſſonas noſtratium ſuper hoc argumento voces. Quibus induciæ diſplicent, his ferè nituntur præſidiis: Illas ab hoſte peti, quia adverſo ſe Marte fractum videt, & terras ſuas excurſionibus noſtrorum patere: pacis artibus uti, ut magis nocendi

Digitized by Google

cendi oportunitatem captet: frequentius conventionum pacisque simulationes credulis, quam arma nocuisse: per inducias spatium hosti dari recolligendi vires suas, ut acrius in nos insurgat: futurum forte, ut induciarum tempora nobis currant nec pace læta, nec bellis illustria: languere tunc disciplinam militarem, negligi urbium tutelam, segnitiem subire belli ducibus, qui Martiis curis expediti turpibus se dare solent, & luxu effeminari: urgendos esse felices belli successus, iisque instandum: cogitandum quid de non ineunda cum Carthaginensibus pace suaserit Nasica: vacuam armis Romam civilibus bellis periisse: otio glisscere domesticas liticulas & sublato exteri hostis metu incrementa capere: à Cæsare fortè & per latus Germaniæ peti nos peti posse: Palatinorum Principum habendam rationem: hos alia ratione restitui non posse, nisi flagrante ubique bello & adactis ad incitas Austriacis: consulendum sociorum armis Sueco & Gallo, quibus gravis est Austriacæ domus potentia &c. At quibus olivæ sapiunt, ita disserunt: Bella & juste suscipienda esse & finienda: aliud pietatem, aliud utilitatem publicam suadere: prudentiæ esse, victoriæ suæ modum ponere: nimia bellaturiendi libidine sæpe parta amitti: fortunam reverenter habendam; ludere eam in bellis, & momento vultum mutare: aliud esse urbibus aliquot exuisse Hispanum, aliud bello superiorem esse: fortitudinem in hoste sæpe summa re-

Digitized by Google

rum desperatione acui : acciſa quoque esse æraria noſtra : civium loculos plus æquo ſollicitari, & tonderi gregem non ſine multo murmure : bella inter calamitates esse, & divinæ iræ flagella : in Germania magis incommodo noſtro, ob impedita commercia, quam commodo pugnari : Gallum facile ſe bello expedire posse, nos minus, & quæ ſunt hujus generis plura. Ego, vir ſumme, judicium non interpono. Arcana potentum ſcrutari nec muneris mei eſt, nec virium. Fruor apud me tacitus horum meditatione, nec ultra me fatigo. Patriam ſalvum cuperem ſeu pace ſeu bello. Ad te, Vir ampliſſime, liberius hæc ſcribo, quia ſcis ſine Poëtis hæc negotia confici posse. Vtcunque res iſtæ cadent, melioris famæ precium merentur, qui vel cum hoſte tranſigent prudenter, vel ſi ita res exiget, ſtrictum mucronem denuo intentabunt. Scripſi Epigrammata duo, unum pro Induciis, alterum pro Bello, in gratiam diſcrepantis Reipublicæ. Eligant vel hoc vel illud, quibus aut calidus eſt circum præcordia ſanguis, aut detumuerit bilis. Mitto utrumque, ut animum à publicis curis feſſum noſtris luſibus recrees. Vale Vir nobiliſſime. Deus Opt. Max. tua & aliorum patriæ patrum conſilia ſecundet, ut ea decernatis, quæ ex re erunt Fœderatorum. 16 Dec. 1632.

205. IOH.

Digitized by Google

205.

IOH. ISACIO PONTANO.

Clarissime Pontane,

Nihil est, quod non tua causa libens & facere & suscipere cupiam. Iunxit nos, præter alia, artium ac disciplinarum liberalium commune studium. Facile hæ artes, quia liberales audiunt, humanitatis officia à cultoribus suis impetrant. Quod petis Nuptiale carmen, mitto. Nolui operosum poëma scribere, tum quod sciam illud te non expectare, tum quod Poëta & Veneris puer longas moras oderint. Hujus res furore & impetu geruntur. Nec minus Poëtæ præcipites motus amant, & suo quoque furore, si Platoni fides, aguntur. Quare Epigramma hoc, aut Epigrammati affine carmen benignè interpretare. Tibi vero, filiæ tuæ, ac sponso nuptias istas gratulor. Faxit summus ille conjugiorum proxeneta, uti votis tuis respondeat nuptiale hoc fedus. D. Antonio Matthæo genero tuo, viro eruditionis & pietatis fama celebri, me & officia mea omnia, prolixè defer. Theses tuas Physicas legi, in quibus omnia placent, illa thesi excepta, qua statuis elementa esse primum rerum materiam, adeoque nulla forma substantiali esse prædita, sed accidentia & primas qualitates habere pro forma. Quod an Peripatus ferat, valde dubito. Ego supra hac re à te dissentire malo, contendere tecum nolo. Quare rationes contra illam thesin non conge-

Digitized by Google

ram. Etenim de nuptiarum forma cogitanti, minus oportunum fuerit de formis elementorum disceptare. Vale doctissime & amicissime Pontane. Amstelod. 10 Ian. 1633.

206.

CONSTANTINO HUGENIO.

Obilissime Hugeni,

Intellexi ex præstantissimo viro Iacobo vander Burch, desiderari scriptorem, qui res superiore anno ab Illustrissimo Principe ad Mosam præclarè gestas, seculo donet. Quod ut fiat necessarium prorsus arbitror, ne tantum facinus nesciant ii, quorum bono illud susceptum, confectumque est. Me quod attinet, istiusmodi Spartam nactus sum, quæ lectionibus publicis privatisque adeò me fatigat, ut vix in ullum amœnioris studii diverticulum deflectere liceat. Etiam interpellationes amicorum eas mihi horas suffurantur, quæ magis seriis meditationibus largiri cuperem. Quod si Atlantis est, humeros prius suos explorare, priusquam eos cœlo fulciendo commodet, sanè sentio ego, quam sim isti oneri impar. Mediocre poëma pangere concessum mihi, sed historici laudem plane refugio. Prudentia hic opus & stylo ad res istas idoneo, & hoc cavendum quam maximè, ne poëtam in historia agamus, quod Floro multis locis accidit. Etiam D. Heynsii exemplo didici, quam difficile sit res gestas enarrare gravi oratione, assuetis canere. Forte unus hoc dissi-

Digitized by Google

dissimulare potest Grotius. Et quis egò, qui illud argumentum tractare audeam, hoc seculo, quod vel ob leviter malè sectum unguem stomachatur. Nec est cujusvis Iovem effingere, aut Principe nostra digna loqui. Non hæc mihi vis, aut tantarum rerum capax animus. Loquar cum Horatio: mihi nulla rura, at spiritum parvæ tenuem Camœnæ Parca non mendax dedit. Hoc demenso contentus, statui me meo pede metiri. Non omnibus omnia concessere Dii, aliis πολεμικὰ ἔργα, [*bellica facinora,*] aliis κίθαριν [*citharam*] inquit Homerus, & ἀοιδήν. [*cantum.*] Petiit olim ab Horatio Agrippa, uti sua & Cæsaris bella scriberet. sed excusavit se prudenter Flaccus; illa Oda, cui initium: Scriberis Vario fortis. quanto magis nos, vir magne,

— neque hæc dicere; nec gravem
Pelidæ stomachum cedere nescii,
Nec cursus duplicis per mare Vlyssei,
Nec sævam Pelopis domum
Conamur, tenues grandia. dum pudor
Imbellisque lyræ Musa potens vetat
Laudes egregii Principis & ducum
Culpa deterere ingeni, &c.

Certè alium vocat iste labor, cui pectore pleno defluit historicæ felix opulentia venæ. Non dero meis partibus, sive belli portas claudent Induciæ, sive eas claudi non sinet publica Federati Belgii prosperitas. Vale. 3 Febr. 1633.

Digitized by Google

207.

ERYCIO PUTEANO.

Amplissime doctissimeque Puteane,

Legi Stateram tuam, qua Pacis & belli momenta rigidè ponderas. In ea nescio, an pietatem magis tuam, an facundiam, an prudentiam mirari debeam. Pius es, quia pacem suades. Doctus, quia ita suades, ut dictionem rebus, res dictione acuas. Prudens, dum ex præteritis, & præsente Reipublicæ statu, de futuro sapienter conjectas. Vtinam ad saluberrima tua consilia attendant vestrates & nostrates. Et jam attendunt, affectu hactenus meliore, quam effectu. damus hoc rerum magnitudini. Non facile coalescunt partes tam diuturno bello distractæ, fortuna succesſibusque dispares. Conficiet forte mora rem, cujus expectatio molesta est pacis cupidis. Eam ut vos magis desideretis, quam nos, causæ sunt non leves. Iam paries vester Lovanienſis, proximus Trajecto ardet. à belli viciniore incendio metuitis vobis Grudii, nec immeritò. abitum parat Apollo, quoties tonat & fulminat propinquus Mavors. Vbi hic æstuat, frigent studia, rigent Musæ, congelascit Hippocrene. Illud miratus fui, tanta te libertate loqui in Hiſpanorum regno. apud quos vix sentire licet, quod velis, nedum eloqui, quod sentias. Scribis quæ vera sunt, & salubria vobis & nobis. Vos ut ab armis abstineatis cogit necessitas, nos de pace cogitare monet pietas. apud vos

Digitized by Google

vos plus querimoniarum eſt, apud nos pecuniarum. Vos præſens rerum facies terret. nos futura fortè. De vobis dicitur, diſtrahi animis proceres veſtros, flere æraria, conqueri militem. quæ nobis minus objici poſſunt. Deterior ſors adverſam fortunam deplorantium, quam metuentium. Belligerare generoſum admodum eſt, ſed & cauponari bellum, familiare quoque fuit Romanis. E pace lucrum ſperat, quisquis victus eſt & inferior. Transactione impetrare ſtudet, quæ ab armis ſibi promittere non audet. Sed de his cogitent Irenarchæ. Quanto utilius paciſcemur, tanto erit Federatis gratior pactio, quo tutius, utrisque. Ego vir ſumme tuis votis ſubſcribo, & ſubſcribunt omnes, qui togam tubæ præferunt. Non ſcribo hæc, ut aut vobis exprobrem, aut de rerum noſtrarum ſtatu confidentius præſumam. Sed ut videas Hiſtoriographum & Philoſophum, Conſiliarium & Poëtam, Lovanienſem & Amſtelodamenſem Profeſſorem, eadem credere, eadem vovere, eadem loqui. Vale præſtantiſſime Puteane, & qui pacem fortiter ſuades, æternam mecum ſpera. 4 Mart. 1633.

208.

PETRO CUNÆO.

Cognatorum chariſſime & doctorum clariſſime, Cum nuperrimè libros Ethicorum Ariſtotelis auſpicarer, Oratiunculam habui de conjungenda in Principe Virtute & Prudentia, ad-

Digitized by Google

versus Machiavelli maximas, & consilia ista minus sana, quæ Principibus suis Florentinis olim suggessit. Ita eunt res humanæ. versutia magis in Rerump. rectoribus, quam honestas ipsa laudatur. Latè imperare, regni fines promovisse, regium creditur, quibus verò id artibus fiat, curamus scilicet. Omne punctum tulit, non qui sanctè & honestè, sed callidè imperat. Putavi ego, non alienum esse ab Ethici officio Virtutis & Honesti causam rigidius agere, adversus illos, qui præter utilitatem, & commoda imperantium nihil crepant. Nec desinent, opinor, Principes Machiavelli ζῆν, etiamsi & vivus vapulaverit Machiavellus, & mortuus etiamnum mihi vapulet. Mitto Tibi exemplar ex more & officio. Cui omnia mea hactenus credidi, etiam hoc commentum meum credere audeo, quod si non ab ingenio & doctrina, ab honesti tamen patrocinio veniam facile impetrabit. Vale Vir clarissime & amicorum humanissime. Ita loqui libet, quia hæret animo infixa humanitas illa tua, qua me cum Leidæ essem, nimis officiosè excepisti. Expecto uti etiam meæ erga te humanitatis, & benevolentiæ periculum aliquando facias. Raptim Amstelod. 9 Aprili 1633. Salveant uxor & familia omnis.

209.

CORNELIO VANDER MYLE.

Nobilissime Myli,

Iam pridem filiæ tuæ nuptias celebrasti,

Digitized by Google

sti, quod non nisi sero, & post peractas nuptias rescivi. Nunc filii Tibi charissimi exequias celebras. Ita læta tristibus temperat sapientissimus rerum humanarum moderator, nec adeo sinceram vult esse voluptatem nostram, quin sollicitum aliquid illi intervenire patiatur. Ego Tibi ex animo condoleo, ut qui juvenem illum ob eruditionem, modestiam & morum gravitatem unice amaverim; etiam ob indolem, quam à parentibus optimam acceperat. Habuit illum jamdudum Gallia, sed non reddidit. Vidit, sed patriæ suæ, proh dolor, invidit. Libet enim jam plusculum Lipsianizein. Nescit nimium dolere, quisquis pius, quisquis Christianus est. nec potest non dolere, quisquis pater est. Hoc affectus est, illud religionis. Levius fit patientia, quicquid ab homine corrigi nefas. Primum mortalitatis solatium est, moriendi necessitas. Atque ut amandi sunt liberi, quia naturale; sic, quia naturale quoque est eosdem mori, in hoc, ut in cæteris rebus, cedendum naturæ. At, putas non vivere filium? Certe, non aliam vitam sapientis esse credidit magnus ille Socrates, quam eam, quæ animæ est à corpore separatæ. Putas mortuum esse? non arbitrantur Philosophi illos mori, qui vixerunt bene. Pergunt expeditius & serenius vivere, qui sine corporis impedimentis vivunt. Quibus vita per scelera & omne flagitiorum genus acta est, in vivis mortui sunt, utcunque illustri loco positi. Luges natum genitor. at, cum audies ab Anaxagora, te mortalem

Digitized by Google

genuisse, lugebis minus. Differebat inter familiares suos Philosophus ille, de rerum natura, earumque ortu ac obitu. cumque de filii morte nunciaretur, postquam paululum tacitus subsitisset, conversus ad illos, Sciebam (inquit) me mortalem genuisse. Parentis partes sustines, & inter patriæ patres assessoris. Hujus est infracto esse animo; illius, moderate affici iis malis, quæ mala esse negat gravis & mascula Stoa. Qui ob filii mortem lugent, ob hoc lugere videntur, quod non lugeant illos filii. Si durum est, amisisse bonum; illud juvet, hactenus non habuisse malum. Minus enim malum est, quod ex parte malum est, quam quod omni ex parte. Et ea vitæ humanæ conditio est, ut ægrius feramus malorum præsentiam, quam absentiam boni. Hic siquidem solo damno, illic sensu miseri sumus. Si filii adspectu te frui nolunt Superi, volupe erit, virtutum ejus meminisse. Fuit tuum istud depositum. at magis Dei. Deposuit apud te educandum, & in patrias artes erudiendum. repetit in spem patriæ educatum adolescentem is, qui prior dederat. Nec credendus est inique repetere, qui sua, non nostra repetit. nec credendum est, præmaturè repeti, qui ad mortem maturus fuit, ex quo natus fuit. Quo quis citius in portum applicat, eo celerius vota exsolvere debet. Navigantibus similes sumus, qui dum longius, oborta tempestate, navigare prohibentur, in proximos sinus deflectunt. Flores plurimos videmus, quos in ipsa ἀκμῇ & vigore tolli tempestivum

Digitized by Google

ſtivum eſt. Sed malles domi obiiſſe, inter amplexus tuos & matris, inter fratrum & ſororem voces ac poſtrema officia, inter amicorum circumſtantium fomenta & auxiliatrices manus. At, ſi Mathematicis fides, ſive Bruxellis, ſive Romæ, ſive Hagæ obierit, domi obiit. Si terra punctum eſt, ſi puncti nulla ſunt intervalla, ſane domi moritur, quisquis ullibi. Verum ut gravius quid & exactius loquar, nemo moritur domi, qui ſcit ſe hic in terris cœlo, hoc eſt patria extorrem eſſe. Omnis noſtrum mors, exulum eſt, non indigenarum, hoſpitum, non civium. Nec ignoras, doctiſſime Myli, qua oratione apud Ciceronem Cato & Lælius filiorum deſideria ſolentur, quid animi fuerit Pericli, Xenophonti, Paulo Æmilio in iſtiusmodi caſibus. Noluit ſe miſeram vocari Livia, amiſſo Druſo, noluit major Cornelia, amiſſis filiis. Felices potius ſe dixere, quod tales genuiſſent. Fateor, graviſſime tulit M. Antoninus Imperator, Philoſophus dictus, ſortem ſuam, quod Commodum filium haberet. Et nota ſunt Auguſti carcinomata, qui optaſſe fertur, cœlebs vixiſſe, & ſine natis. Talem ſi amiſiſſes, doluiſſes merito non rediiſſe ad meliorem mentem. Iam, cur pium lugeas? qui inter beatos vivit, & extra vitæ hujus Symplegadas & ærumnas in tuto eſt. Naturæ beneficium eſt, malam ſobolem abſtuliſſe. ejusdem quoque beneficium eſt, bonam accepiſſe. Gaude, quod habueris reverentem Dei, parentum, præceptorum. Scio qualem formaverim, qualem præceptis

Digitized by Google

ptis inſtitutisque Philoſophiæ abundantem dimiſerim. Nolles forte tabe periiſſe. At tabidi ſumus, quotquot vivimus. In quibus calor humidum, quo conſtamus & nutrimur, depaſcit, ad tabem omnes eunt; & deſinunt vivere, ſimulac incœperunt vivere. Illud diſcriminis eſt; in quibusdam vitalis flammula extinguitur citius, in quibusdam tardius. Alii ad mortem imus, alii feſtinamus, alii repimus. Nemo non vivendo & moritur, & tabeſcit, & mareſcit. Adhæc ſenes fere uno modo moriuntur, adoleſcentes infinitis. Et parum intereſt, quo genere mortis pereat, qui fato & divina voluntate perit. Non curat, qua porta exeat, qui urbe exire cogitur. Qui tabe pereunt, cauſas mortis ſuæ ſoli Deo & naturæ imputant. Qui naufragio, qui gladio, qui incendio intereunt, cum fortuna & cœcæ ſortis iniquitate imprudentius ligitant. Qui filios habent, jam ſollicitos dies, jam noctes agunt, jam ſpes ſuas futuræ conjugi, jam venturis honoribus donant. Ab his curis ſecuros nos reddit ſola mors. Fles morientem. at non flebas naſcentem, cum idem vitæ & mortis ſit principium. Non eſt quod tuam, aut quod illius ſortem deplores. Ille iter vitæ inter Virtutem & Voluptatem ambiguum ſub pedibus calcat. Tu charo oneri & pignori quod timeas, non habes. Fortunæ minas evaſit, & lenocinantis mundi illecebras ac peſtilens contagium. Qui offenſo pede lapidem loco diſcutit, & theſaurum invenit, modicum dolorem lucro ſolatur. Qui moritur, mor-

Digitized by Google

mortis sensum cœlestium bonorum luculenta possessione discutit. Nulla mors misera est, quam felicitas ista animæ excipit. Præoccupavit filius tuus mortem, cujus longior mora æternæ beatitudinis dilatio est. E vinculis, è carcere (loquar iterum Socratice) in libertatem abiit, ex angoribus & doloribus ad gaudia. Quid iniquius? quam amici causam lugere, ubi is se in libertatem ex ergastulo vindicaverit. Emensus est stadium, in quo currimus & sudamus etiamnum. Metam prehendit, palmam tenet, coronam victor habet. Parta victoria, nemo Duces, nemo milites miseratur, sed publicis potius gratulationibus excipit. Vltimos in scena actus majore hilaritate exequuntur Poëtæ. Felix ergo & læta & gloriosa est vitæ catastrophe, quæ placida, quæ pia hominis Christiani morte finitur. Si pergimus dolere, & plangere, invidentibus propiores habebimur, quam faventibus. Nec enim tam bonis frui desiit, quam majoribus gaudere cepit. Superest Filius alter, manu & consilio promptus patriam juvare. In hoc vultus tuus & animus conquiescat, quoties ab illo, quem cœlum tenet, oculos avertes. Animum hactenus, Vir summe, firmavisti constantibus exemplis, nec mentem solidam concussit tibi majorum malorum vis. Non succumbes filii jactura, qui Reip. nostræ, qui Auriacis consilia tua commodavisti, fidem probavisti. Et jam quoque te patriæ cura totum habet. Illi integrum te ac incolumem serva, quæ consilii tui animique eget.

Cæsa-

Digitized by Google

Cæsarem respice, qui audita filiæ morte in Britannia, tertio die Imperatorem agere perrexit. M. Aurelium intuere, qui postquam quinque diebus filium luxisset, ad publica munera rediit. Fertur Q. Martius Rex amisso unico filio spei maximæ, statim à rogo curiam repetiisse. Tulere filiorum mortem fortiter Horatius, Pulvillus, Bibulus, Sext. Pompejus, L. Sulla, aliique. Sed quid ad clarissimorum virorum exempla te voco? cum etiam obscuri homines suorum obitus non modo fortiter ferant, sed etiam præmatura morte ipsis consultum putent. Minus ajunt eos peccare, & parcius affligi, qui decedunt ocyus. Sed desinam, præstantissime Myli, anxie conquirere rationes plures, quibus dolorem tuum castigem. Habes hæc omnia in promptu. Tantum repetere volui, & serie quadam enarrare, quæ animo tuo altius recondidit prudentia, religio, doctrina. Vt autem videas, me hæc ipsa, quæ soluta oratione disserui, ad numeros quoque loqui posse, en Elegos aliquot, quibus eadem dico, sed lege vincta. Vale Vir nobilissime, & hunc meum erga Te, filium, tuosque affectum exosculare. Amstel. E Museo nostro, 6 Non. Maji, 1633.

210.

N. N. C. BARLÆVS S. P.

Amicissime N. N.

Gratias tibi ago maximas, quod doctissimi istius & acutissimi scripti lectionem mihi indulseris. Ego clarissimi Puteani institutum

pium

Digitized by Google

pium & ſaluberrimas voces exoſculor. At ſi Philippus eſſem, & Hiſpaniarum Rex, putarem me parum debere iſti ſcriptori. Quid enim aliud toto iſto ſcripto agit, quam ut Regis ſui damna, maleſana conſilia, irrita cœpta, ſuorum ſeditiones & diſſidia exaggeret, & orbi ob oculos ponat? Hoc eſt argumentum ineundæ pacis ſubminiſtrare Brabantis & Regi, non nobis. Certe ſi ad incitas redactæ ſunt ipſorum res, ſi præſtat Bataviam reliquasque inſulas, ut vocat, miſſas facere, ut reliquis ſalus ſit; judicabimus nos ſatius fore, uſque adeo turbatis hoſtium rebus, etiam alias provincias imperio noſtro attexi. Magis noſtram cauſam agit, quam Regis ſui, & iſtoc modo Inducias ſuadere, eſt diſſuadere. Videtur, mihi librorum iſte Cenſor in eodem errore verſari, & probare, quæ minus ex honore adverſæ partis dicta ſunt. Quibus iſta Statera placet, oſtendunt liquido, aut pereundum eſſe, aut ab armis abſtinendum. At hoc diſſimulandum magis foret Inducias petentibus. Cum lachrymante & ſupplicante hoſte tranſigere, fœminarum eſt, non virorum, ne dicam Batavorum. Ita cenſet, qui tutam pacem bello præfert. 20 Iun. 1633.

211.

ADRIANO PLOSIO.

Nobiliſſime, præſtantiſſimeque vir,

Gratias Tibi ago maximas, pro ſcripto, quod Stateram Pacis & belli inſcripſit autor. Iam

Digitized by Google

Iam antè exemplar Antwerpia huc transmissum videram. Iudicium meum super ea ad amicum perscripsi, qui me insscio apographa ejus aliis Hagæ-Comitis concessit, ita ut jam excusum legatur, licet suppresso meo nomine. Profectò ægerrime tuli hoc viri istius factum. Nec enim debebant, quæ amicis mittuntur familiarius, scriptæ literæ divulgari, præsertim inconsulto autore. Scio, probabis mecum & laudabis dictionis Puteanicæ elegantiam, acumina, & qui passim eminent, sententiarum globulos. At illud improbabis, quod ea scribat, inter Hispanos, quæ nostram magis causam juvant, quam ipsorum. Quam valde Hispanorum proceres offenderit isto scripto, puto te jam intellexisse. Bruxellas vocatus, bis in Concilio auditus fuit, jussusque ibidem manere. Sunt tamen, qui viro optimo patrocinentur. nec desunt qui labrum mordent, & omnia sequius interpretantur. Ajunt exemplarium distractionem prohibitum per Provincias Regias. Missum quoque libellum in Hispaniam, judiciumque istinc magnatum expectari. Non consilio sed nimio in pacem affectu inconsideratius quædam scripsit. Nos gaudemus, ita de rerum nostrarum statum Brabantos sentire. Mitto exemplaria aliquot Poëmatii mei, quod in Ducatum Limburgicum scripsi. Impartire ea, quibus voles. Postea submittam Berkam captam. statui simul victorias omnes Principis Auriaci encomio aliquo prosequi & seculo huic donare. Vale Vir summe, &

Digitized by Google

& Reip. noſtræ bono diu vive. D. Trippium verbis tuis officioſè ſalutavi. Is te pari humanitate reſcribit. Raptim Amſtelod. 21 Iul. 1633.

212.

GODEFRIDO DE HAESTRECHT.

AD literas tuas reſpondere diſtuli, partim ut alias elicerem; partim ut prius tuum ſilentium pari ſilentio ulciſcerer. Iam totus ſcripturis & ſingulis hebdomadibus promittis literas, quas ne quidem ſingulis ſemeſtribus impetrare potui. O rerum vices. Sed cave ne me irritis promiſſis lactes. Noli Poëtis illudere. genus eſt irritabile; eminus lædunt & pungunt iambis vel epigrammate, quod ipſis pro telo, & baliſta eſt. Sin promiſſis ſteteris aptabo virtutibus tuis illud Horatianum:

Iuſtum & tenacem propoſiti virum, &c.

Scribis de caſtris, de induciis, ſed paucis. Amarem ego diſcurſus longiores, niſi tibi breviores ſuggereret timida prudentia. Amiciſſime, ſunt principibus reconditi ſenſus. Supra nos, ſupra rotundum vulgus ſapiunt. De pace loquuntur, ut de bello attentius cogitent, aut ne videantur ſpernere rem per ſe amabilem. Et hæc inter, communi omnis ſeculi vitio, utile honeſto præferunt. Si vera ſunt, quæ nuper in Statera ſua ſcripſit Puteanus, cogitur rex Hiſpaniarum ab armis abſtinere. Laborat Brabantia, nec niſi maximo exercitu ſe tueri poteſt. In Germania Suecus promovet imperium, & cul-

Digitized by Google

men domus Auſtriacæ pergit labefactare. Ad Viſurgim cæſus exercitus Merodio duce. In Braſilia ultra flumen pedem poſuimus, & occupatis aliquot arcibus latius tutiusque vagamur. Non deeſt partibus ſuis Gallus, qui per Suecos & Federatos Hiſpanum atterit. Minus æquum videtur hoc tempore Auſtriacis numen. Ex Oriente appulere naves ſeptem immanis precii. Octo milionibus æſtimantur. Duæ inſuper in procinctu ſunt. Divinator non ſum; ſed is mihi videtur eſſe aſtrorum aſpectus: niſi pacem nobis largiatur Hiſpanus, carebit intra triennium Braſilia ſua, & ſuaviſſimis cannis. Vale vir maxime, & me ama, qui te nihil habet antiquius, nihil carius. Ipſis Cal. Sept. 1633.

213.

EPISTOLA ad N. N.

Vir ampliſſime, & doctiſſime,

Quam jam ridet Batavus, inter duos ſcriptores, Puteanum, & hunc Anonymum medius. Valde diſſona loquentes audit ejusdem religionis ſocios. De Regis Hiſpaniarum honore & regnorum ejus incolumitate diſceptant, nec conveniunt. Alter Pacem Induciasve orat, alter bellaturit, & veluti Martius pullus enſem intrepide coruſcat. Illum dixeris molliore luto factum, & in ipſo pacis gremio enutritum. Hunc novum Pyrgopolinicen, & jam nuper ex Lipara, vel Lemno in Belgium appuliſſe. Adeo arma, gladios, clypeos, & tela crepat. Mirum, ſi ad

Digitized by Google

si ad istas voces non concidant animi Batavis. Credas te barritum audire elephantorum Pyrrhi, quo Romanos olim nequicquam territavit Epirota. In Puteano plus candoris reperias, ac in patriam suosque affectus. In Anonymo plus animi ac ferociæ. Videtur cucullus galeam induisse, aut galea cucullum. Ita amice conjurant, & ex eodem ore jam Theologo, jam milite digna audis. Alter de suorum viribus modestius sentit, alter præsumtuosior est & adulatori similior. Alter Federatorum potentiam, ordinem, prudentiam ex vero æstimat. Alter illa flocci facit, nec virtutem ullam in hoste agnoscere vult. Prioris Stateræ autor facundus est ubique. Posterioris tunc, cum Batavis maledicit. Illa elegantiis & acute dictis ita indulget, ut quibusdam videri possit nimio nitore peccasse. Hæc sordibus ita abundat, ut à barbarie sibi non caveat. Thomistarum & Scotistarum linguam alicubi agnoscas. Et ubi elegans esse studet, ita orationem torquet & in arctum cogit, ut fœde sibilet, ne quid dicam, quod pejus olet, quam sonat. Illud in Politico Catholico mali ominis, quod sine nomine loquatur. Cur, si Religioni, si Regi, si patriæ suæ consultum cupit, lucifuga esse amat? Hæc res suspicionem præbeat, precio subornatum scriptorum hunc, ut de Hispanorum præfectis bene mereatur. Dictum olim Sibillam φιλιππίζειν. [*Philippizare.*] Hic dicere liceat Scriptorem hunc Hispaniζειν. Apertius Puteanus, non dissimulato nomine, lo-

Digitized by Google

quitur, ne consulto peccare voluisse credatur. Quod rei caput est, in Puteano reprehendit, quod factitat ipse, & in altero culpam putat, cui ipse plus quam affinis est. Culpat, quod sine publica authoritate de rebus ad Regem pertinentibus sententiam dixerit. At qua quæso authoritate publica instructus hic loquitur tenebrio? Puteanus cum videret Regis sui mandato inducias peti, eas probavit, & insigni facundia earum necessitatem asseruit. Hic homo Regis sui consiliis non obstrepit, sed oblatrat. Bella, bella cupit & præfert, cum Rex inducias petat, & petat primus, & petierit (verba Anonymi sunt) tot mensibus, nec adhuc petere desinat, relictis etiam Hagæcomitis, in hunc usque diem, ad hanc rem Delegatis. Vter magis in Regem peccat? Puteanus inducias à Rege efflagitatas impensius suadens, an hic Anonymus easdem omnibus diris devovens? Nullam pacem probat, nisi restituta in Batavis Religione Pontificia, (ille Catholicam vocat) & exactis hæreticis. At hoc ipso Regi suo tacite exprobat, ut qui nuper Inducias pepegerit absque istis conditionibus, & iterum eas offerat, nec de his litem moveat. Quinimo impietatis Regem aperte insimulat, cum impios clamitat, qui abdicata Religionis Catholicæ cura, & in integrum restitutione, pacem vel inducias volunt. Rex inducias offert salvo Fœderatorum imperio, salva quam armis pepererunt terrarum suarum libertate. Hic male feriatus incentor, ut Regi in os contra-

Digitized by Google

contradicat, pacem non cupit, nisi Rex Batavis, veteri jure, imperare permittatur. Malus insuper est, dum multa innoxie & erudite à Puteano dicta detorquet, ut cum bellum ille pessimum esse ait, bella potius quam pacem amantes, feras ac barbaros vocat, non homines. quæ omnia & ante Puteanum à sapientissimis dicta sunt, & vere; si quando minus necessaria esse bella incipiunt. Illic minus Theologus est & plusculum commotior, cum Batavos atheos vocat, cum ad rebellionem & perfidiam natos garrit. Illic stupet & elephanti corio tectus videtur, cum in Principe Auriaco nec fortitudinem, nec prudentiam agnoscit, hac fretus ratione, quia Catholicus non est. Audi verba: Ad. num. 90. *In sola Ecclesia Catholica vera est fortitudo & prudentia.* Mirum, Aristotelem, cum fortitudinem & prudentiam veram definiret, non meminisse Catholicismi aut Papatus. Liberaliter nugari amat, non dicam mentiri, ne immodestius locutus videar: quoties de vectigalibus, & tributis nostris nec non ære alieno pronunciat: cum rationes ærarii nostri subducit, ad quas non nisi somnians forte admissus est: cum Principis Auriaci equos in Templo Sylvæducensi stabulatos fuisse, juvenes ad fidem abjurandam compulsos, & plura hujus farinæ aut furfuris potius, imprudenter objicit. Verum quam est politicus, cum libertatem sub Regibus majorem esse contendit, quam sub plurium imperio, immemor istius

Digitized by Google

Taciti: Ab initio urbem Romam reges habuere, Consulatum & Libertatem L. Brutus instituit. Quam apposite se munit Homerico dicto, εἷς κοίρανος ἔσω, εἷς βασιλεύς. [*unus Princeps sit, unus Rex.*] Quum de castrorum & belli præfecto Homerum loqui in aperto sit. Nec minus ridiculus est, cum tributis & exactionibus, supra quam fas est, Batavos premi queritur, qui istos census se Dominis suis debere, & felicitatis suæ, ac fortunarum non nisi spicilegium esse credunt. Inter hasce exactiones, inter hæc onera diteſcimus, Deo benedicente, Batavi. Res clamat. vos Brabanti, Flandri, Lutzenburgenses, &c. dum publico parum datis, egetis quam maxime, & quia minus datis, minus vos habere præsumendum; & ideo minus habere, quia ob belli incommoda, minus lucramini. Hæccine illa sub Rege libertas vestra est, quam tanta contentione hic prædicat Politico-Catholicus? Brabanti, aliique, præsertim quibus arces incubant, ajunt se ab Hispano serviliter haberi. Vox populi, vox hæc omnium est. Anonymus Hispanorum patronus negat. Vtri creditis Quirites? Verum enimvero, quam lepide fatuus est hic scriptor, cum milites Federatorum *timidos lepores* vocat, cum Batavos *pugnam semper declinare* scribit: *victorias nobis magis nocuisse, quam profuisse*, Illane scribere non veretur post cladem Turnhoutanam & Flandricam? An & tunc Henrici Bergii culpâ terga vertit Hispanus? Et quando quæso Regi Hispaniarum ac suis

Digitized by Google

ſuis perſuadebit, Sylvam Ducis, Veſaliam, Venloam, Ruræmundam, Trajectum ad Moſam, expugnata ad Scaldim & alibi caſtella, victam Bercam nobis nocere; Regem vero ſuo commodo iis carere? quia non ſine magnis impenſis ea vicimus. Dicet propediem, utile eſſe Brabantis exercitus noſtros in ipſo pene Brabantiæ meditullio ſtare, & in hoſtico ali, ut ab equorum multitudine ſtercorati agri uberiorem ſegetem ferant. Iſtas Theſes ſi cordatis probaverit, dignus eſt, cui Suada præmium decernat. Sed illud audiamus à viro ſapientiſſimo, à milite exercitatiſſimo, qua ratione vinci & ſimul debellari poſſint Batavi. Horribile ſecretum eſt, viri. Advertat Philippus, advertat Philippi amita, advertant Brabantorum, Morinorum, Nerviorum, &c. proceres. Confectam rem habent hoc ſuaſore. Hactenus ignota aperit novus conſultor. Dii boni, quanta ingenia in occulto latent. Ignoraſtis hæc Albane, Farneſi, Spinola? O ſtupidi, & rerum tantarum ignari bellatores. Diſcite ſapientiam ab hoc Politico-Catholico. Res eſt hæc. Suadet cingi ingenti claſſe Bataviam & reliquas inſulas, ne navicula ulla, mercator ullus exeat. Credit, opinor, quod per μείωσιν [*diminutionem*] dixit Puteanus, Bataviam *ſpithamam eſſe, aut terræ punctulum*, aut portus ejus Demera aut Lea patentiores non eſſe, ut aliquot myoparonibus claudi poſſint. *Vnico ictu*, inquit, *proſterni poſſunt hoſtes*, ſi Rex omnes vires, & potentiam adferat. At hanc afferre regem

Digitized by Google

hactenus non potuisse fatetur idem, quia cum pluribus hostibus negotium illi est, & fuit. Quare hoc primum agat, & impetret, ne Regi plures sint hostes, quam Batavi. Verum ista spe suadere Regi ut bella gerat, est Regi illudere. Sed quam grande illud quoque commentum. Decem navibus onerariis impediri posse ad Insulam S. Helenæ navigationem Batavorum in Orientem, quasi non decem aliis inde pelli possint, ut alia taceam incommoda. Et quam illud appositum, viginti navibus defendi posse Occidentem veteri orbe non minorem. O cerebrum, Debebas, quisquis es, ob hæc acumina fœnum esse. Illud ad animum revoca Philippe, nec diu morare consilium hujus Neptuni. Quindecim triremibus obstrue Fretum Gaditanum, (ita suadet) & quindecim insuper navibus milite instructis. Non habebit qua transeat Batavus, qui portum Ostendanum ingredi, & eodem navibus egredi ausus fuit, fulminante in ipsa ora portus bellicosissimo Spinola: qui sub ipsa Calpe & Hispaniæ littoribus classem immanem Duce Heemskerkio mersit: qui classem Hispanicam, orbis Europæi terrorem, centum & viginti navibus terribilem inter Britanniam & Flandriam disjecit: qui triginta, ni fallor, naves, pugnante Petro Heynio, sub ipsis S. Salvatoris propugnaculis adortus flammis exussit. Nec illud tibi negligendum, ô Rex, ut quadraginta navibus è Flandriæ portibus mercimonia Batavorum infestes, qui hoc anno, unica navi, cui à Gallo

Digitized by Google

Gallo nomen est, intra paucos menses novem Duynkerkanas captas abduxerunt, pluribus fugatis & mersis, indelebili Hispanici nominis infamia. Operæ precium profecto fecerit Rex Hispaniarum, si in hunc scriptorem propius inquirat, ne tam salubrium consiliorum autorem debita mercede privet. Optent sane Batavi Regem hujus consiliis obsequi, ne & æris inops esse desinat, aut tarde pereat. Si, hoc judice, peccavit Puteanus nimio in pacem vel inducias amore, magis reprehendendus ipse, qui istiusmodi consilia suggerit Regi, quæ Hispaniarum Rex (si modo legere vacabit) statuet à stolido Thrasone, & ventosa lingua profecta esse. Perge talium ingeniorum fertilis esse Brabantia, aut si qua alia regio hunc scriptorem edidisti. Pergite bellum gerere Hispani, usque dum victi Batavi, Zelandi &c. manus dabunt; hæretici, quos vocatis, expulsi cesserint; sola Romano-Catholica Religio vigeat, & dominetur. Hæc evenient, ait scriptor vester, cum Regi non alii erunt hostes, vel aperti, vel clandestini, præter Batavos, hoc est, ut ego interpretor, cum Hispanum sine fuco amabit Belga, Gallus, Britannus, & Suecus.

214.

EIDEM.

Vir clarissime,

Exhibitus mihi fuit heri libellus hoc titulo: *Erycii Puteani Belli & Pacis Statera à Iusti*

Digitized by Google

Lipſii manibus in Elyſio adæquata. Video unum Puteanum contra inſurgere omnia *Tela Latinorum.* Hydram renaſci dicas. Vno capite reſecto pullulant alia. Hic tamen adæquator, mitius & modeſtius loquitur, quam Politico-Catholicus. Auſim jurare, illum ſtipendia ſub Marchione de Aytona non mereri, cui ſe plus debere oſtendit belliger Anti-Puteanus. Verum cum Auguſtinum, Ambroſium, Lactantium, & nugaciſſimum Viterbienſem citet, ubi de Induciis & bello agitur, impenſe cavet, ne alius eſſe videatur, quam ex ſacrorum ordine. Illud adverte, benevole lector, quanta contentione & niſu titulum iſtum parturierit. Similis eſt inſcriptio circumforaneorum chartulis, quibus res novas enarrant. Illæ titulo venditant, quod in ipſo opere non præſtant. Iuſti Lipſii nomen mercimonio minus venali pro hedera appendit, cum nihil iſtius viri in toto ſcripto alleget. Locum Danielis 5. *Appenſus es in ſtatera, & inventus es minus habens*, ita interpretor: *Appenſus es in ſtatera cum Puteano tu ſcriptor, & inventus es minus habens elegantiæ, ac doctrinæ.* Reprehendit, quod ſcripſerit, *rebus intempeſtiva legatione turbatis bellum gravius quaſi poſtliminio reductum.* At veriſſima hæc ſunt, quæ tamen ſecurius Batavus dixiſſet, quam Grudius. Nimis rigidus eſt, cum ad ſtateram expendit illa Puteani verba: *arma jure ſumi poſſunt, injuria exerceri.* Nec enim injuriam hanc imputat Puteanus Principi, qui jure arma ſumſit, ſed militibus, qui belli ſe adminiſtros

&

Digitized by Google

& juſtiſſimi ſæpe præbent iniquiſſimos. Eodem ſenſu dicit; *ſemper in armis aliquid iniqui eſſe, etiam cum iniqua non ſunt.* Sed has eruditas contradictiones non capiunt, qui inter glandes & quercus educantur. Non legerunt hi homines, nuptias innuptias dici, βίον ἄβιον, [*vitam non vitalem,*] hominem homini Deum eſſe, tenebras lucem, circumciſionem præputium. Et tamen alibi probant ἀντίφασιν [*contradictionem*] in adjecto, ut cum Catholicum Romanum, vel ſacrificium incruentum vocant. cum tamen & hic oppoſitum ſit in oppoſito, vel contradictio in adjecto. Quærit acutus diſputator ex Puteano: *Quomodo regis ærarium poſſit dici exhauſtum*, cum, eodem teſte, *fundo careat?* At, bone vir, quærent ex te Scribanii auditores pulverulenti: Quomodo opes dicantur immenſæ, quæ certa conſtant ſumma? quomodo innumeræ ſint oves in Britannia, quarum tamen definitus eſt numerus? quomodo inexhauſti laboris ſcriptor fuerit Varro, Chryſippus, Auguſtinus, quorum tamen labores abrupit fati lex. Conditiones exagitat ab hoſte, ut ait, oblatas. Sed cujus illæ ſint fidei judicet Iſabella & Marchio de Aytona; qui optime norunt, quid diſtent æra lupinis. Vrget, Batavos lege naturali & hæreditatis jure Regi eſſe obnoxios. Sed oblitus eſt, hanc Regis hæreditatem ex legibus quoque dependere. Ait *hoſtem fraude potius & proditione, quam armis & virtute victorem eſſe.* Quaſi proditione capta fuerit Grolla, Sylvaducis, Trajectum ad Moſam, Per-

Digitized by Google

Pernambucum, &c. *Rex,* inquit, *genitos sibi milites conscribit, non adscitos.* nempe, vult etiam in Regis Hispaniarum territorio genitos fuisse istos Croatas, quos in Brædanæ obsidionis robur è Germania advocavit Spinola. Et num quas adduxit Pappenheymius copias turbandæ obsidioni Trajectensi, Regi Hispaniarum geniti milites dici possunt? Minime. nisi Germaniam universam suam esse velit, & hæreditariæ dotis partem. Concludit, *Regem æquis & honestis conditionibus subditorum quietem optare.* Optant idem Batavi. Nec ut iniquis conditionibus Rex pacem faciat, vult Puteanus. At quibus limitibus ista æquitas vel iniquitas definiri debeat, nec capit hic Scriptor, nec determinat Puteanus, nec Monachi fuerit tantas componere lites.

Scriptum in loco, in quo Vrsæ non occidunt, sed Aquilæ & Vultures.

215.

CASPARO BARLÆO, IOH. BEVEROVICIVS S. D.

QVæsita mea per Epistolas, V. C. & prudentum Responsa de Vitæ nostræ termino jam typis expressa ad te mitto. Qui fato, aut fortunæ,

(Stoicus has partes, has Epicurus agit,)

longinquitatem aut brevitatem ejus adscripsêre, jampridem merito explosi sunt. Æquè enim impium videtur, statuere morbos & mortem fortuito, &, ut cum Hippocrate nostra dicam,

Digitized by Google

ὡς τύχοι πεπλανημένως [*prout fortuito accidit errabunde*] nobis contingere, atque fatalem adeò esse hunc vitæ nostræ terminum, ut nulla arte, nulla industria opus sit; imò nec à Deo ipso mutari queat. Apud Homerum, ut nosti, non uno loco dicuntur Dii etiam sibi amicissimos, quando impendit fatalis hora, à morte vindicare non posse. Et hæc sunt ex Odyss. III.

Ἀλλ' ἤτοι θάνατον μὲν ὁμοίιον ὅδε θεοίπερ
Καὶ φίλῳ ἀνδρὶ δαμάσσαι ἀλαλκέμεν, ὁππότε κεν δὴ
Μοῖρ' ὀλοὴ καθέλησι τανηλεγέος θανάτοιο.

Verum enimvero mortem omnibus communem neque dii ipsi,
Etiam ab amato viro, poterunt arcere, quandocunque tandem
Fatum pernicioſum corripuerit asperæ mortis.

An non igitur frustra Medicus curat eum, cui Parca non decrevit parcere? Expertus hoc Apollo apud Ovid. II. Metam.

--- seraque ope vincere fata
Nititur, & medicas exercet inaniter artes.

Quod si ipse repertor opis & artis Medicæ anili Parcarum colo, veluti γυναικοκρατούμενος [*uxorius*] cedere debuerit, quis è Medicorum turba, repugnante immutabili earum decreto, ægrotos sanare queat?

Quis salutari levet arte fessos
Corporis artus?

Si tamen Medicus lethaliter ægrotanti quid exhibeat ἐν ἀπειρηκότι ἤδη τῷ σώματι [*confecto jam cor-*

Digitized by Google

corpore,] eumque morbus etymologiæ ſuæ memor (ſic poſt Iul. Scaligerum in Exerc. placet Dureto in Holler.) ad μοῖρον βίε [*fatum vitæ*] perducat, non ſolent vulgo cauſſam mortis in fatum conferre, ſed (lubet apud te ἓ θαυμασιωτάτε [*ſumme admirandi*] Hippocratis verbis ſæpius loqui) ἢ ἰητρὸν ἀιδιῶν). καὶ ἢ ἀνάγκλιν ἢ τὸ τοιαῦτα ἀναγκάζεσαν γίνεσθαι ἑ γινώσκεσιν. ἤν ἢ ὠφελήσῃ, τῦτο ἢ ἑχ ὁμολῶς ἐπαινέσι, χρεὼ γὸ πεπονθέναι ἀυτὸν δοκέεζι. [*in Medicum culpam rejiciunt, neque talia ex neceſſitate fieri agnoſcunt. Quod ſi proſit, id tamen non perinde laudant, cum id ei contingere oportere exiſtimant,*] objicientes Auſonianum hemiſtichium, *evaſit fati ope, non Medici.* Nullus apud hos ex ſervato ægro arti honos, nulla gratia, ipſiusque Medici ὥσπερ ἢ μεγαρέων ἑδεὶς λόγος. [*ut Megarenſium nulla mentio.*] Hinc tales ſui ſimilibus facile perſuadent, parum neceſſariam, imò inutilem eſſe medendi artem, *quia ſtat terminus nobis* (Senecæ verba agnoſcis ex Epiſt. CII.) *ubi illum inexorabilis fatorum neceſſitas fixit.* Quo trahit Macrobius illud de Deiphobo ex VI Æneidos:

— *Explebo numerum, reddarque tenebris.*

Sed non omnes explere numerum annorum ſuorum eruditi aliquot ſtatuunt. Raymundus Lullius (cujus libros multi Hiſpani venerantur quaſi cœlo delapſos, humanæ ignorantiæ remedia, teſtante lib. XV. de reb. Hiſp. Marianâ) de Secretis Naturæ lib. I. part. I. hæc ſcripta reliquit: *Vnicuique terminus vitæ à Deo eſt ſtatutus, quem*

Digitized by Google

quem nullo ingenio transgredi possumus. Sed & intra eum terminum mortem accelerare in promptu est omnibus. Ideo à Medicina petendum remedium, quo corpus nostrum à putrefactione servemus, & infirmum curemus, & quod perditum est restauremus, donec veniat is postremus dies à Deo præstitutus. Ad hunc diem eos solum pervenire credunt, qui extrema senectute exsiccato paullatim corpore deficiunt. Ita defunctos ἀλιβάντας [*defunctos*,] vocabant Græci, tanquam ζωϊκῆς λιβάδος ἀμοίρους ὄντας, [*expertes vitalis humoris*,] & Homerus eodem sensu θνητοὺς βροτοὺς [*humidos mortales*] dixit de viventibus. Et hæc est iis mors fatalis, sive naturalis. Immatura verò & violenta, quam febrium cohors, δίαιτα φαύλη καὶ φλαῦρα, [*dieta mala & vitiosa*,] naufragium, gladius, laqueus, καὶ πάντα τὰ βίαια [*& omnia violenta*] accersunt, & ante destinatum & fatalem naturæ terminum vim vitæ inferunt. Sic mortuos βιαιοθανάτους [*violenter extinctos*] & ἀώρους [*intempestivos*] dixisse Græcos egregiè demonstratum est in *Observat. Plinianis* ab incomparabili Heroë Claudio Salmasio, cujus de vitæ termino prolixas literas expecto. Ita Didonem, quæ se ipsam gladio transfixerat, non *fato*, sed *ante diem* periisse canit Virgilius: & ejusdem est de Priamo quamvis sene,

— *Nec fata vetabant*
Stare, decemque alios Priamum superesse per annos.

Quid? an non eruditus & expertus Medicus ægri vitam ad decretorium diem deducit, quem imperitus non rarò præter fatum præterque naturam

Digitized by Google

turam adducit? Vidi qui leviter ægrotantes extracto opii *homines quatuor in soporem collocavit nudos*, quibus mox

Longa quiescendi tempora fata dabant.

Alius parum abfuit, *ne nomen commutaret suum*, & *Quintus fieret è Sosia*. Nam ejusdem Hermocratis consilio in pertinaci viscerum obstructione, post assumpta manè aperientia, vesperi idem φάρμακον [*medicamentum*] quotidie deglutiverat; idque plusquam trigesies. Sed hic visâ gelidæ mortis imagine, cavit, ne ludi, quos vivo jam sibi factos animadvertebat, brevi mortuo fierent, & mutato medico pristinam sanitatem recepit. Andragoras alias futurus, de quo lepide Martialis lib. VI. Epigr. LII.

Lotus nobiscum est, hilaris cœnavit, & idem
Inventus mane est mortuus Andragoras.
Tam subitæ caussam mortis Faustine requiris?
In somnis medicum viderat Hermocratem.

Apud Plutarchum & alios legimus Cleopatram Ægypti Reginam jam certam mori, varia venena in captivis explorasse, nullumque invenisse lenius, quam *aspida somniferam*, qua ad corpus admota, *morte quasi somno soluta est*, ait Florus: qui proprius est effectus aspidis. Lucanus:

At tibi Læve miser fixus præcordia pressit
Niliaca serpente cruor: nulloque dolore
Testatus morsus subita caligine mortem
Accipis, & Stygias somno descendis ad umbras.

Si quis nunc vitæ satur, adeò delicatus est, ut sine febre mori cupiat, non opus est ut aspidem

ex

Digitized by Google

ex Ægypto sibi mitti postulet, quod Romanos feciſſe conqueritur poëta, cum compendiaria via edoctus ſit fatum ſibi accerſere à remedio ἐυπρόϊσχω, [*parabili*,] & quod ſemper ad manus. Videſ in Medicina locum habere dictum tantopere à Theologis noſtris exagitatum, *Dies diem docet?* Quid ergo! (ut mittam jocularia) an idem ægroto fatum admovetur, ſive Themiſonem adhibeat, qui innumeros, teſte Iuvenale, occidit, ſive Podalirium, de quo præclarum hoc Ovidii teſtimonium IV. Triſt. Eleg. VII.

Quem ſemel excepit, nunquam Podalirius ægro
Promiſſam medicæ non tulit artis opem.

Hic enim cum omnia ex arte, & bene ſubducta ratione ageret, atque (ut Galenus laudat) κατὰ τὴν ἱπποκράτην μηδὲν εἰκῇ ποιῶν, μὴ μηδὲν περιττῶν, [*juxta Hippocratem nihil temere agens, nihil imprudenter,*] quoscunque curandos ſuſcepit, ſanitati reſtituit: ubi alter προπετῶς καὶ ἀσκέπτως, [*præcipitanter & inconſiderate,*] & vel ſorte, ut facetè de quodam narrat Poggius, medicamenta exhibens, fortes multorum animas ad Orcum demiſit. τλήμων ἰατρὸς ὄνομ' ἔχων, τἄργα δ' οὔ. [*miſer Medicus nomen habens, opere ipſo deſtitutus.*] Scitum eſt de Alcone Medico hoc Auſonii:

Languenti Marco dixit Diodorus aruſpex,
Ad vitam non plus ſex ſupereſſe dies.
Sed medicus divis fatisque potentior Alcon,
Falſo convicit illico aruſpicium.
Tractavitque manum victuri, ni tetigiſſet.
Illico nam Marco ſex periere dies.

Digitized by Google

Qui vitæ terminum neceſſitate fati devinciunt, præter varia S. Scripturæ loca, quibus nituntur, aciem animorum noſtrorum divinæ providentiæ ſplendore perſtringunt. Qui mobilem & mutabilem eſſe malunt, præter quam quod etiam verbi divini authoritatem adducant, majori probabilitate humanam mentem percutere nonnullis videntur. Hinc alii medium ferire voluerunt: Sed dum ad eos potius ſe applicant, qui morborum & mortis tempora fata, planè liberata ſtatuunt, in alias difficultates delabi atque in incertum & ambiguum implicari diſſentientibus exiſtimantur. Nonne verè Euripides (non poſſum non ſubinde apud ſummum Poëtam poëtarum verſibus uti) Andromeda?

Τὸ δαιμόνιον δ' οὐκ ἀφῆς
Ὅ τι μοίρας διέξεισ',
Στρέφει δ' ἄνω
Ἄνω εἰς αἰμέρων·

Nam quæ fata parat Deus,
Nunc hunc, nunc alium cita
Verſans turbine, non valet
Humani vigor ingenî
Vllis viribus aſſequi,

ut vertit V. C. Hugo Grotius. Totum hoc ζήτημα [*quæſitum*] neminem melius te Theologo, Medico, & Philoſopho literatiſſimo perſolvere poſſe quamvis ſcirem, non auſus tamen fui offendere animum graviſſimis indeſinenter ſtudiis diſtractum. Nihil tamen mihi gratius eſſe poſſit, quam ſi & tuam ſuper hac difficultate reli-

Digitized by Google

reliquis epistolis adjungeres; aut si id occupationes tuæ, & principum trophæa non permittunt, sententiam epigrammatio exprimeret:

Nam tu poëta es prorsus ad eam rem unicus.

Quia nemo, quod sciam, copiosè & ex professo hanc rem explicavit atque excussit, non ingratam lectoribus in ea magnorum virorum operam fore mihi persuadeo: gratiorem utique, si undecunque doctissimus Barlæus symbolam conferret. Vale Vir clarissime, & ab heroë Beverio Consularis dignitatis ornamento salve. Dordrechti, VI. Octob. 1633.

218.

IOHANNI BEVEROVICIO, CASPAR BARLÆVS S.P.D.

SOllicitas, amplissime Beverovici, eruditorum caveam, & in arenam producis viros virtutis ac doctrinæ fama celebres. Ea de vitæ Termino dicunt omnes, quæ minus oscitabundum poscant lectorem. Acutè quisque loquitur & graviter & pie. Pugnant rationibus, experientia, authoritate. Eunt permixti veteres recentioribus, Græci Latinis. Est, ubi Arabs, ubi Pergamenus Doctor sententiam dicit. Gentilium pariter oracula audio & Christianorum; Stoicorum & Peripateticorum ac Medicorum. Dissident opinionibus. Sed, quo nomine vehementer gaudeo, cavent omnes studiosè, ne Medico culina frigeat. Ferculis nostris opus esse omnes contendunt, tum qui Fato, tum qui culpa etiam

Digitized by Google

hostra nos mori pronunciant. Qui vitæ humanæ terminum ex Medicæ artis usu aliisque prærequisitis suspendunt, victuros diutius promittunt ægros, si à deglutiendis catapotiis non abhorruerint. Quibus verò ex decreto divino vitæ terminum ἁπλῶς [*simpliciter*] definire libet, catapotia deglutienda esse pari necessitate urgent. Alter inquit, moriendum tibi erit, nisi saburram expulerit janitor sphincter. Alter; postquam statutum est, ut ista hora morjaris, necessum quoque est istas Thermopylas claudi, & medico exprobrare inefficacem medicinam. Vnius axioma est: Si medicè vivas, diutius vives. Alterius, quia diutius te vivere volunt fata, medicè quoque vives. Alteri καθηκοντικὰ [*purgantia*] nostra condicio sunt, sub qua vitam longiorem indulgere statuit Creator. Alteri consequens & medium, quo decretum longioris vitæ exequi vult. Vides, utriusque sententiæ assertores, pro Medico, pro Pharmacopœo, ac fortunis nostris, stare ne minorem fumum videat caminus Macliaonis. Salva res est, Beverovici. Gallum Æsculapio immolemus. Petis, ut symbolam quoque meam conferam ad hoc lectissimorum ingeniorum epulum. At, prudentissime, quis convivis saturis post asellos diaria apponat? Ex illorum numero sum, qui à gravibus consiliis imparati aliorum suffragiis accedere amant. Infimi subsellii judices probant assensu superiorum placita, ut brevior sit deliberatio. Pedibus eunt in Præsidis aut cordatioris cujusdam collegæ

Digitized by Google

legæ ſententiam, quibus labor eſt loqui. Malunt non diſſentire, & cum quodam ſupercilio graviter annuere, quam cum facundiæ periculo prolixiores eſſe. Nihil ſe ſcire dicebat Phrygius iſte fabularum ſcriptor, poſtquam ſapientiam omnem artesque profeſſi eſſent ſocii. Quicquid olim à Poëtis, Philoſophis, Medicis, Theologis, ſuper hoc argumento allatum eſt, allegatum id omne eſt. Dicam tamen paucula de Controverſiæ hujus neceſſitate, poſtquam de veritate diſceptatum abundè eſt. Ab illa ſententia, quæ vitæ terminum Fato alligat, aut peremtorio decreto, plus mihi metuerem, niſi experientia didiciſſem, hujus opinionis patronos & hyperaſpiſtas, non ſegnius medicum implorare, quoties ægrotant, quam Hypotheticos Doctores. Etenim dogmati, quod è Scholis hauſere, obſtrepit tacitè ſollicita de ſe, ac ubique ferè conditionalis, natura. Et licet fortè contradictoria loqui videatur Stoa & amor noſtri: tamen non minus avidè medicam manum depoſcit illa, quam hic. Corrigit mens integra ac ſibi relicta ſcholaſticum acumen, & Zenonias voces redarguit timida Salus. Cum ſanus eſt Stoicus & ambulat, pro abſoluto decreto pugnat, tanquam pro aris ac focis. Cum ægrotat, non minus conditiones amat, quam Peripateticus. Et quamvis medicinam conditionem decreti divini eſſe nolit, tamen conditionem ipſus facit, quoties timet medico non uti. Si laboret ὀδοντάλγίᾳ, [*dolore dentium*,] ſi immoderatius palpitet ſiniſtra mammilla

Digitized by Google

millâ neque tonam servet; si singultiat stomachus, ilicet ad medicum advolat. Quare? quia timet, nisi illi opem ferat, brevi se cœnaturum apud inferos. Devorat ergo bolos, Rob absinthii, Loch de pulmone vulpis, trochiscos de viperis (hæc bellaria nostra sunt) non minore valetudinis spe, quam mullum Massilienſem, aut Dordracenam percam. Nihil tam in medicina est terribile, quod non palato sumendum imperet. Quid? cum nauseat ad ingratas dapes miser ventriculus, mordet Stoicus acida, vel pomum œsophagi ostio imponit, ne istam longius vivendi conditionem egerat delicatior gula. Quoties castigatum ventosa senna abdomen officium facit, magna attentione numerat naturæ labores, ne conditiones vivendi ulterius neglexisse videantur. Quæ dum propius considero, nolim valde irasci iis, qui fatalem terminum propugnant. Si inter partes arbiter eligeretur Palæmon, diceret: *Et vitula tu dignus & hic.* Parum refert, qua mentis agitatione & opinione pharmaca poscat æger, modo poscat, modo convalescere studeat, nec Machaonis sui sollicitas operas debita mercede privet. Illud in tota hac Disputatione observo: Eos, qui Prædestinationem absolutam vitæ mortisque tuentur, etiam vivendi vel moriendi intra definita spatia necessitatem defendere. Eos verò, qui illam Fidei actionibus restringunt, vitam quoque hanc ex officio humano suspendere. Fortè ob hanc rationem: quia priores metuunt, ne si conditionale

Digitized by Google

tionale sit hoc decretum, conditionale quoque esse possit prius illud. Posteriores verò, ne si hoc Decretum Dei agnoscant absolutum, cogantur & illud de salute & morte æterna tale esse fateri. Ne ergo vel hæc vel illa pars præjudicium creet thesibus tantis hactenus animorum motibus agitatis, amat quæque consona loqui ὁμογλωῆ. [*cognata.*] Sic vara vibiam trahit & sepia petcam sequitur. Inter istos medii quidam incedunt: qui ne planè videantur Stoici, aut planè Peripatetici, contingentiam & necessitatem præfinito temporis articulo moriendi, modos toto cœlo diversissimos, conciliare studeant, solius præscientiæ intuitu ac respectu. Verum, dicam quod res est. Ad populum phaleræ sunt. Nam illa, quæ ex præscientia divina fluit necessitas, certitudo solummodo est & infallibilitas, uti ajunt, quæ propriè dictæ contingentiæ non repugnat. Quicquid enim necessariò dicitur futurum, quia Deus præscit, in se & tota sua indole manet contingens. ἀσύστατα [*quæ simul consistere non possunt*] non sunt: Ista hora morieris, &, Alia hora poteras mori. Quicquid autem aliter evenire potest, quam evenit, propriissimè contingens est. Quamobrem amicè conspirant hæ enuntiationes; Hoc certò fiet, & tamen contingenter. Tu, doctissime Bevetovici, dum quærendo modo hunc, modò illum adoriris, maximis ingeniis obstetricaris, & doctè quærendo elicis optimos partus. Non puto controversiam hanc plenius, solidiusque unquam

Digitized by Google

pertractatam esse. Venerem das Apellæam, cui aliquid addi ab indocta manu temeritatis fuerit & præfidentiæ. Suffecerit calculum contulisse, & iis subscripsisse, qui vitæ mortisque terminum ex divino decreto fatalem immutabilemque esse negant. Elenchus meus in quo hactenus acquievi est hic: Decretum illud absolutum de vitæ mortisque termino aut est mutabile aut immutabile. Si mutabile, perfectioni constantiæque divinæ detrahitur manifestè. Si immutabile, corruit consequentium mediorum necessitas. Nam aut illud decretum dependet ab usu mediorum, ita ut ratum esse non possit nisi mediis adhibitis: aut non dependet ab usu mediorum, ratumque esse potest, etiam citra eorundem usum. Si prius, ergo desinit esse absolutum & fit conditionale, nam habet suum Nisi. Si posterius, ergo mediorum nulla est necessitas. At hoc absurdum, ergo & ea, ex quibus absurdum hoc deducitur. Non diffundam latius sermonem, ne videar post summos Theologos, Philosophos, Medicos, exactius quiddam conari voluisse.

Si tamen patiaris, me à proposita quæstione nonnihil abire, argutabor breviter, cum Seneca & Petrarcha, & post spinas, frugiferum aliquid loquar, quodque τὸ ἠθικὸν [*morale*] magis sapiat, quam φυσικόν. [*naturale.*] Nemo antè diem moritur, qui omni die vitam Deo debet. In tempore solvit, qui exigente creditore debitum solvit. Non reposcitur præmaturè, quod nostrum non

est,

Digitized by Google

est, sed alterius. Et quis quæso hominum ante suum diem moritur? cum ille sit suus dies, quo moritur; non prior, non posterior. Non videtur ante tempus mori, qui non potest, nisi in tempore, mori. Ab æterno moriatur oportet, qui ante tempus moritur. Et post mundi obitum moriendum erit illi, qui ultra tempus vivere præsumet. Mundus siquidem & natales suos & extremum dies tempori debet, quo cum cœpit esse, quo cum desinet esse. Sapiens omnem diem sibi ultimum credit, omnem horam supremam. Quocunque ergo die moritur, ultimo moritur. Et si ultimo, nec anticipat terminum suum nec amplificat. Et quis ferat querelas morientium citius? cum insani hominis sit ægrè ferre, se carceribus ac vinculis ocyus expediri. Neque discedit citò, cui frontem rugæ arant, manus pedesque præ senio tremunt. Longius viventes, longius vexat mortis metus. Cito morientibus, brevis est mortis sensus. Omnibus moriendum, licet alio mortis genere, diversisque vitæ spatiis. Faces plurimas accende, pro pabuli mensura vivit gliscitque quælibet. Illud cum deficit, extinguitur & ista. Naturæ defectus querelarum justa materies non est. Si gula, si lacessitus gladius aut contempti fluctus nos necant, intemperantiæ vel temeritatis pœnas luimus. Extra culpam Deus & natura sunt. Qui longius vivere volunt, studeant sapere, & temperanter vivere. Hæc virtus & mentis bonæ custos est & solidæ valetudinis. Omnes modicè vivimus, si vitam

Digitized by Google

ſpectemus æternam. Qui mori nolunt, æternitatem ſeriò cogitent, in qua ſemper vivitur. Hîc ſi diu vivere annos, diu miſer eſſe cupis. Plus dolorum, morborum, peccatorum numerat, qui plus annorum. At inquies: diutius vivere cupio, ut caſtigatè vivam. Caſtigatè vixiſſe debebas, ex quo vivere & ratione uti cœpiſti. Cum abeundum eſt theatro, cum plaudendum eſt, ordiris prologum. Melioris vitæ telam aggrederis tunc, cum detextam eſſe oportuit. Creditum olim: neminem, qui malus eſt, diu vivere: neminem bonum breviter. Illi quicquid vitæ fuit, periit: hic omne in lucro habet, utpote hæres futurus melioris famæ & vitæ. Nec vita vita eſt, quæ virtuti non impenditur. Quod ſi ferri violentia moriamur, credamus vitæ aream frangi, non aperiri. Si interficimur ab hoſtibus, cogitemus nos hoſtium manus, carnis inquam, mundi & ſathanæ effugiſſe. Parum refert quo mortis adminiſtro moriatur, cui moriendum eſt. In vulnere majus momentum eſt, in vulnerante minus. Qui flammâ perit, cogitet cum Empedocle animam igneam eſſe, nec combuſtilem. Qui Oceano mergitur, cum regina maris ſe cœnaturum glorietur. Qui à beſtiis diſcerpitur, Euripidis ſe fato ſoletur; qui veneno, Lucretii poculo; qui gladio, Pompeji & Ciceronis exemplo. At nolles ignominioſè mori. Aſſentior. Sed ſicuti glorioſam mortem non facit, pompa, præfica, ſtatua, ita nec ignominioſam laqueus, ſecuris, equuleus. Cauſa ſupplicii ſi honeſta

Digitized by Google

nesta est, honestum quoque est mortis genus. Non qua morte, sed quo merito moriamur, reputandum. Virtuti nulla mors dedecori est. Vilissimas sterne tabulas. Gloriosè moritur, quisquis de Republica, de religione benè meritus est. Unci, gemoniæ, prunæ, rotæ, cruciatus, illustres sunt, ac splendent magis illustrium ac sanctorum Virorum obitu. Fulgent supplicia, quæ irradiat innocentia. Sicuti plus fulgent lutosæ paludes, quarum superficiem Sol pingit. Subtiliter de Vitæ Termino disputent docti, modo ad eundem vitæ morumque simplicitate certent contendere. Si pie, si sancte, si juste in hoc seculo vivimus, non nocebit hunc Fato, illum contingentiæ plus tribuisse. Schola omnis, ars omnis querula est & litigiosa, non minus quam forum. Pietas mansueta, concors, placida lites non amat. In hac dum conveniunt, qui sententiam de Vitæ Termino dixere, omnibus opto salutarem vitæ hujus terminum, qui ad vitam, quæ sine termino est, & illos & nos quoque Beverovici doctissime, perducat. Ne tamen sine cantore aut vate hoc Doctorum, quod adornas, epulum decurrat, mitto versiculos, quos petis, ejusdem ferè argumenti, cujus est epistola hæc. Vale Vir clarissime, & Amplissimum virum D. Cornelium van Beveren, Roverium, aliosque mei amantes officiosè saluta. Amstelodami. E Museo nostro, decimo quarto Octob. 1633.

217. AL-

Digitized by Google

217.

ALBERTO VAN SCHAGEN.

Nobilissime generosissimeque Domine, En epithalamium, quod nuptiis Filii tui inscripsi. Debui hoc tibi, tum ob publica in patriam merita, tum ob singularem humanitatem, qua me antehac Rhenoburgi amplexus est. Debui filio tuo, ob veteris convictus memoriam. Debui Sponsæ ob gratissimum mihi Matheneſiorum nomen, quo aliquando gavisa fuit Academia Leidensis. Carmen si spectes, lusus est & commentum poëticum. Loquitur ex parte amor, ex parte poëta, & ita fabulam hanc actores duo absolvimus. Miscui festiva & lepida, quia hæc sacra aliter non constant, Omnino enim ineptum foret de bello induciisque graviter loqui, ubi Cupidinis causa agitur. Tu, Vir nobilissime, hoc leve affectus mei erga N. T. & illustrissimam domum testimonium benigne excipe. Ego hanc præcipuam felicitatis civilis partem interpretor, Principibus placuisse viris. Nuptiis filii tui bene precor, & ominor. Succedat proles, quæ tuis & splendidissimæ familiæ virtutibus respondeat. Me verò inter eos cense, qui nomen tuum sine fuco colunt & venerantur. Vale Vir summe & Dominam van Schagen meis verbis saluta. 15. Oct. 1633.

218. ADOL-

Digitized by Google

218.

ADOLPHO VORSTIO.

ITa est, i doctissime Vorsti, avidè satis arripio occasiones scribendi carminis, præsertim, quod publici sit argumenti. adeò me lenocinantes Musæ irretitum tenent, ut nesciam, qua arte me expedire his pellicibus queam. Penè cum Flacco dixerim:

Quæ saga, quis me solvere Thessalis
Magus veneris, quis &c.

Quoties ad studia magis seria animum applico, vel Auriacus interturbat victrici tuba, vel præfica lesso, vel amator aliquis importune efflagitat applausum. quasi sine me Sponsæ placere non possit; aut sine carmine refrigescere. Ea suum facilitate, ut negare nesciam. Si virgo essem, minus tutum apud me esset virginitatis depositum. nescio negare. Vt te inter amicos meos censeam, cui commenta mea inpartiri soleo, rationes sunt graves & plurimæ: optimi maximique Patris memoria, virtus & eruditio tua, ac insuper cognati mei D. Cunæi reverentia. cujus viri tantum apud me est precium, ut non possim non amare impensius, quos ille amat. Condoles super obitu filioli mei. Sed hunc majoribus, quæ hanc vitam manent, malis præceptum gaudeo. multis longisque morbis confectus venustissimus infantulus, facie exanthematis deformi decessit. Nec ob hoc angor. cum in beatæ resurrectionis die melior illum vultus

Digitized by Google

vultus corpusque salubrius maneat. Filius natu maximus per Dei gratiam evasit. Dum frontem genasque scalpit, diceres Zopyrum esse aut Deiphobum, cernas stillantes sanguine malas, & tabo foeda ora. Inter haec Graeciam, & suum μῆνιν ἄειδε [*iram cane dea*] canit. Credo haec variolarum mala esse à procul jaculante Apolline, licet primum non invadat ὀρῆας κύνας ἀργοὺς. [*mulos & canes veloces.*] Virginis istius Trajectinae, cujus virtutes praedicas, habeo ad me missum epigramma. Verum, amicissime, vellesne tibi conjugem tam doctam, gravem, severam Di concessissent? quae rursum torqueat enthymema atque historias sciat omnes. Magis amena istiusmodi Sibyllarum oracula, quam basia. Superest ut de Republica pauca subjungam & castris. Video, quid geratur, aut potius, quid non geratur. Potentum molimina non capio nec scrutor. Extera auxilia ex eventu aestimabimus. Inducias puto aversari τὰς πάντα. [*qui omnia possunt.*] Amstelodamenses omnibus votis exoptant, quorum consilia πρὸς τὸ κέρδος [*ad lucrum*] diriguntur. De Empirico alias. Vale. 16. Nov. Anno 1633.

219.

AXELIO OXENSTEIRN.

Illustrissime Oxenstierni,

Mitto ad Te Tumulum invictissimi summique Principum. Maluissem laudare vivum, quem vivum dilexit sua Suecia, horruit Austria, suspexit

Digitized by Google

ſuſpexit quaquaverſum Europæus orbis. Nunc ita volentibus fatis mortuum Encomio proſequôr, cujus virtutibus cum minor eſſet orbis, ſpaciosius cœlum recepit grande illud depoſitum. Scio non egere poëtarum laudibus tanta ævi decora. Sed nec faſtidiunt gratæ poſteritatis benevolas voces. Amant in hominum animis vivere, quos publicæ utilitatis & ſecuritatis aſſertores Deus conſtituit. In Guſtavo, auguſtæ memoriæ Rege, duo mecum ſtupuit univerſitas; vitæ innocentiam & fortitudinem militarem. quarum illa inter Reges rariſſima eſt, hæc gentis veſtræ propria. Laudum ejus faſtigia ſolum perſtrinxi. Nec enim in iis ſigillatim enarrandis ſufficerit nova Illas. Rerum ab illo geſtarum magnitudinem, nec Hiſtoricorum annales, nec Oratorum ambitioſa oratio, nec Poëtarum grandiloquæ voces adæquare valent. Omnia minora ſunt; quæ cogitamus, loquimur, ſcribimus. Ego, qui poëtices ſtudia impenſius amplexus ſum, inter tot maximo Regi parentantum officia, nolui eſſe Harpocrates. Vocem mihi extorſit tanti Principis illuſtris fama, quæ jam pridem non privatis tantum populi ſui, ſed totius mundi ſuffragiis ſubvecta mortalitatis terminos egreſſa eſt. Vtinam ab iis, quas luctanti Germaniæ commodas curis, tantillum ocii impetrare queas, quod poëmatii hujus lectioni dones. Forte non pœnitebit in compendio perſpexiſſe Regis laudatiſſimi ingentia merita, qui quantum tuis conſiliis vivus tribuit, tantum ſua merita

tuis

Digitized by Google

tuis conjuncta esse voluit. Quod si benigniore oculo hæc nostra adspicies, optem exemplaria aliquot ad eos ire, quos Regis sui non quæsita laudatione affici judicabis. Vale Heros illustrissime, & crede etiam ita Batavis vivere Gothicæ fortitudinis serios æstimatores. Amstel. 4 Dec. 1633.

220.

GODEFRIDO DE HAESTRECHT.

ACcipio condicionem, nobilissime Haestrechti, nempe ut aliquando invisam Dominum & Dominam de Poelgeest. Fiet hoc, ubi Canicula latratu suo Professoribus silentium imposuerit. Sed hoc volo, ut te mecum istic loci sistas. Te præsente omnes loci istius amœnitates erunt amœniores. Te absente illæ ipsæ amœnitates nubilæ erunt & tempestates meræ. Insidiabimur avibus, piscibus, feris. Nisi antiquas artes dedidicisti, volupe erit volantes volucres glande dejicere, ut miracula tua videam, quibus majorem fidem habeo, quam, quæ Hallensi virgini adscripsit Lipsius. Ignosce, si à te hic dissentiam. Arcana Reip. jam non aperiam. Quia fateor me illa ignorare. De Induciarum eventu ne ipse Apollo Delphicus pronunciaverit. Si res Germaniæ ex voto Cæsaris succedent, decollavit omnis pacis spes. Sin Suecus perget rerum potiri, utile fuerit Regem Hispaniarum nobis parcere, ne pinguiorem offam ipsius buccis eripiat famelicus Septentrio. Ivit jam

Digitized by Google

jam classis nostra in Brasiliam. Ibit & Hispanienſis. In novo orbe decertabitur de veteris incolumitate. Trans maria quæruntur bellorum vel pacis causæ. Delegati Archiducis Isabellæ ad Regem profecti, mitiora responsa expectant. Nos non videmur abhorrere ab induciis, quia bellis nostris obicem posuit iracundior Mavors. Quid si majoribus ausis illum obicem rumpamus proximo vere? & cum fatis libeat bellum gerere. Cecinit olim Silius Italicus: Fati modum in sceptris esse, & alius quidam: Sapiens dominabitur astris. Dux Feria adhuc hæret inter montes, nec Elsatiam penetravit, obsistente Gustavo Hornio. Dux Vismarienſis Ratisbonam cepit, viamque sibi in Bavariæ ac Austriæ interiora aperuit. In Pomerania Walsteinius impune grassatur. Discerpitur misere Germania & præda victoris est, nunc Gustavi, nunc Cæsaris. Quam hic reportat victoriam, de civibus reportat, de quibus triumphare miserum. Quamdiu Gallus accinet Sueco, difficulter se per acuta belli expediet Imperator. Hoc oraculum puto te capere. Vale. 5 Dec. 1633.

121.

CORNELIO VAN BEVEREN.

Magnifice vir,

Mitto ad te Tumulum Sereniſſimi Suecorum Regis. Non debebat iste heros indictus abire, dignus præcone qualis Achilli obtigit.

Digitized by Google

Domestica hactenus cecini, & quæ propius nos concernunt. Iam libuit in exteri Principis laudes digredi, quem de Republica non solum nostra, sed & aliis Principibus bene meritum non diffiteberis. Vtique quantum Austriacis per ipsum decessit, accessit vel nobis vel aliis. Maluissem vivum laudare, quam mortuum, qui vivus Europæi orbis admiratio fuit. Nisi præveniisset mors, jam votis majora tenebat, imo Italiam fortè, cui veteres Gotthi graves fuerè. Sed solet sapientissimus Deus ruentis ad summa fortunæ impetus sistere, ut se regibus imperare discant, uti illi imperant subditis. Addidi quæ in Rheno-bercham lusi. Principi nostro iratscitur autumnus. Querulas voces populi audimus. Frustra hactenus advocata externa auxilia. Sed ignorat Remi turba, bella occasionibus geri. pugnare, cum volent, in Principum manu est. Sed expugnare, Θεῷ ἐν γένασι κεῖται. [*Dei in arbitrio situm est.*] Ita judicant, qui res publicas consilio metiuntur, non eventu. Vale & me ama, patriæ ac bonorum omnium amantissimum. 14 Dec. 1633.

222.

ARNOLDO BUCHELIO.

IAmpridem est, quod Antiputeanum, scriptum viruleptiæ, fastus Hispanici, & stoliditatis plenum legi. Iudicio tuo subscribo. Quod ut videas me & ante feviſſe, in libellum, qui Puteani habet Stateram, Antiputeanos duos, quorum

Digitized by Google

quorum posterior incipit pag. 185. de Statera Puteani judicium meum leges pag. 175 *, de Antiputeano pag. 195 †. Etiam breviter perstrinxi ‡ autorem Stateræ Puteani à Lipsii manibus, ut vocant, adæquatæ. Digni non sunt operosa & seria refutatione crassiores Brabanti. Iudicium istud quod pag. 179 occurrit, Salmasii est. Conquereris de infelici sumptuosæ expeditionis successu. Nec immeritò. Sed quis, mi Bucheli, in ordinem coget terrarum Deos, quibus agendi regula voluntas est. Si me de rebus politicis differentem audire vis, ita statuo: satius fore, si belli omnis vis transferatur in Novum orbem, in Brasiliam, & illas mundi partes, unde belli pabula Hispano suppeditantur. Satis fuerit, hic parta tueri. Foris pugnandum est, ut domi pax sit. Quàm autem unicè illam Helenam amet Tagi Rex, ex eo colligere est, quod non alia condicione Inducias paciſci velit, nisi reddita Brasilia. Facilis est nostratibus trajectus in istas terras. Portus jam aliquot patent. Navibus prævalemus. Incolæ barbari in nostros proniores sunt. Verum Societati Indicæ subsidia ex publico suppeditari debebant. Privatorum opes istis bellis pares non sunt. Omnino sperandum ut, quemadmodum Orientis insulis expulimus magnum illum Asiæ domitorem, etiam Brasilienſium continente exui possit. Vale Vir gravissime & virtutes tuas perge in me explicare, eruditionem, pietatem, prudentiam

* *Vid. Epist.* 210. † *Epist.* 213. ‡ *Epist.* 214.

Digitized by Google

dentiam, & qua amicos complecteris, omnis fuci nesciam humanitatem. 21 Dec. 1633.

223.

IACOBO VANDER BURCH.

Vir amicissime,

Ex literis tuis ad amicos datis intellexi, te in ea urbe morari, quæ orbi dedit pessimi Imperatoris matrem. Si tibi adessem, magis sollicitus essem de natalibus ac ætate Liberi patris, quam Agrippinæ. Tu felicissime, inter tot Rhenenses Lycei superba pocula, quibus gloriari solet ista urbs, jam mei obliviscēris, ac si ex Lethæo amne bibisses. Non puto te publicis officiis usque adeò obrui, uti amicis scribendi otium non sit. Satis opinor facundus eris præco succi Bacchensis, ubi ad nos redieris. Iam tacitus pasceris & frueris isto deorum munere, quod Druso Vbiorum debellatori tum temporis gustare non licuit. Ego felicitatem istam tibi non invideo, sed cuperem crepusculi partem tecum demere de solido die, ad insigne suspensæ alicubi hederæ. Delacum non eligerem, sed Moguntiacum, quale sapit Archiepiscopis, quorum ego de vini bonitate judicantium sententiam sequi malim, quam de fide pronunciantium. Quàm vereor, ne domum reversus Coloniam subinde sis respecturus. Paciscere cum palato tuo, ne litem tibi moveat', ubi cum Gallico tibi erit redeundum in gratiam. Sed desinam jocari. Colonienses quid moliuntur, quid incœ-

Digitized by Google

incœptant. Dic mihi, quem ex tribus magis amant, Suecumne, an Gallum, an Batavum? quemcunque elegerint male ipsis erit. Si Suecum recipient, discent propediem servire. Si Batavum non erunt amici Cæsaris. Si Gallum, tuta erit religio, minus tuta libertas. Feliciores fuerint, si sibi ipsi suffecerint. Princeps Auriacus non tam hostem, quam imbres infestos sibi habet. Auxiliares Finnorum copiæ, nuper advocatæ, dimittuntur cum gratiarum actione. Indignantur, quod pugnæ ipsis copiam non fecerit Imperator noster. Sed satius est illos labrum mordere, quam cum famæ nostræ periculo fortunam belli experiri. Si mori volent, etiam in Germania hostem reperient. Vale, & illustrissimos viros Beaumontium & Hugenium Legatos reverenter meo nomine saluta. Amstel. 22 Decemb. 1633.

224.

PETRO CUNÆO.

Cognatorum amicissime,

Epicedium istud Vincentii Fabricii paulò ante mihi miserat autor. Neque propterea inofficiosum puto beneficium tuum. An non mecum judicas Poëtam istum terse & nitide loqui. Rara est in Germanis ista scribendi ἀκρίβεια. [*accurata ratio.*] Sed subrisi, ubi afflictissimum & atratum Heynsium dicit cogitare,

— blandæ gaudia noctis,
Amplexusque novos, zonæque solutæ Primitias,

Digitized by Google

& qualem se candida primo invulerat thalamo. Non vult Aristoteles meus urbanitati locum esse in funeribus. Ad illud etiam ipsius Heynsii contraxi labrum: mea Ermegardi, lux mea,

Quondam ferocientis domitrix invicta juventæ.

Nam & hoc habet ἐυτραπελόν τι. [*venusti aliquid.*] Nuper variolæ liberos meos afflixere, jam in Collegæ mei familiam repsit malum, & Dionysium Vossium acerba parentibus morte exstinxit. Illi pauculis distichis parentavimus. Mitto una Epithalamium, quod in C. Gravii nuptias scripsi. Cogor hic in scenam prodire, modo læto & nuptiali, modo tristi & pullo habitu. Verum dum amicis obsequor, queritur se negligentius haberi Empiricus meus. Cuperem mihi versibus interdici, ne ad extremum peccem & ridendus ilia ducam. Vale amicorum candidissime, & doctorum clarissime, cujus famæ Nonni Dionysiaca, Sardi venales, Hebræorum resp. aliaque æternitatis pignora adblandiuntur. Amstel. 24 Dec. 1633.

225.

CONSTANTINO HUGENIO.

Nihil habeo, quod scribam, clarissime Hugeni, nisi hoc sit aliquid scribere, de nihilo scribere. Nihil habet, quod æstimet Stoicus, præter solam virtutem, quia nihil per se bonum, præter hanc ipsam. Nihil in pera sua invenit Cynicus, præter cicerem fortè aut lentem. Nihil loquitur Pythagoricus, ut post transactos

Digitized by Google

actos silentio annos, loquatur sapienter. Ex nihilo nihil fieri asserit Peripateticus, & in nihilum nil posse reverti. Nihil dicit moveri Melissus. Nihil esse verum Pyrrho Protagoras, & Stilpo. Hoc unum se scire ait Socrates, quod nihil sciat. Epicureorum improba vox est, nihil deos curare, nec rerum nostrarum satagere tranquillas mentes. Nos qui in hoc terræ punctulo belligeramus, litigamus, contendimus, res nihili sumus. Et cum ob punctulum totis castris concurrimus, nihil vincimus, nihil perdimus. Quoties magno conatu magnas nugas agimus, agimus nihil. Quoties vanas spes donamus huic seculo, lucramur nihil. Silent compita, fora, tonstrinæ, cum Cæsar & Suecus agunt nihil. Cum Gallus aureos montes promittit, & mittit nihil: cum à Rege pro Brabantis expectat molle pacis responsum, & ille respondit nihil: cum nos Batavi de induciis loquimur, & hactenus concluſimus nihil; cum fugati sedibus Episcopi, quo se sustentent, habeant nihil. Quid scribit Vrbanus Pontifex Italorum Poëtarum optimus? nihil. Quid respondet Barlæo ad tot literas Zulechemi Dominus? nihil. Quid Vanderburchius absens rescribit? nihil. Quid Brosterhuysius in arenis Velavicis molitur? nihil. Hæc omnia cum dixi, nolite offendi viri docti & graves. Quia dixi nihil. At qui tribus liberis masculis jam annumeras quartum, Hugeni, plus numeras, quàm nihil. Memento, quid aliquando scripserim: At cum Septemvir fue-

Digitized by Google

ris, vel forte decemvir, optabis mecum parcius esse pater. De vicariis nihil audis? nihil in illos possunt fatorum jura. Nisi vir bonus essem, optarem aliquem inter illos Protesilaum, vel Elpenora. Quod si accidat, cuperet surrogari nihili scriptor. Vale vir amicissime. Amstel. 2 Ian. 1634.

226.

EIDEM.

QVàm cuperem, me de nihilo nihil scripsisse, nobilissime Hugeni. Tam multa erudite & acute & falsè reponis, ut quod regeram, habeam nihil. Quare mutabo τὸ ὑποκείμενον, [*subjectum*,] & ne nihil mihi porro objicias, loquar aliquid. Exercet hæc vox jejunos Metaphysicos, exangues Dialecticos & inflatos Grammaticos. Illi quærunt futilissima, quæstione, an Res & aliquid æquipolleant, & placet sapientioribus pars affirmans. Isti quærunt, an inter ea, quæ καθόλου [*universalia*] vocantur, aut κατηγορούμενα [*prædicabilia*] referri debeat aliquid. Negant uno ore omnes & individuis vagis annumerant, quasi dicas mendicantium ordini. Grammatici vero hac voce destituti, carent egregio nominum præludio sive prænomine. Satyricus monet: Aude aliquid brevibus gyaris & carcere dignum, si vis esse aliquid. Fecit hoc Seianus, ante Seianum Philotas, post hos Cæsar Borgia, qui dum audent magnum aliquid, facti sunt nihil; Proverbio fertur,

Digitized by Google

tur, aliquid mali propter vicinum malum. Quod verum esse credunt Neoburgicus, Colonienſis, Lotharingus & Trevirenſis.

Est aliquid nupsisse Iovi Iovis esse sororem,
cecinit Naſo. Dicam ego:

Est aliquid nupsisse Duci, Ducis esse maritum,
Est formidato principe posse frui.

Apud Senecam legi: jam ſolus audes aliquid & claro die. At teſte Belga ſolus Italam quatis Chelyn diſertus. Equo donatus & à principe? aliquid nactus es, quod ad generoſitatem tibi præeat & bellum. Collega meus ducentos florenos ex dono Principis te curante accepit, nec aſpernatur hoc aliquid, ſive τὸ δὲ τί. Libuit tibi ſcribere ad Dominum van Hilte. Quare incipiam ſperare aliquid, ſi iſtis terræ filiis accidat humanitus aliquid. Sed audi: accidit hic ſuperiore hebdomade, lepidum aliquid, aut potius illepidum. Dum publica auctione venduntur ædes, mercatores plurimi partim ſpectatores, partim emptores, partim ex eorum numero, qui illices nummos captant, in cloacam quæ ſub pedibus erat inciderunt, alii mento, alii umbilico tenus ſordidi & ſtercorei. Vis dicam carmine?

Dum sibi magnificas mercator splendidus ædes
Quærit, & ex emptis lucra parantur agris:
Corruit emptores quæ ceperat area tantos,
Et nitidos sorpsit fœda cloaca viros.
Stillabant lento lachrymantia serica tabo,
Et facies scenæ vociferantis erat.

Digitized by Google

Tum risit natura parens & sordida, dixit,
Quæ petitis cives commoda, stercus olent.

Epitaphium istud scriptum S. M. Menippum istum graphicè depingit, qui mortuus hoc solum dolet, quod mordere ultra nequeat. Vale. 4 Feb. 1634.

227.

THEODORO SCHREVELIO.

PRo bulbis tuis, mi Schreveli, gratias ago maximas. Iam spe erigor, ut primo vere superbos istos flores videam, qui magnis & stupendis nominibus turgent. Est mihi hortulus pensilis è pariete cœlum inter & terras. Si non majores fuerunt Semiramidis, non debebant miraculis adnumerari. Longus est pedes 14, latus sesquipedem. In illo videbis plantas fruticesque varii generis, rosam, juniperum, rosmarinum, laurum, absynthium, abrotanum, thymum, salviam, rutam, anemonem, arcum, frutillariam, narcissum luteum flore duplici, aliaque permulta. Inter hos terræ alumnos palmam merentur tulpæ versicolores, quarum partem tuæ, partem aliorum debeo munificentiæ. Non desunt hic viri egregii & graves, quos hæc plantarum species transversum rapit, ut dum in ceteris sapere videantur, hic prorsus insaniant. Ignoravit hoc fatuitatis genus Erasmus, cum Moriam scriberet. Adeò novos usque μώρους [*stultos*] parit fecundissima mater. Sed quid hoc rei est, non excurrisse te ad nos cum Harlemi esses?

Digitized by Google

esses? Iam expectabam indies adventum tuum, hac spe, ut cum optimo sene Wilhelmo Nicolai pranderemus de porcellis marinis. Frater meus hactenus, ut videbatur, μισόγαμος, [aversus à nuptiis,] tandem incaluit. Collega D. Vossius filium Dionysium luget, variolis exstinctum. Scripsi illi lessum, uti & Gravio nostro nuptiale carmen. Ita hic jam lætis, jam tristibus vaco, & modo Heracliti, modo Democriti vultum induo. Poëtarum est Protea agere posse, & cum flentibus flere, ac gaudentibus ridere. Mitto exemplar, ut si libeat & oportunum sit fleas mecum, rideas mecum. Vale. Amstel. 1634.

228.

IACOBO CATSIO.

Amplissime vir,

Quanti poëmata tua semper fecerim, norunt illi, qui me familiarius norunt. Vivo in ea urbe, quæ Poëtas Belgicos habet sublimes & cothurnales, quorum dictio non est publici saporis. Mirabilia magis & stupenda loqui amant, quam utilia. Per nubes gradiuntur, & despectui habent aquæ potores. Adversus hos sæpe pugnare soleo tuo exemplo, qui utile misces honesto, ac dulci, & utrumque mira perspicuitate effers, ut legi ea & intelligi à nemine non possint. Quin tale carminibus tuis argumentum eligis, cujus lectione melior hilariorque abit lector. Hoc est, Philosophiam Socratico more è cœlo

&

Digitized by Google

& aſtris in domos familiasque deducere. Nec aliter locutum puto Herculem Gallicum, qui facundæ vocis cathenulis duxiſſe dicitur populum, quo vellet. Ariſtoteles meus primam dictionis virtutem dicit eſſe σαφήνειαν. [*perſpicuitatem.*] Primus quoque poſt tot veteres ſapientiam profeſſus eſt verbis propriis & perſpicuis, cum quotquot ante ipſum Philoſophati fuere, Sapientiæ arcana vel Poëticis fabulis, vel allegoricis commentis, vel Cimmeriis numerorum tenebris involverint. Alia tibi mens eſt. Scribis, ut intelligaris, doces ut proſis in media plebe, in foro, in compitis, in thalamo, in menſis; in quavis ætate invenis, quod probes, quod taxes, quod corrigas. Concionantem te audiunt domi, viri, feminæ, nuptæ innuptæque puellæ. Tantoque gratior es, quanto concionaris ſuavius, mones blandius, reprehendis occultius. Libri tui pro Homiliis ſunt, & pars ſupellectilis precioſiſſima. De aliis non loquar. Illud ſcio, tantum eſſe librorum tuorum in mea domo precium, ut uxor mea, femina ſic ſatis cara & prudens, veſpertinis horis tanta attentione eos legere ſoleat, ut & mariti lecti obliviſcatur. Sæpe ad leges tuas provocat, adverſus quas peccat ſubinde ἀνώμαλος [*communem excedens regulam*] cupido. Sententias tuas loquitur, monita tua objectat non ſemel. Quam lætor te ſpem nobis facere novi operis de caſibus conjugiorum memorandis. Petis, ut Latinis verſibus exequar, quæ Belgicis rhythmis donaſti. Verum, qui poſſim à modeſtia mea

Digitized by Google

mea impetrare, ut meam paginam jungam tuæ. Loquar citra adulationem. Solus nonnihil lateo, uti putrida quercus in tenebris. Tibi junctus exploderer à theatro, & positus juxta Solem vix Mercurius essem. Qui cum gigantibus ambulant, nani videntur, quamvis mediocris sint staturæ. Et ea est animi mei indoles, languet in præscripto argumento. impetu quodam deferri amat & liberrimo pede in id, quod tractandum sumit. Accedit, quod nihil tractem illubentius, quam Amores. Scribo interdum Epithalamium amicis id efflagitantibus, quorum preces pro imperiis sunt. Sed vellem magno ista officia redimere. Deterret etiam me operis magnitudo, amo discursus breves, nec uni argumento libet diutius inhærere. Quare velim propius scire, quæ tua mens. Cuperem tibi obsequi, modo sine professionis meæ detrimento fieri possit. quæ non patitur, ut me laborioso operi mancipem. Expecto, ut propius aptius institutum. Vale Vir clarissime. Amstel. 10 Ian. 1634.

229.

IOHANNI PILIO, *Iuris studioso.*

GRatias tibi ago maximas, doctissime Pili, quod pro pauculis versibus toto me carminum opere bees. Debebat ille tuus patruus diutius vixisse. non carent genio & nervis eruditæ ejus de Ambitione commentationes. Quidam Poëtæ vocum suavitate & verborum torrente luxuriant, quæ si demas, σκελετὸν [*aridum*] sunt

Digitized by Google

sunt & exangue corpus. Hic argumenti gravitas à dictione, dictio ab argumento precium capit. Habes, quem imiteris, sive hedera caput cingere voles, & pulsare plectrum; sive vitæ probitate in seculi invidiam vivere. Neutrum fastidit, cui te dedisti Iurisprudentia. Tanto eris gratior Iurisconsultus, quanto disces loqui elegantius. tanto eris justior legum interpres, quanto magis excelles morum sanctitate. Ab hac Iustitia universalis non magis discrepat, quam indumentum à vestimento, via qua itur Leidam Harlemo, & qua itur Harlemo Leidam. Spem facis, uti tuis aliquando sis futurus honori, patriæ emolumento. Huc te vocant manes Lilii, maximi viri, cujus hic est libellus, conspicua olim virtus, & præceptorum (quos Leidæ habes summos) illustria exempla. Horum vestigiis insiste & de ignorantia, livore, mortalitate propediem triumphabis. Vale adolescens optime, & hac ætate disce, ut doceas, vive, ut æternum vivas. 11 Ian. 1634.

230.

IANO BODECHERO.

ACcipe, mi Bodechere, tristia pro tristibus, lessum pro lesso. optimo juveni Dionysio Vossio parentavimus, licet tu operosius. Non una lingua, loqueris in eum, cui pluribus loqui & scribere datum fuit. Subduxit Deus invidiæ, quem invidendis virtutibus ornaverat. Patri non solatio solum fuit, sed & subsidio. Hic se Stoico-

Digitized by Google

Stoicorum placitis jam tuetur & adversus domesticam jacturam pectus munit necessitatis lege. It juxta Epithalamium, ut videas socio passu in terris incedere dolorem & voluptatem. Amicis obsequimur, modo atratis, modo candidis. Ego inter miserias meas numero, Poëtam esse. Scribendum nobis est, etiam tunc, cum minime lubet. Tempus est, ut cum Musis divortium faciam, quæ invitum pertrahunt in lusus amantium, quos jam per ætatem dedidici. Tibi aliisque jam illam lampadam tradimus, quibus γένυ [*genu*] est χλωρὸν. [*viride.*] De amoribus dicendum est illis, qui amant aut amare possunt. Duo versus dictant, indignatio & amoris πάθος. [*affectus.*] Hoc in me languet, & cum illo Poëticus furor. Trudit homo hominem, & vates vatem. Morimur per vices, & suo quisque ordine. Pariter dum vatum alii rauce sunt, renascuntur alii, quibus guttur cantillat suavius. Tibi per ætatem facile, Et calamos inflare leves & dicere versus. Vale Vir doctissime & parentibus tuis plurimam salutem nuncia. 11 Ian. 1634.

231.

IACOBO CATSIO.

Carissime vir,

Traditæ mihi sunt per tabellarium literæ tuæ, ipsis Cal. Decembris exaratæ. Respondissem citius, sed obriguit præ frigore manus & calamus. Vt tardior sim factus, non meo sed cœli vitio. Iam cum gleba & glacie resolvor. Accepi

Digitized by Google

Accepi ab amanuensi tuo apographa tuarum Commentationum in nuptias Cratis & Hipparchiæ, necnon Tryphosæ & Iocastæ expostulationes adversariæ. Has jam ante legi. Illas cum stupore legi. Lecturus iterum atque iterum, ut totius historiæ ideam præsentiore animo circumferam. Quid dicam? omne punctum in hoc scribendi genere refers. Misces utile dulci, & quæ prima vatis laus est, rebus loqueris convenientia. Nescio, quid illis addi à me possit. Ero imitator. Premam præeuntis vestigia. Et si à via deflectere me contingat, revocabit mè aliquis è machina Deus. In Cratis historia excuti debet Cynismus, & dogmata baculo ambulantium philosophorum. In virginum non virginum historia excutienda erunt aliqua quæ in amore elucent vitia, clementiæ quoque & severitatis certamen. Feriamur jam hebdomadas duas, tresve. Per hoc tempus captabo intervalla Musis apta. Sum scriptor valde desultorius, nec ovis incubo more gallinarum. Informes partus desero per biduum aut triduum, ut alacrior postea redeam ad desertam prolem. Interea versiculos hosce arrhabonis loco habe, & animi mei candidos obsides. Vltro in magnorum virorum laudes rapior, & injussus amo istiusmodi argumentum. Si ingenii culpa merita tua detrivi, peccavi inofficiosæ humanitatis titulo. Vale vir summe. 1634.

232. EI-

Digitized by Google

232.

EIDEM.

FÆ est nominis tui apud me reverentia, clarissime Catsi, ut diutius tergiversari non audeam. Facile impetrabis à me, quæ si voles, imperare tuo jure potes. Qui publicis meritis Remp. sibi obstrinxit, inter singulos me quoque debendi reum habet. Sum facilis flecti, & jam diu est, quod à moribus meis secreverim pertinaciam. Videor quoque jam propius percepisse mentem tuam & instituti rationes. quamobrem muto sententiam & opellam meam, quam exigis, offero liberalissime. Libet periculum facere in narratione una aut altera, ut si placuerit specimen, spes sit placere posse reliqua. Si alias non omnino invitis Musis lusi, forte & hic aderit vocatus Apollo. Expectabo conjuges tuos sive tragico, sive comico eventu celebres. Mirum, furens quid femina possit, præsertim cum mollis flamma est medullas, &c. Illa in veterum orchestra detonuit, primum Græco, mox Latino ore. Illa soccum induta populo exhibuit percinctum fecibus os. Illa viris regnisque terribilis fuit, tot bellorum causa & incentrix. Quicquid cupit mulier, vehementer cupit. Mediocritatem nescit, omne extremum amat & præceps. Quod quidem à rationis est defectu & affectuum impotentia. In his dum versaris, sequar vestigia tua, ita tamen, ut digredi liceat, & circumferre animum per obvia Pieridum loca.

Digitized by Google

Libertas cum juris sit naturæ, Poëtis eripi non debet. Suavius in silvis canunt aviculæ, quam si carcere includas. Experiar, quid possim. Molestias, si quæ fortè occurrent, discutiam argumenti novitate, carminum tuorum suavitate, quæ mihi iter monstrabunt, qua eundum. Facile saltat, qui saltanti choro pedes aptat. & canit confidentius, qui præcinentem sequitur. Libris poëmatum tuorum valde recreasti uxorem & liberos. Illos inter κειμήλια [*monilia*] habent. quoties à domesticis curis respirant, ad illos deflectunt, ut se recolligant. Gratias omnes tibi debent, & per me agunt. Vale Vir amplissime. 29 Ian. 1634.

233.
JOACHIMO VICOFORTIO.

Vir amplissime,

Ex quo à nobis discessisti, omnia hic frigent, aër, studia, amici. aëris inclementiæ oppono foci luculentioris beneficium. Studiorum inertiam, quam bruma adfert, solor poëticis digressionibus, quas non studiis, sed lusibus annumero. Amicitiæ frigus à tua est absentia, qui amicorum plurium hic soles esse coagulum. At huic incommodo occurrendum litteris, quæ cum absente te loquantur. Iam Haga te habet, rerum quæ hic & alibi geruntur, proma conda. Illic inter aulicos ambulas, prandes, cœnas. In tanta felicitate mirum si vacet mei recordari. Ego istos aulæ splendores vel hoc solum

Digitized by Google

ſolum nomine odi, quod ſuaviſſimum conſuetudinis tuæ fructum mihi eripiant. Expecto, ut propediem ad nos redeas, ut in ſinum noſtrum effundas horribilia imperiorum ſecreta. Propius jam Deos contingis, ut ſi rerum publicarum ſatagere libeat, ſcire poſſis, quid Rex Reginæ in aurem dixerit, quid Iuno fabulata ſit cum Iove. Intelligam ex te quantum à Gallo, quantum à Veneto expectandum bellis noſtris præſidium: Hic poſt ridiculum iſtum mercatorum caſum novi accidit nihil. Qui imperant, novos ineunt & anniverſarios magiſtratuum cenſus. Qui parent, antiquum obtinent. alii rem faciunt, alii frangunt, alii Biantis exemplo Vianam ambulant, & dum æris egent, Cappadocum ſibi reges videntur. Hiſtoriam de presbytero Planco domi ex tuis intelliges. Piget enim, cucullatos iſtos doctores in ſcenam producere, nec traducere quemquam eſt moris mei, quoad de facinore non plane conſtat. Vale. 4 Feb. 1634.

234.

CORNELIO VANDER MYLE.

REdeunt ad te, Nobiliſſime Myli, chartæ Venetorum. Ille * qui ſyllabum iſtum autorum contexuit, bonam operam præſtitit Philologis & Criticis: Ego malo videre aciem militum diſpoſitam & directam in Hiſpanos, quam aciem & ſeriem librorum. Itali jam libros

* *Leo Allatius.*

Digitized by Google

bros scribunt & illos in alphabeti ordinem redigunt. At veteres Itali, regna, urbes, provincias in ordinem redigebant. Adeo à priscis moribus degeneravit Itala tellus, ut quæ bellis olim excelluit, jam è libellis quærat gloriam : quæque armis pugnavit pro Romulæ gentis majestate, jam chartis eam asserat. Autor * *Aræ maximæ*, hoc omni studio conatur, ut graviter loquatur, quia de re sacra loquitur, ad Romanæ Ecclesiæ Præsulem. Verum dum nimis est in illo carmine prolixus, hic illic diffluit, ut solet languere longa ambulatio vel cursus. Horatii monitum est :

Vt primo medium, medio non discrepet imum.

Carmen illud Matthæi Vayræ est laudabile. Convenientia loquitur Quiringo. D. Vossius adscriberet judicium suum, sed is ex pedibus laborat. Podagricus est, quo morbo nec mulier, nec eunuchus laborat, secundum Hippocratem. Legi historiam Canis Prætorii. Magnus campus panditur Epigrammatum scriptoribus. Sed mihi non vacat bonas horas istis ineptiis terere. Incidi in hoc alicujus :

Dum miseros duro vexat sub Consule cives,
Et male damnatas sorbet egenus opes :
Deplorat cineres & mollis fata catelli,
Et pecus invisum bestia Prætor amat.

Et hoc alterius :

Excepi fures latratu, mutus amantes,
Sic placui domino, sic placui dominæ.

Alius

* *Lelius Guidiccionus.*

Digitized by Google

Alius hoc lusit :

Quis dubitet, quantus sit vellicionis amator,
Qui tanta sepelit vellicione canem.

Etiam hoc legi :

Viderat alma Themis condi feriale cadaver,
Custodemque suum justa parare Cani.
Moxque ait: heu quo nostra ruis Respublica: jura
Quæ fuerant hominum, sint ea facta canum.

Circumfertur & illud :

Ennius emeruit Calabris in montibus ortus
Contiguus poni Scipio magne tibi,
Tityrus emeruit canibus Leidensibus ortus,
Contiguus poni prætor inique tibi.

Vale Vir maxime, & dicacium poëtarum hos partus ubi exceperis, neca. Ego rem ludicram tanti non facio. 4 Mart. 1634.

235.

JOACHIMO VICOFORTIO.

Amplissime Vicoforti,

Traditæ mihi sunt literæ tuæ media nocte hora duodecima. A qua diem suum auspicantur Ægyptii sacerdotes. Nec tamen credas velim, me in istud tempus traxisse studia. Odi lucubrationes, utpote valetudini noxias, nec gratas conjugi quæ mihi pro legata à latere est. Exceperat nos solenni epulo Nobil. Realius, à quo abire non licuit, nisi intempesta nocte. Et quanquam plusculum aspersus essem Lyceo, nolui ire cubitum, nisi lectis tuis literis. Quæ adeò placuerunt, ut pulvinari supposi-

Digitized by Google

positis indormiverim suaviter. Ita tu mihi, loquor tropicè, pro culcitra fuisti. Feci divortium cum uxore, quæ mihi peperit non gemellos, uti Latona, sed unum instar gemellorum. Non puto robustiorem fuisse Herculem, cum in cunis vagiret & immissos à noverca angues strangularet. Videtur infans cum Gallis bella probare non inducias. Nam clamat & vociferatur, quod proprium est bellaturientium. Magnas turbas dat regno nostro. Adultum auderem istis mirmillonibus Barbanzonio, Gramontio, & Borgiis opponere. Audivi inter Gallum & Federatos Ordines jam convenisse. Quibusdam istud consilium placet, quibusdam displicet. Ego mi Vicoforti, in rebus fidei acquiesco decretis Ecclesiæ universalis, in rebus politicis decretis Ordinum & Principis. Volo enim mihi deberi & hominis Christiani, & boni civis titulum. Vale & Zulechemi Dominum saluta. 10 Mart. 1634.

236.

CONSTANTINO HUGENIO.

MAlè mihi cessit censura mea, aut si mavis, candida rusticitas. Adscripsi Epigrammatis tuis, Bonum, melius, optimum. Vereor, ne nunc alius adscribat, Censor malus, pejor, pessimus. Helenam quavis corporis parte fuisse pulcherrimam, nunquam credidit Menelaus, nunquam Paris. At optimum istum & præstantissimum Senatorem judicare, omnia & singula tua

Digitized by Google

la tua Epigrammata optima esse absque comparatione, non miror. Sinite me verum dicere: noliti irasci heroës. Auliciſmos calletis. Ego ab istis schematibus indole & vitæ consuetudine alienior sum. Vos ἄυξησιν [*orationem augentem*] nostis & ὑπερβολὴν, [*fidem excedentem,*] & μείωσιν. [*diminuentem.*] Vobis modo κατὰ τὸ πρᾶγμα [*prout se res habet*] modo καθ' ἄνθρωπον [*ad palatum hominum*] loqui familiare est. Ego Ethicæ Professor nescio χαριγλυτεῖν [*gratiam verbis captare,*] aut ὑποκοριστικῶς [*blande*] loqui. Ergo, quia dixi quod res est, ob virtutem vapulo, & citor ad Grammaticum tribunal, ubi pro me causam dicet simplicitas. Mi Hugeni, si singula quæ scribis sunt gradu optima, necesse erit epigrammata tua aut substantiam esse aut quantitatem. Nam hæc duo rerum genera negat Aristoteles recipere magis vel minus. Præterea, si omnia optima sunt, non est spes, ut posthac videamus epigramma melius iis, quæ scripsisti: spes non est, ne de te verum sit dicere illud Socratis ἀεὶ γηράσκω &c. [*semper consenesco* &c.] Si omnia primæ sunt notæ, quid opus censura? quid opus Criticis & Hypercriticis? Censores olim in populo Romano constituti, quia Remi turba nec optima erat, nec pessima. Si carmina tua nulla sunt bona comparatione, ergo titulos Domitiani admitte: *Optimo, Maximo.* Si poëta es semper tibi similis, ergo bonus poëta non es, juxta illud: quandoque bonus dormitat Homerus.

Digitized by Google

Si ſemper canis optima, aut verum non eſt illud: Carmina proveniunt animo deducta ſereno: aut ſemper ſerenus ſis oportet. Poſſem plura adferre pro gradibus comparationis, ſed nugarum ſatis eſt. Epigrammata, quæ poſtrema miſiſti, legi & relegi. Sunt optima. Cavebo mihi poſthac à gradibus, ne gradibus dejiciar à ſexagenario Senatore. Clariſſimum Honerdum ſuaviſſimæ inter nos litis autorem ſaluta. Vale. 16 Mart. 1634.

237.

JACOBO PETITIO.

GRatias tibi ago, ampliſſime Petiti, quod anni mihi primitias conſecraveris. Liceat mihi dicere: Quid meruiſtis oves placidum pecus? Si viveret Pythagoras, quam indignaretur tibi, quam mihi. Tibi, qui imbelle animal innocentiæ ſymbolum, tot uſibus celebre, victimam feciſti petacis gulæ. Mihi, quod auſus ſim viſcera in viſcera recondere, & ſanguinem ſanguine paſcere. Lege orationem Pythagoræ apud Ovidium pro animalium cauſa, & Plutarchi de eodem argumento diſcurſum. Fortè diſces ſolis herbis veſci, & beta, malva, lactuca, cichoreo contentus eſſe. Quarum anima non eſt in ſanguine. Me quod attinet, abſolvo te à crimine, & ubi cauſam animalium aliquando dicet redivivus ille Samius, habebis me facti tui patronum. Tempeſtive miſiſti munus iſtud, ut videri poſſis bis dediſſe. Nos armo iſto

Digitized by Google

ovillo sacra fecimus Lucinæ, & placavimus difficilem, exemplo veterum Romanorum, qui cæsa jungebunt fœdera porca. Mitto uxori capsulam cum conditis Cydoniis. Eam optem feliciter peperisse, ne solus ego aut beatitudine ista, aut miseria fruar. Vale amicorum cordatissime, & difficillimis mihi temporibus probate. 6. April. 1634.

238.

FREDERICO GUNTHERO.

Magnifice vir,

Festivè me alloqueris, postquam festivam meam de Re Orationem dignatus es legere. Ita fit, ut qui crepundia contrectant, incipiant repueraſcere, & minus esse tetrici. Voluissem me magis seria & digna te dixisse. Sed talis sum, sine jocis & risu vivere non possum, non magis, quam Gallus sine scabie & Græculus sine frictione. Quàm benè famæ meæ consuluit Aristoteles, quod inter virtutes, quas non nisi undecim habet, Comitati & Vrbanitati locum fecerit. Nam qui has inter opera carnis numerant, haberet me pro homine minus spirituali. Nec ob hoc indignor. Ne tamen me putes semper esse γελωτοποιὸν [*risum excitantem*] & nihil crepare solidum, en Mercatorem Sapientem, en Bonum Principem, en Amorem Sapientem. Tituli graves quid non pollicentur? Illa de Bono Principe dissertatio dicitur Romæ Purpuratis placuisse, à Machiavellismo, uti mecum credis,

Digitized by Google

credis, valde alienis. Nisi me hæresi (loquor ex illorum sententia) imbuissēt mater, potuissem Apostolicam benedictionem mereri. Ego Florentini istius scribendi & loquendi formulas semper odi; licet & sectatores ubique & instituti sui vindices acerrimos inveniat. Quod nuperrimè scripsi, quam tibi neglectus jam fastiditur Achilles, scripsi hoc sensu, non quod saluberrima Homeri præcepta fastidias, sed quod qui Reges, Principesque jam informas, fastidias de illo autore jam publice verba facere. Eloquar an fileam doctissime Gunthere:

Me si fata meis paterentur ducere vitam
Auspiciis, nullique dies horasque locare,

juberem plorare scholas, cathedras, pulpita, Platonem & Aristotelem. Unicam amplecterer meretriculam, non Thaidem, non Laidem, non Phrynen, aut Floram, sed Poësin. Quod superest rogo, ut hanc de tua humanitate conceptam fiduciam & ex fiducia natam παῤῥησίαν [*loquendi libertatem*] boni consulas. Adeò audaces sunt humaniores literæ, ut putent eos, quos communia studia junxere, vita, moribus, alloquio arctius jungi debere, & prorsus συγχρηπίζειν. [*pari more vivere.*] Tu Vir præstantissime, qui ingenium excellens non per rem & reculas, sed civilem sapientiam circumduxisti, facile hoc à te impetrabis, ut & serium amicum ferre possis & jocularem. Ubi de Rege tuo & regii heredis nuptiis aliquando erit loquendum, dices,

— *Quan-*

Digitized by Google

— Quantum mutatus ab illo,
Qui potuit nuper de re jocularia fari.

Vale. 6 April. 1634.

239.

ADRIANO PLOSIO.

Obilissime vir,

Gratulor tibi natam filiolam, & puerperam post novem mensium fastidia peperisse. Absolvis me ab officio carminis, quod promiseram. Causam nescio. Etenim, sua quoque laus muliebri sexui debetur. Sine quo miserrima esset viris vita. Canit Serenam & Mariam Claudianus, Stellam & Violantillam Statius, alii alias. Et quanquam nihil ob ætatem dignum gesserit filiola, tamen bene natam esse laudabile arbitror. Ego hæc proli tuæ opto & voveo: ut primos infantiæ dies transigat sine epilepticis convulsionibus: ut dentiat absque dolore: ut adolescentula formam induat, nec appetibilem nimis, nec aspernabilem, ut nubilis formam ornet modestia & pietate: maritum nacta nec imperare velit, nec servire: mater facta prolem neque perdite amet, neque negligenter habeat: annis confecta vitæ se melioris spe, vitæque bene actæ conscientia soletur. Habes voti mei summam & compendium. Vbi filiolo te aliquando beabit uxor, liberabo me promisso. Caseus iste Limburgicus adeò me exhilaravit, ac si Limburgi essem factus Dux. Non potuisses me gratiore tibi munere devinxisse. Plinius multa

Digitized by Google

multa caseorum genera recenset. Sed nullum est huic par aut secundum. Refertur apud Plutarchum in Laconicis, quendam Laconem dixisse: Si caseum haberem, non egerem obsonio. Ego postquam Limburgensem nactus sum, non obsonio solum carere possem, sed & primariis ferculis. Adeò hoc genere casei delector, ut vel solus ejus nidor & graveolentia me afficiat, à qua plurimi vel temperamenti vicio, vel quia iratos habeant Deos abhorrent. Puerperam vegetam & incolumem tibi restituat Deus, ut postquam huic εὐχαριστικὸν [*gratiarum actionem*] solverit, tecum, spe filioli, redeat in gratiam. Principum Brabantiæ calamitas documento est, capitale Belgarum odium alte insedisse Hispanorum animis, & de mutanda istic Reipub. forma ipsos cogitare. Hoc ut fiat, demetenda sunt papaverum capita. Sed bonus Arschotanus serò nimis discet, fabulam Æsopicam de vestigiis leonem spectantibus, non retrorsum. Versus Neodalii optimi sunt. Illos in obitum Adriani Pontificis, non esse Romæ scriptos ausim affirmare. Cremonæ illa tutius dicuntur, aut in Venetorum stagnis, quam ad Tiberim. Vale Vir spectatissime & me amare perge. 20 April. 1634.

240.

ROCHO HONERDO.

Amplissime Honerde,

Non video quid causæ sit, quod tam solli-

Digitized by Google

ſollicitè videaris tibi metuere à cenſura mea. Epigrammata tua iſtiusmodi ſunt, ut pro paradigmate aliis eſſe poſſint. Me certè non mediocri affecerunt voluptate, licet illam ipſam voluptatem caſtigaverit memoria calamitatis publicæ, quam deſcribis. Dolui ob duriſſima belli Belgici rudimenta, quæ maximis patriæ noſtræ Proceribus luctuoſa fuerunt, ſub rhododactylo Duce. Verſus tui pondus habent, & nervoſa eſt omnis clauſula. Poſſem quoſdam deſignare, qui antiquis genio non cedunt. Sed nolo iterum delabi ad gradus comparationis. Vtinam ea publici juris facias. Erunt pro hiſtoriæ compendio nepotibus. Verum duo requiri judico. Vnum eſt, ut nummorum imagines ſingulis epigrammatis addantur. Alterum eſt, ut brevis addatur hiſtoriola, quæ inſcriptionis cauſam exponat. Hoc factitatum ab aliis, qui veteres nummos nobis dederunt, Ænea Vico, Occone, Goltzio aliiſque. Et profectò memorabiles res geſſimus, dignaſque poſteritatis memoria. Flebilis primò fuit Reſp. noſtræ ſtatus, exulantibus Auriaco, aliiſque Belgii nobilibus. Mox veluti à morte rediviva lacertos cœpit movere, & amiſſa recuperare. Tandem domeſticos fines egreſſi in Orientem & Occidentem ivimus. uſque adeo, ut quos metus dejecerat, jam metuendi ſint. Inclinationem fecit Mavors, & propriis præſidiis ac munimentis inſtitit de defenſore ſollicita Reſpublica. Hæc libri tui, hæc epigrammatum tuorum materies eſt.

Digitized by Google

est. Decessit invidia & factis & dictis. Et quando nomoclastem tuum videbimus? tragœdiam exactam & gravem. Redeunt ad te chartæ tuæ & nummi. Addidi meos, ut seligas in tuos usus, quos & quot voles. Vale. 4 Maji, 1634.

241.

CORNELIO VANDER MYLE.

ITerum Hagam repetit vir doctissimus Manasses Ben Israël, pulsaturus denuò fores publicæ benignitatis. Possent Illustrissimi Ordines, sine magno strepitu, solari optimi viri itiones & reditiones. Non est necesse Christianos Proceres respicere ad hominem Iudaicæ religionis antistitem. Alio titulo ipsi poterit consuli. Profectò meretur aliquod præmium ipsa eruditio, & linguæ Hebraicæ, quæ in illo est, summa peritia. In libro suo nec Christianam religionem defendit, nec, quod sciam, oppugnavit. Multa scribit Christianis scitu utilia, nihil ex diametro Christianismo oppositum. Professoribus Leydensibus viris doctissimis, & Christianæ religionis assertoribus seriis suum sit integrum judicium. Si de Adami & Evæ conjunctione scripsit minus probabilia, & quæ Christianis omnibus, etiam mihi, videntur paradoxa, dandum hoc Cabalæ, & Thalmudistarum ineptiis annumerandum. Et quis, quæso est, vir præstantissime, vel Philosophorum vel Theologorum, cui non proprium aliquod arrideat placitum? Græci vocant τὶ ἀρέσκον τοῖς φιλοσόφοις, placen-

Digitized by Google

placentia Philosophis, de quibus eruditissimum libellum scripsit Plutarchus. Platoni Ideæ, Aristoteli intelligentiæ orbium cœlestium motrices, Epicuro atomi, & ante hos Socrati sua dubitatio, Pythagoræ animarum de corpore in corpus transmigratio, placuere. Origines quam multa defendit, quæ Christiani omnes improbant. Invenias aliquid in Tertulliano, Hieronymo, Augustino, cui non facile subscripserit quivis nostrum. Quid mirum si Iudæus aliquid asserat ἀνώμαλον, [*præter regulam*,] & præter opinionem nostram. Non defendo Iudaismum, à quo abhorreo. Sed hoc contendo, posse Christianos etiam ex Iudæorum scriptis multa addiscere, & illa monstrantibus si faveant, nihil facturos contra conscientiam. Aquila, Ionathas, Septuaginta interpretes Iudæi omnes, Bibliorum nobis dederunt versiones. Sed non arbitror inhonoratos dimissos esse 70 istos senes Iudæos à gentili Imperatore Ptolomæo Philadelpho. Si virtutem laudamus in politico hoste, quid ni aliquod precium sit doctrinæ apud dissentientes, & discrepantes fide. Scribo hæc non alia de causa, quam quod condoleam viro modestissimo juxta & eruditissimo. Tu, Vir nobilissime, qua es prudentia & humanitate virum juva & mecum ama ob candorem, industriam, facundiam, eruditionem & ingenium. E Musæo nostri Amstelod. 10 Maji, 1634.

242. IO-

Digitized by Google

242.

IOHANNI OXENSTERNIO, *in Angliam Legato.*

Illustrissime Oxensterni,

Non remorabor tua tempora, quæ publico impendis, longo sermone. Amant Dii Principesque Orationem brevem. Ex quo mihi amicitiæ tuæ fores reclusisti, auribus tuis subinde literis meis obstrepui. Nuper Batavos vidisti Romani imperii fratres & amicos. Iam Britannos vides priscis valde dissimiles. Olim in advenas & peregrinos feri erant & crudeles, Horatio teste:

Visam Britannos hospitibus feros.

Iam mites sunt & prolixæ in exteros humanitatis. Regem vides, qui pro paradigmate esse possit optimi Principis, sive pacis studia, sive literarum amorem, sive regiarum quæ in ipso sunt virtutum excellentiam, majestatemque spectes. Ne mirare, me de literarum amore aliquid inspargere. Nam indignum me non laurea, sed aurea aliquando donavit. Faxit Deus, ut confectis negotiis publicis salvus incolumisque ad tuos redeas, & magno Parenti, qui grandem istum concussæ Germaniæ Atlantem humeris sustinet, tuos commodes. Illa, te absente, pergit miseriæ non unius esse flebile theatrum. Affligit & affligitur. Perdit & perit. Ea sors belli est. Luctus ubique pavorque & plurima mortis imago. Inter Gallum & Ordines jam

Digitized by Google

jam transactum per Dominum de Charnassé. Induciarum spes decollavit. Hispani castra movent, sed nondum promovent. Intra minas stant. Nova classis in Occidentem abit. Hic jugulandus Hispanus, ubi alios jugulandi materiam invenit. Vale illustrissime vir, & ignosce, si ab argumento destitutus aliquid nuger pro re nata. 16 Maji, 1634.

243.

CORNELIO VANDER MYLE.

Nobilissime Myle,

Autor istius tabulæ de religione gentilium, arduum opus agressus est, & plenum periculosæ aleæ. Arduum voco ob argumenti amplitudinem & difficultatem. Periculosum, ob dogmata, quæ hic illic inspargit, quæ Romanæ Ecclesiæ minus arridebunt. Si sapiet autor, aut premet cœptum opus, aut castigabit. Satius est perire scriptum, quam scriptorem. Nec offendendi sunt scribendo, qui proscribere, ne quid pejus dicam, possunt. Annotabo aliquid ad ordinem, aliquid ad rem ipsam. Illud in prima subdivisione displicet, quod religionem gentilium, qui Creatorem Deum coluerunt vel ut invisibilem vel ut visibilem, distinguat à Religione naturali, cum cultus Dei invisibilis etiam naturalis sit. Talem quippe agnovit Plato, Aristoteles aliique. Ipse Paulus Rom. 1. diserte ait, Dei invisibilia cognosci ex visibilibus. Ad rem ipsam hoc observo, 1. an consultum sit

Digitized by Google

Christianum orbem scire, Catholicam religionem in tam multis ritibus ceremoniisque convenire cum Ethnicismo & Gentilium religione. Hæc enim res iis Theologis, qui à Curia Romana fecesserunt causam præbet hoc nomine exagitandi Catholicismum, quem Ethnicismum interpolatum vocant. Autor iste, si quo pede cœpit ista pergit exequi, tandem ostendet totam hierarchiam Ecclesiasticam non tam à Petro & Apostolis, quam à gentibus fluxisse. At hoc prudenter illi est cavendum, si sibi & religioni Catholicæ velit consultum. Deinde ad religionem legalem, quæ privatæ utilitatis causa est excogitata, refert doctrinam de præmiis & pœnis post hanc vitam. At hæc inconsideratius ab autore scripta sunt. Præmia & pœnas manere bonos malosve post hanc vitam, dictat naturale, insitumque omnibus hominibus conscientiæ dictamen. Vrgent hoc ipsum Plato, Cicero, Epictetus, Seneca in suis disputationibus. Falsum est illa conficta esse à populis, privatæ utilitatis causa, ad terrendos mortales. Qui ex professo religionem omnem oppugnant, ajunt homines metu pœnarum infernalium in officio contineri, & esse figmentum hoc politicum, non autem dogma ratione naturali subnixum. Atheorum, proh dolor, satis habet ubique orbis. Isti impietati non oportet Christianos frigidam suffundere. Dico intrepidè. Sum istius sententiæ hostis capitalis. Monendus est scriptor, ut corrigat & saniora scribat.

Digitized by Google

bat. ni fecerit, male merebitur de religione, & sibi consulet pessimè. In reliquis laudo diligentiam ipsius, studium & eruditionem. Vale Vir nobilissime. 4. Iun. 1634.

244.

CONSTANTINO HUGENIO.

SCripsi tibi nuperrime, Hugeni, de Nihilo, scripsi de Aliquo. respondisti ad utrumque, ut jam scribendum sit de Neutro. Etenim inter audacem Stoicum, qualis fuit Zeno, & timidum Scepticum, qualis fuit Pyrrho, neuter est Peripateticus. Dicunt Theologi, inter Christianæ religionis partes, Libertinos esse neutros. Iurisconsulti asseverant, quædam bona esse Titii, quædam Sempronii, quædam esse neutra, qualia illa sunt, quæ primi fiunt occupantis, & per usucapionem desinunt esse neutra. Medici statum valetudinis nostræ alium dicunt esse salubrem, alium insalubrem, alium neutrum. Politicorum problema est, an in publicis dissensionibus & bellis civilibus, satius sit neutrum esse, quam stare à partibus. Grammatici, quorum primum meminisse debebam, nomina habent & verba neutra. Inter Europæos ea sunt morum animique indole Hispani & Belgæ, ut neuter alterum diligat. Philosophorum alii Vniversalia à rebus prorsus abstrahunt, alii non nisi voces & conceptus esse contendunt, Aristoteles neutrum. Cum Critici litigant & disputant de punctis, commatibus, asteriscis,

Digitized by Google

sapiens est neuter. Quidam mulieri credunt, quidam gremio, Ego, juxta vetus proverbium, neutri. In Germania Suecorum rex odit neutros. odit & Cæsar. Qui in confiniis Gelriæ Brabantiæque habitant, studeant esse neutri. In litibus componendis magnum est momentum neutrorum. tales enim oportet esse arbitros & judices. Nuper cum me cum amplissimo Honerdo commisisses, tu subridebas neuter. Logicus fallacias Sophistarum edoctus, si rogetur, ut est apud Agellium, An desierit furari nec ne, respondebit neutrum. Si me roges, an malim pacem an bellum, respondebo, neutrum, quia vellem nec opus esse bello, nec post bellum pace. Si roges, an libentius edam an bibam, dormiam an vigilem, movear an quiescam, respondebo neutrum. quia vellem esse Intelligentia Peripatetica, quæ nec edit nec bibit, Si quæras, an Canonicus esse malim, an Vicarius, parum abest, quin respondurus sim, neutrum, quia videntur & hujus & illius ordinis homines esse immortales. Vale Vir amplissime, & licet in amicorum dissensionibus te cupiam esse neutrum, nolim tamen esse tunc, cum de conferendo vicariatu agetur. Amstel. 6 Iun. 1634.

245.

E I D E M.

NOn evades, nobilissime Hugeni, sacro isto neutro. Cum enim silendi ac loquendi ambiguus, neutrum te facturum scribas, ego utrumque

Digitized by Google

que exigo. nempe ut nec ſileas ſemper, nec reſcribas ſemper. Pertinax tanti amici ſilentium ægerrimè ferrem, & tabeſcerem propediem, tanquam deſtituta rore ſuo cicada. Si, ut ſemper reſcribas, exigam, valde rerum tuarum viderer ignarus. Scio, nec te ſemper ſcribere poſſe, cum maxime vis, nec velle, cum potes. Sed quia utriusque feci mentionem, age utrumque libet conari, ut de utroque ſerium quid in medium afferam & joculare. Vtrumque in multis laudabile eſt, in multis vituperabile. Cum officia noſtra exigunt Domini duo, utrique obedientiam ſuam probare, non eſt Euangelicum. Cum virgines duæ juveni adblandiuntur, utramque amare, utramque eſt odiſſe. Cum venator duos ſectatur lepores, neutrum capit, quia captat utrumque. Cum uterque vitula dignus eſt & Damœtas & Menalcas, facile eſt Palæmoni arbitri partibus fungi. Cum quæritur, an eloquentiæ laudibus excellat Cicero, an prudentiæ, reſpondebo, utriusque: an in Poëtarum ordine primas mereatur Homerus, an Virgilius, dicam, utrumque. Cum religionis Chriſtianæ res agitur inter gentes, peccant, qui utrumque faciunt, hoc eſt, qui circumcidunt & baptizant. Miſera eſt Reip. facies, cum proceres utraque peſtis adflat Ambitio & Avaritia. In ſcholis male adoleſcentibus conſulunt, qui utrumque Ramum & Ariſtotelem conjungi ſuadent. nec enim opus limum bibere & nauteam, cum limpidiſſimi fontes ſuppetunt. Inter mercatores quidam

Digitized by Google

utrumque faciunt, pecunias locant, & aliunde accipiunt. Illud, ut divites videantur; hoc ut credas non esse divites. Illud eximium, cum Princeps est utrumque: βασιλεὺς ἀγαθὸς, [*Rex bonus*,] & πολεμικὸς στρατηγὸς. [*fortis bellator.*] Inter sceleratos, cum uterque alteri crimen imputat, palam est utrumque fecisse, inquit Quintilianus. Inter amicos benè se res habet, cum uterque utrique cordi est; ait Terentius. At male se res habet in certamine, vel bello, cum Entellus Daretem super utraque quassat tempora. Sed ut Socraticum philosophandi morem repetam. Annon apud Homerum Achilles, & Ulysses utramque paginam faciunt? Annon apud eundem Vulcanus utroque pede claudicat? Annon exercitati sit militis utraque manu pugnare? Novi, inquit ille apud Homerum,

Clypeum dextra lævaque movere:

Annon timidi sit militis, utroque pede fugere, ut est apud Aristophanem. & ut de hostibus nostris quæram, Annon Algerios & Duynkerkanos, Afros inquam & Morinos, utrosque in prædonum gente ponis? In culina certè utrumque usui est, & sorbere & flare: in agris idem lignum utrumque est, pastori pedum, & agricolæ mensura. ἀμφότερον [*utrumque*] inquit Callimachus, κέντρον τε βοῶν ἠδ μέτρον ἀρώρης. [*stimulus boum & mensura arvi.*] In mensa utrumque malum, & græcari multum, & pergræcari. Vale Hugeni clarissime. 18 Iun. 1634.

Con-

Digitized by Google

Consentire meis studiis si crediderim te,
Fautor utroque tuum laudabo pollice ludum.

246.
ROCHO HONERDO.

Amplissime vir,

Scribis tibi placuisse Nihil & Aliquid, Neutrum & Vtrumque Epistolas. quasi dicas tibi placuisse contradictoria. quæ Philosophi negant in sinu Dei reperiri. Verum minus miror has contradictiones tibi probari, qui nuperas meas ἀντιφάσεις [*contradictiones*] super gradibus comparationis, tam benigne & humaniter excepisti. ut videar, ista inimicitia amicitiam tuam emeruisse. Vnum petis, ut si quid simile ad communem nostrum amicum N. Hugenium miserim, tu particeps eorum fias. At qui possim, mi Honerde, aliquid scribere simile Nihilo. Habet aliquid suum simile, nempe Sosias Mercurium, ficus ficum. Habent similes labra lactucas. Habet insuper suum simile neutrum. quia plures neutri sunt, plures utraque sella sedent. Soli nihilo nihil est simile. qui enim, quod non est, similem sibi οὐσίαν [*essentiam*] habeat? Hoc scio, nos modo versiculis, modo epistolis scribere & respondere similia. ut verum sit de nobis, ἀεὶ γὰρ τὸ ὅμοιον ἄγει Θεὸς ἐπὶ τὸν ὅμοιον. [*semper enim similem Deus deducit ad similem.*] quod usurpatum ab Homero, cum Melanthius subulcus incidisset in Eumæum subulcum. Quam lætor, nos non esse figulos aut fabros, sic enim similis similem odis-

Digitized by Google

set. Iam Poëtarum nomine cum audiamus, uterque, similis gaudet simili. Est lepidum similium par apud Martialem:

Cum sitis similes paresque vita,
Vxor pessima, pessimus maritus,
Miror non bene convenire vobis.

Et apud Catullum,

Pulchrè sunt similes mali cinædi.

Pythagoras amicitiam, mundi animam & vinculum dicebat, consistere ἐν ἰσότητι. [*in æqualitate.*] Poëtæ puros jambos concinnant ex pedibus similibus. Anaxagoras corpora ex atomis similibus constare docuit, Aristoteles ait: ὅμοιον ὁμοίῳ ἐφίεται, [*simile gaudet simili,*] lib. moral. 8. quod tamen verum, non est in magnetibus, qui similibus se polis fugiunt, dissimilibus amplexantur. Verum res similes eleganter conjunxit Plutarchus in commentario, cui titulus: Quomodo adulator ab amico distinguendus. Seni similis lingua jucundissima est,

Pueroque puer, & femina apta feminæ.
Ægrotus ægro, & misero quisquis est miser.

In convivalibus sermonibus, non vult semper in conviviis similes similibus accumbere, non Professorem Professori, non Advocatum Advocato, morosum moroso. Interdum vult; ut agricolam agricolæ, aliptam aliptæ, amatorem amatori. Causas illic expedit ingeniosissimas. Illud subtile, quod Empedocles ait, referente Aristotele 1. de Anima. Animam constare ex quatuor elementis, quia aliquid singulis habet simile. Inter sapien-

Digitized by Google

sapientum apophtegmata hoc celebratur: γάμει ἐπὶ τ ὁμοίων. [*ducito tibi similem.*] & ut est apud Varronem: *Cascus cascam ducit.* Non probo improbum improbo similem, quique amat vulpinari cum vulpibus. Sed mittam illa literatorum commenta. Nos Batavi, quam amamus similes esse Gallis vestitu, Sybaritis luxu, Romanis gloria, Græcis pecuniarum cupiditate. Quam similia jure belli factitant, Marchio de Aytona, & Ordines, quoties aut salvi conductus literas alii aliis negant; aut prætores, concionatores, incolas sedibus controversis expellunt. Cæsar alibi & Suecus simili furore vastant agros, urbes expugnant. Quam pergit sibi similis esse Hispania, cum Arschotanum Ducem ad se invitat, & venientem carceri includit, ut olim Legatos Belgas. Tu, vir maxime, perge similia prioribus Epigrammata scribere. Perge eorum me compotem facere, ut si coner simile, non reperiar tibi prorsus dissimilis. Vale Vir ampliſſime, & similem Tui elegantioribus studiis Hugenium, & doctissimum Schottum à me saluta. Amstelod. 20 Iun. 1639.

247.

ADRIANO VANDER MYLE.

Obilissime Myli,

NAudio uxorem habere Te, hoc est, in Sapientiæ castra transiisse. Semper enim ab iis dissensi, qui amantes insanire contendunt, & Cupidini oculatissimo oculos fascia velant, qui-

Digitized by Google

que puerum esse fingunt, ipso Hercule robustiorem Amorem. Tanto nos magis sapere arbitror, quanto ad honestas nuptias adspiramus ardentius; tanto esse ingeniosiores, quanto hanc rem conficimus felicius. Etenim sine conjuge nonne vagi sumus & errones? nullius, præterquam universalis naturæ, peculium, fortunæ & incertæ sortis pila ludibriumque? Vxorem nacti, possidemur propius, amamur, curamur, fovemur tenerius. Illam gaudii omnis, illam dolorum sociam habemus. Condolet, medetur, subvenit laborantibus; & cum maxime vult blandiri, sobolem nos suam appellat, etiam tunc, cum aut sobolem ipsi in spe habemus, aut in cunis rotamus magni patres. Epictetus Philosophiam omnem duplici præcepto absolvit; Sustine & Abstine. At hæc à nullo hominum ordine rigidius observari, quam à conjugibus, mecum propediem discès. Græcorum Poëtarum princeps, è quo tanquam fonte perenni:

Posteritas latices Sophiæ deduxit in hortos,

cum Iovem describere vult Patrem vocat deorum & hominum. At talis sine conjuge esse non potuit. Sagacissima natura cum vite maritat ulmum, cum stipite fabam vel convolvolum, ne lenta hæc arbusta destituta suo tibicine langueant. Nec minus sapienter ab eadem appositus uxori vir, & viro uxor, ne alter sine alterius fulcro flaccescat & collabatur. Viderunt hoc olim providi poëtæ. ideóque ne ipsum cœlum

con-

Digitized by Google

corrueret, Lunam Veneremque interposuerunt orbibus, hoc veriti, ne sine fœminæ adspectu volvi nollet morosior Saturnus, imperiosior Iupiter, bellicosus Mars, vafer Mercurius, & fervidissimus Sol. Theognidis & Phocylidis quot numeras versus, tot prudentiæ moralis audias præcepta. Et inter hæc nonne de ducenda conjuge canunt? Theocritus, quanquam multa apposite pastores canentes inducat, nullibi est suavior, quam ubi scribit: κωμάσδω ποτὶ τὰν Ἀμαρυλλίδα, &c. *abeo procatum ad Amaryllidem*, &c. Et quis ille est, qui apud Maronem dicitur conjugis in gremium lætæ descendisse? Idem est, qui rubente dextera in arces & urbes fulmina jaculatur. Crates Thebanus, homo toto corpore deformis, gravissimus alioqui rerum divinarum & humanarum Professor, Hipparchiam nobilem fœminam uxorem duxit, ut hac quoque parte Sapiens videretur, quod contemptissimo corpori uxorias voluptates impetrasset. De Socrate hoc jam dicam: illum Sapientiam non è cœlo in domos familiasque, ut Cicero perhibet, sed è querulæ Xantippes cubili in Scholas introduxisse, & Philosophiæ practicæ objectum, non virtutes, sed illam ipsam suam Xantippen credidisse. Poëtæ quoque Græci & Latini nullibi doctius & acutius loquuntur, quam cum ad conjugum officia alludunt. Quod si Sapientiæ pars est non nimium sapere, nihil est, quod virilis ingenii gravitatem & duritiem magis condiat, quam muliebre ingenium, cui dul-

Digitized by Google

dulcedinis tantum & gratiæ affudit Deus, ut ob hanc solam causam, Mœonio Vati Venus dicatur φιλομειδὴς, [*ridere gaudens,*] Syracusio μάτηρ γελάξασα, [*mater ridens,*] Andino *Olli subridens.* Qui vero amores quam maxime oderunt, cum acerbissimis illos vocibus insectantur, oppositum apponunt oppositio, ne rem optimam calumniando sibi constare videantur. Morbum vocant amorem, sed salubrem: dolorem, sed delectabilem: venenum, at sapidum: mortem, verum voluntariam: vulnus, sed gratum: supplicium, attamen jucundum. Cum amaritudinem illi exprobrant, γλυκύπικρον [*suaviter amarum*] vocant: cum labores spontaneos esse ajunt, & minus graves; cum curas & ærumnas, has ipsas suavissimas dicunt. Novi, qui uxorem fastidiunt, ne in malam incidant. At hi malam metuunt, quia de suis ipsi virtutibus desperant. Nullam ego tam malam arbitror, quam corrigere non possit vir bonus & sapiens. Malas esse dixit Menander Comicus, sed sine populi suffragio. Cautius apud Euripidem Medea loquitur:

Ἀλλ' ἐσμὲν οἷον ἐσμέν, οὐκ ἐρῶ κακὸν,
γυναῖκες.
Simus quidem, quales sumus, nos fœminæ,
Malas sed esse non ego aussim dicere.

Si qua mala est, vitio mariti mala est, quia aut is intempestive severus est, aut intemperanter remissus. Ignes dicunt fugiendos esse. Sed non illos, quibus male arsuros ignes restinguas. Volupta-

Digitized by Google

luptates indignas clamitant viro Sapiente. Concedo, cum in porticu aut Stoa philoſophandum eſt. Novit hoc Seneca & docuit non ſemel. nec minus in thalamo quæſivit, ubi Paulina eſſet. Vrgent, cœlibes ſacris vacare liberius, pugnare animoſius, navigare fidentius. Quaſi profana eſſet res oſculari conjugem ſacra fide obſtrictam : aut minus animoſe pugnaſſet Hector, memor Andromaches & Aſtyanactis : aut timuiſſet ex Aulide navigare Protefilaus, relicta domi Laodamia. Sed uxor, inquiunt, & liberi alendi ſunt, quibus carere poſſis, ut partis fruaris uberius. Vah ſordidas voces. Cur non potius glorioſum putant & regium imperare uxori & liberis? Qui paterfamilias eſt, rex eſt conjugis, liberorum & famulorum. Cælebs nulli imperat, præterquam canibus aut felibus, ſi quos forte domi alit. Homerus Vlyſſem regem vocat Itachæ. Sed ſi regno iſti eximantur Tres imbelles numero, *ſine viribus uxor*, *Laërtesque ſenex*, *Telemachusque puer*, & pauculi ſubulci, valde accideris regni iſtius ſubditos. Sunt, qui in maritalem ordinem adſcribi cuperent, ſed metuunt, ne aut filium gignant, qualis fuit Commodus, aut filiam, qualis fuit Iulia & Meſſalina. At debebant hi homines adeo metuentes futuri, jejuni ire cubitum, & prandio cœnaque abſtinere, ne quem concoquent chylum, pituita fiat moleſtior, aut atra bilis. Cur non potius ſperant futurum, ut ex Veſpaſiano naſcatur Titus, ex Druſo Germanicus, ex Annæo Seneca nepos facun-

Digitized by Google

facundiſſimus Lucanus, ex Platone nepos Speuſippus avitæ philoſophiæ hæres, aut ex Ennio nepos Pacuvius?

Fuit mihi nuper plurimus ſermo ſuper hac re cum quodam Miſogamo, qui cum magnam in Scholis didiciſſet eſſe Dilemmatum vim, ita diſputabat: operoſa res eſt conjux, laborioſa colonia, fons curarum. Fœcunda cum eſt, oneri eſt: cum ſterilis, dedecori. Si pulchra, κοινὴ; [*communis*;] ſi deformis, ποινὴ. [*pœna.*] ſi dives, ſuperbit illa; ſi paupercula, ille. Logicorum, inquiebam ego, exempla audio & argutias dialecticorum, quibus adoleſcentulos in Scholis fatigare ſolent, & torquere bonas mentes. De meſſis probitate non eſt certus agricola, nec minus tamen ſerit. Et tu uxorem ducere non vis, quia times non fœcundam? tu laborioſam coloniam voces uxorculam? nec horres Rempublicam capeſſere & multorum capitum belluæ imperare? Tune oneri eſſe putas liberos, quos mater Gracchorum omnibus theſauris habuit chariores? Quod ſi ſapis, nullam deformem puta, quam caſtitas modeſtiaque ornant. Formoſam nactus, noli nimis ſollicite cuſtodire, ne te zelotypum animadvertat, & tua culpa peccare audeat. Si opulentior ſuperbiet, tu tolera & mone; vel cave eam offendas, ne opum fiducia tibi maledicat: aut ſuperbiam feminæ contemptu diſſla, aut prudens diſſimula. Si pauperculam contemnes tu, cur contemnere ſuſtines animi dotibus te locupletiorem? Illa, quæ te contemnen-

Digitized by Google

temnentem placide fert, quantivis est pretii. Te, qui ob inopiam minus æstimas honestam conjugem, ne teruncio emerim. Tralatitium illud est & lippis notum, quod à libertatis periculo sumitur adversus conjugii præstantiam argumentum. In libertatis se regno vivere jactitant; quamdiu sunt ἄγαμοι; [*cœlibes*;] servituti affines, cum conjugio illigantur. Nesciunt insani, licentiam esse, non libertatem, nulli amores debere: degeneres esse mundi incolas, quos posteritatis cura non tangit: frustra se viros esse, & tales factos: & ut allegorice loquar: errores esse maximas planetarum, ab una ecliptica aberrantium: Solis viam esse tutiorem certioremque, quia una est & simplex: Lunæ viam difficilem, & litigiosam, quia cis ultraque ecliptica digreditur. Non gravatè subscribes huic meæ sententiæ, Nobilissime Myli, qui conjugii causam exemplo tuo asseris. Gratulor instituto tuo, gratulor conjugem tibi obtigisse, qualem optasti piis votis, qualem optavere parentes gravissimi optimique. Merebantur talem domus tua, virtus, doctrina, prudentia. Præcepta connubialia apud te non conquiram. quia non sum præceptor amandi. Illa, cum vacabit, legere potes apud Plutarchum in nuptiis Polliani & Eurydices. Hoc solum addam: non esse, quod tibi metuas à mala conjuge. Nescio enim, qua Dei Opt. Max. clementia incideris in τὸ ἀγαθὸν. [*bonum.*] Agatham ducis, quæ se tibi probabit non uno bonorum genere, sed triplici.

non

Digitized by Google

non explicabo me. Meministi horum, ex quo Moralem aliquando tibi Philosophiam domi meæ prælegi. Fruere, felicissime, Agatha tua, sive Bona Dea, cui nolo te offerre flores, fruges, serta, Romanorum more, sed unum hoc, quod præceptori Socrati obtulisse fertur Æschynes, hoc est, Teipsum. Vale Vir nobilissime & præstantissime, & me tui tuorumque amantissimum redama. Amstel. 28 Iunii, 1634.

PARTIS PRIMÆ
FINIS.

Digitized by Google

CASPARIS BARLÆI

EPISTOLARVM

LIBER.

PARS ALTERA.

AMSTELODAMI,
Apud JOANNEM BLAEV.
M. DC. LXVII.

Digitized by Google

Digitized by Google

CASPARIS BARLÆI
EPISTOLÆ.

248.
IOANNI OXENSTERN, *Legato.*

PErgo, illustrissime Oxensterni, inter publicas curas nugamenta mea tibi obtrudere, & Poëtam agere. Vbi argumentum grandius nactus fuero, componam vultum & calamum ad gravitatem. Dum alii ad te de Regum Principumque Europæ bellis perscribunt, quis Germaniæ status, quid Gallus, quid Britannus, quid Hispanus moliantur, ego epigrammata tibi mea impartior. Si Neptunus essem, mitterem tridentem, si Pallas hastam, si Mars gladium, si Iupiter fulmen. Iam pauperculus Poëta, mitto pauperculos, rancidos, & macilentos versiculos. Volo te ridere, & si fortè non omnia ex animi voto erunt, cantu meo te recreare absens. Refert Homerus, Achillem ex acie reducem citharam & fides curis suis interposuisse, & animum ægrum sollicitudine aut offensa recreasse. Idem facito. Hæc ut ludicra accipe, sed ab animo profecta in cultum tui prorsus devoto. Nascuntur hæc sub manu, citius fortè, quam scribuntur. Fructus præcoces sunt, ideoque fugaces, quales tamen & magnatum mensæ non fastidiunt. Princeps noster militibus suis veter-

Digitized by Google

num excutit. Et jam hybernis evocat ignavam Martis sobolem. Vbi belli signum dederit, redibit in præcordia prisca virtus, & Nassovius, uti spes est, aliquid tanta dabit indole dignum. Vale Vir summe, & me ama. 1 Iul. 1634.

249.
ARNOLDO BUCHELIO.

NOndum memoriam mei, & rerum mearum curam deposuisti, humanissime Bucheli. Inter senectutis incommoda, inter studiorum labores, de meis commodis cogitas, & ea, quæ in spe habeo, pergis votis tuis officiisque urgere. Non dubito, quin fatalem casum fortissimi Regis Gustavi mecum doleas. Fortitudini, vigilantiæ, & rei militaris peritiæ addiderat summi Numinis reverentiam, quæ hodie in Principum aulis inter postremas virtutes non uno loco habetur. Iam, ut opinor ego, animo præconceperat adire Italiam, & Gothica signa inferre Tiberi. Verum non fuit hoc in fatis. Regum timendorum in proprios greges, Reges in ipsos imperium est Iovis. Germania secum luctari pergit, nec jam vasto corpori facilè quies erit. Distractis hic illic exercitibus, dividuntur miseris populis calamitates & mala. Hæret Suecus in Imperii Romani visceribus, nec, uti se res dant, cogitat de abitione. Atque ista quidem bella nostrorum bellorum refrigeria sunt & sufflamen. Mitius nobiscum agitur occupatis alibi Austriacis. Speraveram nobis hac æstate otia,

Digitized by Google

otia, sed videmur pertrahi in bellum. Non tamen magnos fore motus arbitror. Hispani tragici sunt actores, amant pulsare orchestram, ut terreant spectatores. Quam malè sibi consuluerunt Brabantini Proceres. Serò discunt, nimium deliberando amitti Sagunthum. In Frisia tumultuatur plebes ob exactiones novas. Mirum est iis, quibus bella placent, displicere ad bellum requisita. Hæc vulgi indoles, Reip. salutem verbis amant asserere, non loculis. Nasutiores dicunt, exactionum satis esse, sed malè rem administrari. Etiam hodie dari Verres, qui everrant provincias. Ego querulas istas voces non magni facio, & sto à partibus magnatum, quibus populi commissi & tanta negotia curæ. Desidero te videre, amicissime Bucheli. utinam impetrare à te liceat, uti me invisas. Videbis urbem immensis spaciis diffusam, quæ nondum est ἐν ἀκμῇ. [*in vigore.*] Si non veneris propediem ad me, veniam ad te. Iam enim in procinctu est ut cum Sole oriatur canicula. Vale Vir prudentissime & dilectissime. Vxorem meis verbis saluta & amicos. Amstel. 3 Iul. 1634.

250.

HENNINGIO ARNISÆO.

FAcit, amplissime Arnisæe, fiducia amicitiæ, quam cum amplissimis viris D. Overbeequio & Vicofortio antehàc coluisti, uti audeam ad te transmittere hunc chartarum fasciculum.

Digitized by Google

culum. Videbar enim mihi per illorum latus tibi quoque jungi debere, quos ego amiciſſimos mihi indies experior. Cum nuperrime hic eſſet magnificus vir Fr. Guntherus Regi veſtro à ſecretis, & ſermo incidiſſet de nuptiis Principis Daniæ, ſubiit animum epithalamio proſequendi auguſtos thalamos. Nec ſine exemplo hoc feci Claudiani, Auſonii, Statii, qui magnorum Principum nuptiis fauſta cecinere. In Romanorum triumphis non tam grata erant Imperatori gratulantium Quiritium voces, quam exterorum populorum applauſus. Fortè, dum Dania omnis gaudio diſſolvitur, non ingratum fuerit audiri illic Federati hominis & Batavi gratulationem. Si minus digna Regum majeſtate locutus ſum, conatus tamen fui aſſurgere, & ea in medium proferre, quæ à loco, tempore, familiisque auguſtiſſimis non omnino credentur eſſe aliena. Scis fictiones Poëtarum proprias eſſe, & per fabuloſa eos Deorum & Dearum commenta ire. Ita proſunt. ita delectant. Veterum hæc Philoſophia eſt, & quod non ignoras, primos Sapientiæ natales Poëtis debemus. Vale Vir maxime, & me, quem communia Philoſophiæ & Medicinæ ſtudia tibi junxiſſe debebant, iis accenſe, quos amas. Præſtantiſſimum D. Guntherum, regni veſtri decus & ornamentum, ſi illic eſt, meis verbis reverentur ſaluta. Amſtel. 8 Iul. 1634.

251. COR-

Digitized by Google

251.

CORNELIO VANDER MYLE.

Nobiliſſime Myli,

Remitto Pſyllanthropomachiam doctiſſimi Bonifacii, in qua pugna cum pulice commiſſus eſt bellicoſiſſimi Antenoris nepos. Certè minus mihi glorioſum videtur, Venetum cum pulice pugnare, niſi forte grande ſit facinus, cum exercitu pulicum confligere. Herculi negotium fuit cum hydris, tauris, leonibus. Perſeus adverſus maris immanem belluam depugnavit. Theſeus adverſus Minotaurum. Sed quis heros cum pulice velit congredi. At ſcio hic non ad corporis robur, ſed ingenii attendendum eſſe. nec videndum, quid pulex poſſit, ſed quid ſcriptor ingenioſiſſimus. Eleganter pugnam hanc exaggerat Poëta, & facete diſertus eſt. Placet amoris & pulicis comparatio, aliaque plurima. Verum hic illic autor ad quarundam ſyllabarum quantitatem non advertit. Notavi ego in margine hoc ſigno x. producuntur brevia, vel abbreviantur longa. Tranſivit hac Illuſt. Oxenſternius die Dominica proximè elapſa. Hamburgum petiit, ob viarum incommoda. Nihil à Britannis impetrare potuit. Pacis ſe ſtudioſos eſſe profitentur, non bellorum. D. Grotius Francofurti eſt, &, uti videtur, illic ſedem figet. Laudo Cancellarii inſtitutum, quod tanti viri rationem habeat. quem jampridem, magnis rebus virtus eruditioque deſtinavere. Vale præſtan-

Digitized by Google

tissime vir, & me ama. Vxorem, filium filiasque saluta. Raptim, 28 Iul. 1634.

252.

EIDEM.

NObilissime Myli,

Accepi tuo dono Postulatum Osnaburgensem, sive potius nummum Postulati, quem tamen non postulaveram. Neque propterea tecum super Postulato statui expostulari, ne videar postulatum & desideratum adeò generi humano aurum spreviſſe. Nec puto aliam ob causam Postulatos hæc nomina amare, nisi ut liberalius aurum possideant. Illud tamen asseverο, nunquam ex Infantis mei collo suspensum iri hunc Postulatum. Metuo enim, ne parvulus, in quem aliquid originalis superbiæ transfudit Adamus, conspectu tantæ dignitatis nominum, Postulatus quoque esse cupiat, qui irrita hactenus Vicariatus spe contentus fuit. Mallem ego vicarii cujusdam effigiem æneam collo circumdare, ut discat ab incunabulis mediocri sorte esse contentus. Fuit hic Illustrissimus Dominus de Beausi, Regis Galliarum Legatus, quo cum loquutus fui, quo cum ambulavi, nesciens me tanti herois latus claudere. Mox apud D. Vicofortium tantorum Deorum epulis accubui. Veneror in isto viro gravitatem temperatam leni comitate, judicium acerrimum, utriusque linguæ Latinæ & Gallicæ facundiam, rerumque veterum & recentiorum, exterarum & domestica-

Digitized by Google

sticarum scientiam. Non desinam benè sperare de rerum nostrarum statu, quoad videbo talium virorum consiliis fulciri Federatorum Rempublicam. Vbi occasio feret, me meaque officia illi trade, imò totum me mancipi. Scripsi Venerem Cimbricam, sive Epithalamium in Nuptias Principis Daniæ. Mittam propediem. Vale Vir nobilissime, cui pro Postulato non postulato gratias agit uxor, & uxoris maritus. Dominum vander Myle, Filium respondendi reum, filiasque meis verbis saluta. Amstelod. 13 August. 1634.

253.

CONSTANTINO HUGENIO.

Nobilissime Hugeni,

Quæris tuâ epistolâ, quid rerum agam? respondeo, quod amico suo idem quærenti respondit Flaccus: suaviter, ut nunc est inquam, & cupio omnia quæ vis. Ago θρεπτικόν τι, αἰσθητικόν τι, [*vegetativum aliquid, sensitivum aliquid,*] & λογικόν τι. [*rationale aliquid.*] ut credas eundem esse operationum & actionum mearum ordinem, qui fuit olim generationis. Arist. lib. 1 de generat. animalium, ait hominem primò vivere vitam plantæ, inde animalis, inde hominis. Ego ne à principiis meis dissideam eodem ordine operor, quo mea me gravida gestavit mater in alvo. θρεπτικὰς [*vegetativas*] actiones quoad necesse est sollicite curo, ut sine quibus nec sentire licet, neç ratiocinari. Hinc ad sensus motusque

Digitized by Google

tusque operationes accingor. ut visum recreem, amo legere in Virgilio invectivam Didonis in Æneam, in Ovidio orationes adversarias Ajacis & Ulyssis, in Claudiano initium poëmatis in Ruffinum, in Catullo nuptias Pelei & Thetidis, in Horatio libellum de arte Poëtica. Auditu minus grata jampridem percepi, nempe Ratisbonam cessisse Cæsari, famere exercitum Suecorum, Saxonem retro pedem movere, Improvisum aspris veluti qui sentibus anguem Calcat: Hostem Trajecto ad Mosam obsidione minari, sed differre, donec exercitum junxerit Cardinalis Infans: nos spem in Gallo & copiis Hassicis ponere: domum Austriacam de vindicanda sua incolumitate jam serio cogitare. Illud olfeci, pejus his per ætatem mensibus olere aquas Amstelodamensium, quam Neomagensium, melius aulam quam forum piscarium. Non ita pridem ad nuptias vocatus, gustavi *pastum ficis jecur anserîs albi.* Et *leporum avulsos lumbos,* &c. Verum cum apponerentur post secundas mensas Plutonis ista ambrosia, quam Caviariam vocant, & ferentes muria encrasicholi, tetigi singula dente superbo, hoc est fastidienti similis. Quoties affectibus obsequor, amo tria in terris, uxorem, liberos, amicos; duo odi maximè, Hispanum & paupertatem. tunc lætor valde, cum literas tuas & elegantissimos characteres adspecto. Et ne me ζωόφυτον [*spongiam*] putes, ambulo indies gnaviter, ne longiore situm putrescam. Vbi verò hominis partibus defungi libet, hoc feriarum tem-

Digitized by Google

tempore non vacat Philosophari, aut in cathedra disquirere,

Quæ mare compescant causæ, quid temperet annum,
Stellæ sponte sua, jussæne vagentur & errent,
Empedocles, an Stertinii deliret acumen.

Verum solutus curis istis tria jam ago: garrio in officinis & urbanus sum: equito cum Satrapis Muydensibus & magnificus sum: Empiricum refuto & dogmaticus sum. Scis jam opinor quid agam, secundum omnes animæ partes & δυνάμεις. [*facultates.*] Te duo velim porrò agere, amare me & scribere sæpius. 24 Aug. 1634.

254.

In liberatum obsidione Trajectum ad Mosam, per tentatam Bredæ obsidionem

EPIGRAMMA,

ad quod Epistolæ tres sequentes spectant.

Quod genus hoc belli est? quænam nova nomina Mavors
Parturit, & titulo deteriore favet?
Cinxerat attonito bellacia mœnia Tungro
Cantaber, & portas, effere Mosa, tuas.
Sederat ad claræ Fredericus mœnia Bredæ,
Et patrias armis dux repetebat opes.
Ne malè pugnet Iber, Tungros obsessaque linquens
Mœnia, vult Bredæ consuluisse suæ.
Ne Batavus malè pugnet, amat secedere Bredâ;
Et satis hoc, Mosæ consuluisse, putat.

Hic

Digitized by Google

Hic speciem fugientis habet, magis ille timentis.
Hic votis abiens excidit, ille tenet.
Exercet Bellona Duces. fugit, horret uterque.
Ille urbi, castris Dux timet ille suis.
Ergo abeunt ambo. Tu dic, Victoria, cujus
Sit, tanto rerum turbine, causa prior?
AVRIACI, *respondet. Iber, quam deserit, urbem*
Non habet, Auriacus, quam sibi servat, habet.

C. B.

CORNELIO VANDER MYLE.

Nobilissime Myli,

Mitto Tibi accusationem N. Constantini Hugenii super Epigrammate meo, quod nuper scripsi in liberatum obsidione Trajectum. Offendit illum, & Te, ut scribit, quod dicam, *Fugit, horret uterque.* quasi hæc ignominiosa essent Principi. Sed cur non attendit ad alia; quod dicam, non fugisse, *sed speciem habuisse fugientis*, quod *voti sui factus sit compos*, quod *Bredam concesserit, ut Trajectum obsidione levaret*, quod *consilio discesserit*, & *secesserit, postquam Mosæ consuluisset*, quod *urbem* isto stratagemate *servaverit*. Hæc non videtur observasse. Solum invehitur in illud *fugit horret*, quæ dicta sunt ex populi perverso judicio, & de fuga, quoad speciem, & de fuga utili & salutari. Totum carmen directum est in honorem Principis, adversus malevolorum judicia. Apologiam meam lege, quam D. Hugenio misi. Æquum enim

Digitized by Google

enim est ut apud eundem me defendam, apud quem immeritò accusatus sum. Amstel. 1634.

In Barlæi lapsum de fuga Imperatorum utriusque exercitus ad Mylium.

Vnde meus, Myli, malè dormitavit Homerus?
Vnde, quod hic gestum non fuit, ille refert?
Trajecti, Bredæ, quod Iber, quod victor Iberi
Fecerunt, fuga sit? non fuit umbra fugæ.
Fato, consiliis lente concessit uterque.
Mentior. hunc vatem fugit uterque Ducum.

CONSTANTER.

255.

CONSTANTINO HUGENIO.

NOn est necesse, ut me pluribus & anxiè defendam, nobilissime, dilectissimeque Hugeni. Non conquiram ambages aut Sophismata, quibus me expediam. Pro me loquatur Epigramma meum, & res plana erit. Persto in sententia. Pilatus sum. quod scripsi, scripsi. Non sum lapsus, non cespitavi, sed recto stant carmina talo. Multo minus dormitavi, cum ista scriberem, licet humanum hoc, nec à me alienum esse putem. Scripsi summo manè, post longam dormitionem, quo tempore nihil minus, quam dormitare solent homines. Nullam hic agnosco licentiam aut audaciam Poëticam. Nihil (da veniam si mihi Suffenus videar) scripsi consultius deliberatiusque. Volui ego hoc Epigrammate Principem Auriacum tueri adversus non solum

Digitized by Google

ſolum vulgi & maleſanæ plebeculæ, ſed & cordatiorum quorundam ignominioſas voces, qui Principis à Breda diſceſſum præcipitem & inconſultam fugam interpretabantur. Fuit hæc vox publica, tum illorum qui patriæ malè volunt, tum illorum ex parte, qui illi benè volunt. Audivimus non ſemel indignabundi, contradiximus, & pro honore Principis (licet hic defenſoribus iſtis non egeat) ſtetimus. Fuit inſuper animus hoc ipſum Epigrammate teſtandi, in quo ad hoc unum alludo: Principem Auriacum dum malè & falſis nominibus *fugiſſe*, & *horruiſſe* dicitur, voti ſui compotem factum; Breda deceſſiſſe, poſtquam Moſæ conſuluiſſet. Ideoque fugam ita falſo dictam, ſalutarem fuiſſe & utiliſſimam, utpote ſervata jam aut liberata ex parte Trajecto ad Moſam. Quorſum enim illa admirantis verba? *Quod genus hoc belli eſt?* in quo nempe vulgus Principem fugiſſe clamitat, cum profuerit & vicerit. Quorſum illa? *Quænam nova nomina Mavors Parturit?* nempe, ut fugiſſe dicatur victor, malè rem geſſiſſe, urbis alibi vel in totum vel ex parte liberator. Hæc enim profectò nova nomina ſunt. Quorſum & illud: *& titulo deteriore favet?* Titulus iſte deterior eſt, quod optimus prudentiſſimusque Princeps fuga dicatur ſibi conſuluiſſe, ſub quo tamen titulo deteriore, utpotè falſo, nobis favit Mars, liberata nempe urbe ad Moſam obſeſſâ. In hoc vertitur Epigrammatis cardo, quod Princeps malè audiat, re benè & ex voto geſtâ. Non

ſunt

Digitized by Google

sunt Vatis verba ex sua sententia loquentis, *Fugit, horret uterque*, sed vatis insurgentis in istas calumniantium voces, qui fugisse exercitum nostrum criminabantur. Vates illum titulum vocat deteriorem, miratur Martem talibus appellationibus occasionem dare. Vbi ex sua sententia loquitur, dicit: Auriacum habere *speciem fugientis*: hostem *speciem magis timentis*, At species rei opponitur ipsi rei, species fugæ, fugæ. Nec inficiandum, discessum abitumque utriusque exercitus & hostilis & nostri speciem habuisse fugientis & timentis, apud illos, qui hic & alibi longius à castris ignari consiliorum Principis vivunt, & priusquam de liberatione Trajecti quicquam percrebuisset. Rursum, ubi ex sententia loquor, dico: Principem *vota sua tenere, hostem excidisse*, Principem urbe Bredanâ discessisse, postquam *Mosæ consuluisset*; eam deseruisse, sed habere aliam, *quam sibi servavit*. Quomodo hæc dici à me, ex mea sententia possunt, & simul Principem fugisse & horruisse? ἀσύστατα [*quæ simul consistere non possunt*] hæc sunt. Dicis Principes utrosque *concilio concessisse*. Dixi & ego apertissimè: *Ne male pugnet Iberus, obsessa mœnia linquit, ut Bredæ consulat. Ne male Batavus pugnet, Breda discedit, postquam Mosæ consuluit.* Interim hæ subitæ, licet deliberatæ, abitiones non sine turbine aliquo & motu acciderunt. Dura, inquis, sunt ista verba, *fugit horret uterque*. Esto, sint durissima. Populi sunt voces, aut fuerunt potius; malevolorum sunt verba, & etiam, qui ignari erant rerum,

Digitized by Google

rum, quæ istic apud Bredam, & alibi apud Mosam agebantur. Planum est id quod dico, ex primo Epigrammatis disticho, cujus mentem, ut suspicor, minus adsecuti estis. Fingite etiam amici, me dixisse, Principem fugisse, sed fuga salutari, utili, non fuerit hoc ignominiosum Principi. Licet vatibus, in Epigrammatibus potissimum, oppositum ponere in appositio: licet illis dicere, mortem alicujus esse salutarem, lucem obscuram, decus esse dedecus. Qui hæc non ferunt, totum Martialem expungant necesse est. Habent Græci & Rhetores schema, quod ὀξύμωρον vocant, hoc est, acutifatuum, quo idem de seipso negatur, aut prædicatum subjecto repugnat. Hoc prima fronte fatuè dictum putatur, & propius attendenti acutè dictum cognoscitur. Hujus generis sunt: avarus non habet quod habet, nullum in limine limen erat; eloquentia obmutuit, deceptaque non capiatur, ut est apud Lucretiam, & apud Plautum, innumeri numeri, apud Scaligerum docta ignorantia, apud Ovidium, & ne sit scelerata facit scelus. Terentii est, cum ratione insanire, Ejusdem, id aliquid nihil est, coactus tua voluntate es. Catullum audi, Non est Dea nescia nostri, Quæ dulcem curis miscet amaritiem. Hæc si illis licent, cur mihi non liceat in eodem Epigrammate scribere, Principem non fugisse, sed voti sui compotem factum, & tamen fugisse? non fugisse, quia abiit postquam servasset, fugisse populi judicio, aut ad speciem. Cur non liceat dicere, fugisse,

Digitized by Google

fugisse, sed ita ut fugiendo profuerit? deseruisse urbem, sed ita ut adhuc habeat, quam servavit: hostem vero nondum habere urbem, quam deseruit. Habent istiusmodi antitheta & ὀξύμωρα [*acutifatua*] emphasin suam & elegantiam, ut si dicam Parthum fugiendo vincere & fugare; Fabium cunctando restituisse rem. *Non fugit me uterque Ducum*, nam jam ante ex litteris tuis ad affinem tuum amplissimum D. de Willem datis intellexeram, Principem eo consilio Bredam concessisse, ut hostem Trajecto avocaret. Quibus lectis fiduciam sumsi scribendi Epigrammatis. Concludo itaque me non esse lapsum, non dormitasse, & Epigramma illud esse meum, cum istis, *Fugit horret uterque*, non præter ista. quod oportuit demonstrasse, ὅπερ ἔδει δεῖξαι, inquit Aristoteles.

Vale nobilissime ac candidissime Hugeni, ac sæpius istiusmodi mihi criminationes intende. Scripsisti ista non seriò, sed ad vexandum dogmaticum Philosophum, more Scepticorum. Quod si non satisfecero, si perges scribere,

Hunc vatem fugit uterque Ducum,

regeram ego,

Barlæi mentem noscit uterque Ducum.

Adeò me offendisti, ut nova tibi mittam Epigrammata, quæ heri lusi. Amstelod. prid. Cal. Sept. 1634.

Digitized by Google

Ad Categoriam nobiliſſimi clariſſimique viri, CONSTANTINI HUGENII, ſuper ficto lapſu Caſparis Barlæi Reſponſio.

HVmanum eſt labi, fateor. dum ſcribimus, eheu,
Sæpè ſolaciſmum barbara Muſa facit.
Ceſpitat omnis homo, mi Conſtantine. quid? ipſi
Dormitant vatum, nomina magna, Dii.
Non tamen hæc fractis nutant Epigrammata lumbis,
Non Bavius ſpreta fallitur arte tuus.
Si fugit Auriacus, poſtquam ſervaverat urbem,
Hæc fuga nulla fuga eſt. cum ratione fugit.
Dicite vos fugiſſe, mali. non fugit. abivit.
Hæc ſolum ſpeciem res fugientis habet.
Sic fugere, eſt viciſſe. fugam ne credite cives,
Quæ fuit accepti nuntia certa boni.
Sæpius hoc titulo fugiat, modo ſublevet urbes,
Et patriam, populo falſa loquente, juvet.
At vox dura, Fugit. ſit vox duriſſima, voci
Dummodo præduræ ſit comes ipſa ſalus.
Sic fugiens Romana fugat trux agmina Parthus,
Sic Fabius duro nomine victor abit.
Dum populo Romæque ſuæ Cunctator habetur,
Hos, titulo quamvis deteriore, juvat.
Sic vixiſſe mori eſt; ſic ægrotaſſe, ſalubre
Dicitur, & Veneris dulcis amarities.
Si damnant mea verba Duces, ſi damnat Iberus,
Auriacus neſcit ſchemata, neſcit Iber.
Sed dum Bredâ alius, Moſâ movet alter abitque,
Bellorum melius perdidicere Tropos. C. B.

256. COR-

Digitized by Google

256.

CORNELIO VANDER MYLE.

NObiliſſime Myli,
Poſt miſſam Apologiam meam ad Cenſuram Domini de Zulechem, ſcripſi paucis in hæc ferè verba: Cum ſciam aulicorum aures tenellas eſſe facileque offendi, & ſententiam perdere malim, quam amicos, dele illud, *Fugit, horret uterque*, & ſubſtitue *diſcedit uterque*. Hoccine eſt culpam & lapſum fateri? Minimè quin potius iſta correctione aulicorum infirmitati, & nimis anxiæ ſollicitudini volui ſuccurrere. Ea enim ſum morum facilitate, ut verſus meos depravare malim, quàm iis diſplicere, quibus me plurimum debere fateor. Scio, quo ſenſu, & qua occaſione ſcripſerim illud *fugit horret uterque*. Cum enim hîc clamitarent benevoli juxta ac malevoli noſtros fugiſſe, ego ita fugiſſe dixi, ut ſervaverint Trajectum, hoſtem verò fugiſſe, ut Trajecto potitus non fuerit. Ad Apologiam meam hæc reſpondit nobiliſſimus Hugenius:

C. B. C. H. fugam gratulor.

In populum conjecta fuga eſt. ignoſco poëtæ
Cenſor, habet ſpeciem, nec fugientis habet.
Aufugit, & credi, fugit, aufugiſſe. quid ad me?
Dummodo confeſſi ſit fuga facta fugæ.

Quem per iſtum confeſſum deſignet, neſcio, an ſe, an me. Quod de vicariatu mones, non

Digitized by Google

ausim facere; ne videar summo viro nimis esse familiaris, aut ipsius curæ diffidere. Elogia ista clarissimi Pighetti, acuta sunt & plena genii. Vale Vir præstantissime, & uxorem liberosque à me saluta, & censorem rigidissimum D. Hugenium. Amstel. 1634.

257.

NICOLAO BAUGY.

Illustrissime Domine,

Memor istius humanitatis, qua me nuper cum hic esses, amplexus es, facile à me impetravi, ut in Gallias abeunti valedicerem. Illud doleo, tum demum me in amicitiam tuam receptum, cum dirimenda illa potius videtur, ob discessum tuum, quam colenda diu. Permitte quæso, ut quò corpore non possum, literis meis versiculisque transvolem. Non alias alas Dii Poëtis concessere. His freti Regum, Principum, Legatorum aulas adimus, frequentamus, licet longe ab iis positi. Nullus me timidius aulas adit, & coram affatur positos in luce viros. Rursus nullus me audacius eosdem alloquitur vel carmine vel epistola. Non erubescunt literæ, nec respondendum ex tempore iis, qui & plus Poëtis sapiunt & regaliter respondent. In talem amicum incidisti, illustrissime Vir, si modo inter sorte dispares amicitiæ locus esse possit. Expungam potius amicitiæ nomen, & obsequio majore me tibi devinctum dicam, ex quo ad colloquium tuum sermonemque humanissimum

Digitized by Google

mum me admisisti. Faxit Deus, ut sospes incolumisque in Galliis appellas, Regisque Christianissimi commodis, gloriæ tuæ, & amicis diu superstis. Vale Vir summe, & licet non nisi magna pro animi tui magnitudine amare possis & soleas, me tamen inter eos habe, quibus imperare quidvis possis & velis. 6 Sept. 1634.

258.

CONSTANTINO HUGENIO.

ITane vacat, clarissime Hugeni, in castris & Virginum meminisse & Antiquitatum? simul & in juvenculæ puellæ laudes & decrepitæ Romæ obsoleta sacra diffundere spaciosissimum ingenium? modò præstantissimam Virginem Annam Mariam à Schuermans in lucem vocas. Modò detrita & semesa Latii monumenta. Cum de his loqueris, videris mihi cum Evandri matre Carmenta loqui. Cum illam laudas, res tibi est cum virgine divâ. Quæ, quia nil nisi divinum sapit & excellens, hominibus nubere non vult, & Deos amasios expectat. Debebat aut nulli illa, aut docto nubere, ut mixtis magnæ indolis ingeniique principiis, Apollines nobis aut Palladis gignat. Elogia illa, qua supellectilem antiquariam doctissimi Smithii descripsisti, ejus genii est, ut notam *Optimæ* mereatur. Miratus sum, & mirati sunt una mecum, quos ad hæc sacra admisi, te in castris, ubi nulli stant ordine vates,

Nec domino monstrat pergula certa librum,

Digitized by Google

Illa ſcripſiſſe, quæ antiquorum nobis ritus ceremoniasque propriis verbis nominibusque exhibent. Opinor te recentem ab eruditis Smithii discurſibus veniſſe, cum illam ſcriberes. Majeſtati Romanæ aptiſſima verba conquiſiviſti. Et viſus mihi fui inter veteres Quirites ſtare, cum legerem phaleras, phialas, uncias, periammata, cymbala, lapides, genios, annulos, ſtylos, calices, capeduncules &c. Romana vocabula. Verum cum mentionem facis, *ignis æterni lampadibus contenti*, libet quærere cauſam æterni ignis. An putas Dæmonum ſtudio & cura conſervatam flammulam, & ideo ſepulchris inſcriptum, *Dis manibus!* an putas flammulam hæſiſſe in filis incombuſtibilibus, qualia dicunt fingi ex ligno ἀσβέστῳ, [*inextinguibili*,] aut lino Carbaſio, cujus meminit Paulanias? An probabilius putas, oleum in flammam, flammam in fumum, fumum iterum in olei ejusdem naturam tranſiiſſe, & ita veluti per circulum duraviſſe & flammulam & alimentum? An credis fuga & metu vacui non exſtinctum ignem! eo quippe exſtincto neceſſe fuiſſet aërem vicinum refrigerari, refrigeratum condenſari, condenſatum abire in minorem locum. Obſtructo autem ſepulchro, cum non potuerit ſubire novus, vacui metus incubuiſſet naturæ. An putas flammulam illam non ſemper arſiſſe, ſed aperto ſepulchro & ſubeunte aurula, materiam concepiſſe flammam, utpote oleoſam & aptam accendi? An mecum veriſimilius arbitraris, flammam duraviſſe in lon-

Digitized by Google

longum tempus, imò in ſecula aliquot, ob olei viſcoſitatem, lentorem & reſiſtendi vim maximam, non tamen duraſſe in perpetuum, ſed aliquando exſtinctam fuiſſe? Fortè hujus rei cauſam nobis aperiet Smithius, harum rerum ſcrutator ſedulus. Gratulor ego rei antiquariæ, quod te cultorem ſui nacta fuerit. Ego in iſto ſapientiæ genere aliquando inſanivi. Habeo nummos aliquot melioris notæ, probos plerosque, quos tibi dono mitto, ut pergas plures petere. Vbi Othonem æneum repereris, crede, te reperiſſe rem precioſiſſimam, & maximi valoris. Auro rediment hic aliqui, ſi probum nactus fueris. Vale. Amſtelod. 16 Sept. 1634.

259.

IOHANNI BEVEROVICIO.

NOndum videris termini tui terminum acquiſiviſſe, doctiſſime Beverovici. Adeò fecundum eſt liti ingenium, ut reſecto uno capite, repullulent alia. Plurium de vitæ termino ſententias conquiris, nec difficulter invenies, cum & contradicere ament mortales, & ſuam quisque Helenam Gygi oſtentare non erubeſcat. Rogas, an priori meæ epiſtolæ quicquam velim addere. Nihil prorſus. Quin potius vellem quædam expungi, ea nempe, quæ moroſiores quosdam offenderunt. Non ſcripſi illam, ut quenquam offenderem. Nec unquam putavi fore, ut eſſent qui ferre non poſſent feſtivum dictum. Scripſi potius, ut recrearem illos, qui-

Digitized by Google

bus salubre est ridere. Sunt in eruditorum quoque gente πικρόχολοι [*amarâ bile percitî*] & ὑπόχολοι [*redundantes bile*] sunt & atrabilarii, prioribus pejores, quibus joci, risusque aliaque animi corporisque oblectamenta pro remediis præscribi solent. Nonne malum Saulo Regi spiritum discussit cithara? nonne Heraclito supervixit Democritus? ut jam inter modos & media prorogandæ vita non postremum habeam, *Bene agere & lætari.* Vti temperamentis differimus homines, ita & studiis & scribendi genere. Placent ejusdem cibi condimenta varia. Alii sedulcare amant, alii aceto & pipere perfundere, ut stupido palato sapiat mordax edulium. Prout arteria aspera, vocis instrumentum, magis minusque talis est, vocem edimus magis minusve raucam, aut canoram. Insipidi sunt, quibus præter fabam, lentem, betam nihil sapit. Nolui in ista epistola in arcana Theologorum inquirere. Sed quia medicus medico scribebam, hoc volui ostendere, nihil medicorum commodis decedere, sive quis terminum vitæ mobilem, sive immobilem statuat, cum utriusque sententiæ assertores pari studio medicina utantur, tanquam benè diutiusque vivendi medio & conditione. Non rident in re seria, qui verum dicunt sine supercilio. Non vacat semper eructare voces ad fastidium graves. Qui amaris, qui acidis, qui stipticis vesci amant, prandeant soli, sibique fervent severas dapes. Conviva illorum esse nolo, nec volo ut sint mei. Sic sine lite epulabi-

Digitized by Google

labimur, & ego & illi, & discedemus saturi absque ullius injuria. Non fuit, nec est mihi animus cum quoquam contendere. Offensam amicorum deprecari malo, quam exasperare. Hostem quisquis me suum putat, fallitur. Mihi si quis sit, nolo ut amplius sit, nisi irasci velit non irato. Præstat ἀδελφίζειν, [*fraterne agere*,] quàm ἰαμβίζειν. [*invectivis uti.*] Hæc scribo propterea, quia scio me ob Epistolam illam vapulare apud eos, qui Vrbanitatem operibus carnis annumerant. Qualis est Vltrajectinus Theologus, quem missum facio, quia nolo cum pedibus certare, ut qui longius absunt à rectæ rationis sede. Vale Vir clarissime. 1 Octob. 1634.

260.

NICOLAO CROMHOUT.

Magnifice vir,

Cogor apud te in gratiam alterius depudere. quamobrem non ægrè feres, si literis meis te interpellem, quas sola mihi extorsit pietas. Curiam vestram veneror & suspicio, nec minus illum, qui illi præsidet. Religio mihi foret A. T. affari, nisi ut affarer suaderet religio. Si pro vidua me loqui dixero, veniam debes intercessori, & dictum satis. Pendet illi lis in foro vestro, resque eò, ut ait, perducta est, ut controversiarum sacculus à, responsionibus, replicationibus, duplicationibus (quæ voces, nedum res, supra sapientiam nostram sunt) instructus sit. In judicum genibus jam posita causa

Digitized by Google

est, & litis expectatur decisio. Vnum petit. ne longior mora in damno sit. Mavult festinum partum, quam lentum. Ignosce. femina est. mater est. Nescio ego, quid petere debeam. Senatorum prudentissima consilia præcipitari, non est meum urgere. Et tamen illa vellet illos festinare & sententiam dicere. Tu vir maxime, tantum dona favori, quantum dari patitur lex in codice, tantum dona viduæ, & meo erga te amori, quantum scies ab optimis Curiæ moribus & consuetudine vestra non esse alienum. rogatus rogo. Optaret vidua, se, quam fieri potest citissimè, hac lite expediri, quæ jam in triennium excurrit. Qui humanitatis benevolentiæque officiis tot tibi obstrinxisti Batavos, etiam poëtam rogantem noli adspernari, quem amasti olim, & amas etiam nunc. Vale vir magnifice, & hanc ex humanitatis tuæ fiducia conceptam libertatem, pietatis in viduam & desertam Creüsam tituso excusa. Amstel. 13 Nov. 1634.

261.

CONSTANTINO HUGENIO.

CUr me iterum, amplissime Hugeni, revocas ad sterile illud & exangue nihil? differis de eo multa σκεπλικῶς [*scepticè*] & σκωπλικῶς. [*scopticè, id est mordaci stylo*] σκεπλικῶς, [*sceptice*,] ubi acutus esse vis, & gratiarum actiones aulicas verè dicis esse nihil. σκωπλικῶς, [*mordaci stylo*,] cum rectius facturos putas viros

Digitized by Google

ros magnos, si se ad aliquid potius applicent, quam ad nihil. Verum impossibile est viros magnos, quos tu Nihilistas vocas, de aliquo philosophari, nisi primum norint, quid sit nihil, cum hoc prius fuerit aliquo, nempe non mundus mundo, non princeps principe, non philosophus philosopho, non vicarius vicario. Ideoque Horatius volens definire virtutem, per negationem eam definit; cum inquit, virtus est vitium fugere. Quasi dicat virtus non est vitium. Qui libellos supplices offerunt Ordinibus, prius in margine legunt invisum nihil, nec nisi post læsam & victam patientiam nanciscuntur aliquid. Mercatores novi naufragium passi mercaturam à nihilo auspicantur. Advocati recens Curiæ initiati; quoties causa cadunt, itidem à nihilo statum juridicialem ordiuntur. Didò, cum in Æneam invehitur, nonne à nihilo incipit?

Non tibi Diva parens generis, non Dardanus auctor.

Quod si hos omnes non puduit à nihilo auspicari suas res, cur ægre fers philosophos nihilistas de nihilo prius disserere, dummodo postea ad aliquid se applicent. Est & aliud quod in literis tuis ferre non possum. Illud nempe, quod scribas te me æstimare, ut nihil magis. O hominem nihilo minorem. Nihil magis amatur ab Hugenio, quam Barlæus. Sed quomodo nihil amas, quod amari nequit, cum bonum non sit, quia nihil in se rei habet. Et quomodo nihil magis amas, quam me? ergo flocci me & nauci non facis, minus sum, quàm titivillitium, quam

Digitized by Google

quam umbra, quam gry, hæc enim aliquid sunt. Itane nihil magis amas me? & tamen literas mihi scribis, versus mittis, amicos concilias? mihi inquam, rei infra nihilum abjectæ, & minus quam nihil amabili? si dicas me in verbis tuis Sophistam agere, regeram ego, hoc esse proprium nihilistarum. Nec mirare me de nihilo sæpius scribere. Quia nihili sum possessor. Nihil aula dat, nihil recipit. Excusas silentium tuum & rariores literas. At ut videas quam sim erga te indulgens, per me licet totum trimestre sileas, dummodo tum scribas mihi obtigisse ab aulæ Principe illud speratum aliquid, quod nosti. Vale. 1. Dec. 1634.

262.

ROCHO HONERDO.

Amplissime vir,

Petiisti per amplissimum virum D. Petitium, intimâ mihi amicitia à multis retro annis junctum, ut aliquid ad te darem litterarum. Sed quid vis me scribere? de Nihilo? At illud argumentum vexandi me & nigro carbone notandi, elegit sibi nobilissimus Hugenius, cui jam insigni elogio Nihilista vocor. Quam injuriam ægerrimè ferrem, nisi idem epitheton meruisset Marchio d'Aytona, cœptâ obsidione frustratus. Et forte etiam nos (non audeo clarius loqui quod sentio) in Galliâ propemodum dicemur Nihilistæ. Et si contingat, quod Deus avertat, Suecos remigrare in Gothiam suam, solatio

Digitized by Google

solatio erit cum tantis heroïbus ignominioso Nihiliſtarum vocabulo vapulare. Vis ſcribam de gradibus comparationis? At inglorium eſt, litterarum ſtudioſos per eandem lineam contentionis ferram reciprocare. Vis ſcribam de rebus Patriæ noſtræ & momentis pacis vel belli? at illa non magis capio quam ſus poëtica. Præſertim hoc tempore, quo Legati eunt & redeunt, ignaris (ita garrit querulum in ſuperiores vulgus) Dominis. Dicam aliquid de Cardinali Infante. Ajunt eum mirà gravitate & ſupercilio partes ſuas tueri, hoc eſt, Gubernatoris Belgii. Non aperit caput quoties in publicum prodit, ac ſi è Perſiâ aut Oriente adventaret. Pauca loquitur, & ſuaviter, Menelai exemplo, de quo Homerus, παῦρά μεν, ἀλλὰ μάλα λιγέως. [*pauca quidem, ſed admodum argutè.*] Accepi, cum puer eſſem, à parente meo, Carolum V Imperatorum cum Antverpiam intraret, perhumaniter ſalutaſſe S. P. Q. Antverpienſem. Philippum verò Secundum filium, nondum tunc ex ephebis egreſſum, operto capite adſpectaſſe, hinc Patris, illinc Senatus officioſam humanitatem: Atque hoc facto ita excanduiſſe Carolum, ut adſpectante Senatu & populo alapam impegerit filio, additis his: *Hoccine te docuit Vives?* Fuerat enim hic, uti ſcis, Philippo morum ſtudiorumque rector. Si vera ſunt, quæ de Cardinali Infante narrantur, videtur φιλιππίζειν. [*Philippizare.*] Sed quid cenſes, vir prudentiſſime, veniſſe eum, ut pacem adferat,

Digitized by Google

adferat, an bellum? Ego de pace vel induciis desperο. Bellum metuo ut afferat. Est enim purpuratus. Rubet purpura & ad sanguinem proximè accedit. Verum istiusmodi enthymemata vocant Logici εἰκότα, [*probabilia*,] non τεκμήρια. [*certa indicia.*] Quamobrem vestra judicia audire malim, qui noviſtis, quid Rex reginæ in aurem dixerit. Sed qui pessimus est Aulicorum mos, tacent ac silent omnes, tanquam jurati amanuenses, nec quicquam earum rerum quæ publicè geruntur, & ad nos quoque pertinent, impertiunt umbraticis Doctoribus. scribunt multa & acutè de nihilo, de gradibus Comparationis. Sed an res Patriæ surgant cadantve sibi sciunt. Sum in eadem vobiscum navi, viri graviſſimi & amiciſſimi. Si pereundum est, eadem fortè, qua vos evadam tabula, aut mergar vobiscum: si in portu navigamus, solvam vobiscum vota Iovi liberatori. Videte, quam seria jam scribam. Et facio hoc serio, ne putetis nihil mihi esse curæ, præterquam putidum istud & rancidum nihil. Addam aliquid, quod ad Petitium meum spectat, valde exercet Curia vestra hominis optimi patientiam. Invitus discit virtutem illam ex vobis, quam tantopere laudant triſtes Stoici. Vbi litis suæ videbit finem, jubebit, ni fallor, Hagam μέγα κλαίειν. [*multum plorare.*] Vale, Vir præstantiſſime, & doctiſſime. Nummorum tuorum hiſtoria an in spongiam incubuit? Raptim. 12 Decemb. 1634. Amstelod.

263. GU-

Digitized by Google

263.

GULIELMO STAACKMANS.

IMmeritò de cymbula, tempestate, & comitibus sordidis quereris, mi Staackmanne. Cymbula fuit, quæ Cæsarem vexit, cum Dyrrachium peteret. Cymbula fuit quæ Athanasium vexit, cum Arianorum fugeret furorem. Perinde est, qua cymbula vehatur sapientis anima, quæ fragiliore vehi non potest, quam qua vehitur semper. Si corpus erigere non potuisti ob depressos cymbulæ foros, erexisti altius mentis vim, qua in istis angustiis exarasti divinissimos versus. Cur quoque iniquam voces tempestatem nescio, quæ cum cymbula sublimius sustulit vatem, & inter turbidos fluctus sivit scribere deductum carmen. Quod si in procelloso mari non defuit Hippocrene, quanta à te expectabimus, ubi ad Castalium fontem, & Aganippen domi confidebis tranquillior. Fecit tempestas, ut collectus in se animus sibi vacaret, quem aëris serenitas & maris malacia foras evocare solent. Fecit illa, ut Alcyonia impetraveris à Musis. Non scripsit elegantiores elegos Ovidius quam inter decumanos fluctus. Testes sunt, *Di maris & cœli, &c.* Et quæ illa tempestas? quæ facetissimis te commentis meditabundum detinuit? & inter pericula passa fuit cogitare de aliorum amplexibus. Si comites habuisti sordidos, Stoicismum cogita. In pediculosa sodalitate illustrior fuit Virtus

Digitized by Google

Virtus tua, & patientia repperit, quos ferret, magnanimitas quos non contemneret, comitas cum quibus rideret; eruditio, quos ſuperaret. Quid tu judices equidem neſcio. Ego cymba vehi malim, quam equo. Neque enim illic opus freno, quo compeſcam recalcitrantem caballum, nec calcaribus, quibus incitem tardigradum. Non illic cervix eſt, quam frices; non ungula, quam ferro armes; non dorſum, quod ephippio inſternas, non venter fœni & avenæ indigus. Sedes inter ſocios. Loquentes audis homines, ſemihomines, rudes, ſagaces. Sapientiam mixtam dementia. Audis ridicula ſæpe. Ventos nullos percipis extra ſpirantes. Vides comptos, laceros, vigiles. Hic ſtertentem aliquem, hic dormitantem, hic oſcitantem. Breviter humanæ vitæ fabulam & ſcenam. At hyeme navigaſti? quid tum? juſſit Patria, cujus commodis invigilaſti. Omne tempus oportunum, quod Reipub. impenditur. Pro te inquit apud Claudianum Stilico,

Solſtitio Meröen, brumâ calcavimus Iſtrum.

Hac via ad nominis immortalitatem graſſaris, quam homines appetimus avidiſſimè. Epithalamium quo calamitates amoribus, hoſque illis erudite permiſces tradidi novis nuptis. riſerunt magis & minus doluerunt. Aulam Principis ex parte conflagraſſe jam intellexeram. Benè habet, quod pepercerit flamma iis, è quorum ſalute ſalus publica dependet. Ruinoſi palatii jactura reparabilis eſt, at non Principis in Batavorum

Digitized by Google

vorum gloriam & tutelam nati. Vale Vir amplissime. 24 Dec. 1634.

264.

CONSTANTINO HUGENIO.

Nobilissime Hugeni,

Audio ædificare te, hoc est, metuere, ne scrinia tua & loculos araneæ intexant. Si unquam, jam Philosophia tibi opus, non speculativa solum, sed & practica. De speculativa nihil scribam, nam audio te Vitruvium legere, ex quo disces, ubi & quomodo ædificandum, qua partium symmetria & ordine. Ad practicam te attendere nunc cupiam, & virtutes hasce, magnificentiam, mansuetudinem, temperantiam, magnanimitatem, justitiam, constantiam, urbanitatem, prudentiam. Magnificentia opus, ut opus sumptibus, sumptus operi respondeant. Mansuetudine, ne facile irascaris architectis lentis & mendacibus. Temperantia, ne nimis ædifices delicatè. Magnanimitate, ne nimis ambitiosè; justitia, ne umbra proximum aut stillicidiis lædas. Adhæc prudentia, ne ita ædifices, ut junctam viæ domum mordax populus sibilet. Constantia, ne inchoatam domum, molestiarum tœdio, derelinquas, ne verum sit de ea dicere: *pendent opera interrupta, minæque murorum ingentes*, &c. Monitum hoc Hesiodi est in libello, Περὶ τῶν ἔργων καὶ ἡμερῶν. [*De operibus & diebus.*]

Μηδὲ δόμον ποιῶν ἀνεπίξεσον καταλείπειν.

Digitized by Google

[*Neque domum exſtruens imperfectam relinquito.*]

Tandem urbanitatis meminiſſe te velim, cellulamque exſtruere, in qua mecum & cum Vander Burchio & Broſterhuſio rideas, absque offenſa conjugis, & vagientis infantiæ. Occurrunt plura. Hoc cavendum ædificantibus, ne domum nimis ament, more illorum, qui domo egrediuntur nunquam vel ingrediuntur, niſi cum attenta frontiſpicii admiratione, ad quod ſubſiſtere ſolent meditabundi, quaſi à lapidibus veniam intrandi impetraturi. Etiam ubi domum propriam inhabitabis, noli ſemper deſidere domi, ne οἰκουρίαν [*domus cuſtodiam, id eſt vitam otioſam*] tibi exprobret Plutarchus. Verum minus ab hoc incommodo tibi metuo, quandiu Principi jus erit te evocandi. Sed cur ædificas, mi Hugeni? an ut habites? non defuit Diogeni, ubi habitaret, nec ædificavit unquam. An ut commodè habites? etiam in conducta commodè habitabis. An, ne pecuniæ ſitu marceant? at accidet idem lapidibus & trabibus. An, ne in jus vocari poſſis, juxta illud Caji Pandect. lib. 4. tit. de in jus vocando. *Plerique putaverunt nullum de domo ſua in jus vocari licere.* Quibus gemina habet Paulus lib. 1. tit. de regulis juris. Sed illud jus jam exolevit. Et qualem quæſo quantamque domum ædificabis? Si magnam, bene mereri voles de glirib. & muribus. Si parvam, diceris nimis arctè habitare, & minus eſſe magnificus: vis ædificare

Digitized by Google

care firmam & perennem, quæ seculum ferat, eris ludibrio Chinensibus, qui domos ædificant, quæ ad vitam domino sufficiunt, de nepotibus securi. Si invalidam, metuo, ne summa fiant ima, & tuo damno probes, gravia cadere deorsum. Et ut pergam te exercere, dico impossibilem esse quam ordiris οἰκοδομὴν. [*ædificationem.*] Aut enim ædificas, quod ædificatum est, aut quod non est ædificatum. Si prius, actum agis. Si posterius, ædificas non ens. Nam tale est id, quod non est ædificatum. Insuper aut ædificas domum, in loco, in quo est, aut in quo non est. Si in loco, in quo est, cur ædificas? Si in quo non est, ædificas domum quæ nullibi est. Vnum addam contra Vitruvium: monet ille, parietes debere esse perpendiculares, & parallelos. At nego dari posse in rerum natura duos parietes perpendiculares & parallelos. Ratio est, quia gravia omnia feruntur ad centrum, & in hoc coincidunt. Quamobrem necesse est partes parietum inferiores sibi esse viciniores, quam superiores. alias numquam possent in centro concurrere. Vale mi Hugeni, nec posthac Nihilistis objice suum nihil, sum enim philosophatus de domo. 25 Dec. 1634.

265.

HERMANNO CONRINGIO.

Clarissime doctissimeque vir,

Traditæ mihi sunt Orationes tuæ, quarum

Digitized by Google

rum priorem Principis tui Cancellario, posteriorem mihi inscribis. Non videmur benè compositi eodem libello, Professor cum Cancellario, doctor umbraticus cum viro illustri & in luce posito. Sed facilè à me facti veniam impetrabis, qui tuo hoc omne in me affectui imputo. Aliàs non soleo tantis viris comes ire à latere. Nec meæ sortis est jungi iis, qui propius terrarum Deos tangunt. Gratias tibi porrò ago & debeo maximas, quod nomen meum Germanis vestris ignotum novo paxillo suspenderis. De rebus Germaniæ quæ scribis, tristissima profectò sunt. Licet illa gravius accidant coram spectantibus, quàm è longinquo audientibus. Vides belli aleam modo huic, modo illi ex voto cadere: aut providentiam potius divinam summa imis mutare. Illud doleo te aliosque pacis studiis devotas animas, inter bellorum illic strepitus & tumultus vivere, & eo loco de Natura verba facere, ubi in segetes & culta novalia, hoc est, naturam ipsum grassatur barbarus miles. Optarem tibi hîc otia. Sed scis apud partium studiosos rigidius expendi fidei, quam scientiæ eruditionisque momenta. Moderatiorum uti minor numerus, ita autoritas vix ulla. Nimis candidè & dextrè philosopharis, quàm ut possis hic Lutheranis tuis placere. Non credis, corpus dari sine termino: non credis proprietates separari posse & transfundi: non credis idem corpus posse esse in pluribus locis: non credis penetrationem corporum

Digitized by Google

porum esse possibilem, aliaque. Hæc bonæ mentis axiomata excutienda tibi forent, si te probare voles Augustanis nostratibus. Nimis te dicerent Aristotelicum, & rationibus è naturæ luminè petitis inhærere. Tecum tamen sentio, & laudibus, quas in Aristotelem copiose & luculenter congessisti, subscribo non invitus. Ita est. Nemo veterum huic par, sive rerum copiam, sive scribendi perspicuitatem & nitorem, sive disputandi vim methodumque spectes. Sceptici nihil dicunt. Acàdemici probabilibus insistunt. Platonici magis mira quam vera dicunt. Pythagorici in numeris nugantur. Epicuræi sensum pluris, quam rationem faciunt. Stoici in definiendo nimis sunt audaces, nimis etiam in vita civili graves. Noster Philosophus probabilibus necessaria, seriis jucunda, vera mirabilibus miscet. Rationem adhæc sensui & hunc rationi sociat. Denique dum alii theoretica solum sectantur, aut practica solum, ille θεωρητικός est τ ὄντων, & πρακτικὸς τ δεόντων. [*speculator eorum quæ sunt, peractor eorum quæ decent.*] Quæ in Regem Sueciæ scripsisti, hic imprimi posse despero. Superstite Rege & res feliciter gerente, grata erant famelicis Typographis, quotquot in eum scribebantur Encomia. Iam erepto terris invictissimo Heroë, minor est virtutum ejus fama, minor præconum gratia. Vale Vir clarissime & doctissime. Raptim Amstel. 26 Decemb. 1634.

Digitized by Google

266.

JOACHIMO VICOFORTIO.

FActum consulto, amplissime Vicoforti, quod dies aliquot sine meo alloquio transire passus fuerim. Dum enim justa optimo parenti solvis, dum exequias celebras, mortuum effers, dum recens dolor stupet, & solamina vix admittit, distuli ea styli officio designare, quæ in animum tuum simul ac meum (unus namque is ambobus est) effundere decreveram. Amisisti Parentem in terris, quem beatior aliquando salutabis inter superos. Deseruit ille mundum hunc ante te, quem intraverat ante te. ut jam nec de morte, nec de ordine conqueri possis. Satur hujus scenæ ad ea loca ivit, ubi eadem semper erit nec mutabilis cœlestis scenæ facies. ubi opes caducas & fluxas æternitate, vitam fragilem immortalitate, famam denique civis boni divinis honoribus commutavit. Decessit hinc vitæ tuæ olim dux, morum magister, & pietatis inter suos domesticus doctor. ideoque levior tibi debet esse ejus mors, ex cujus vita fructus percepisti uberrimos. Feliciter excessit, te superstite, & fratribus sororibusque tibi junctissimis, in quibus renascitur indies, & eas vidit glisscere virtutes, quibus vivus maxime excelluit. Non jam ægritudo tua franget ægrum, non affliget tua calamitas imbecillem, non dolebit ob dolores tuos, nec mors tua funerabit senem tui amantissimum. Bene secum actum putavit, quod liberos

Digitized by Google

ros genuerit ſibi, Chriſto, Virtuti. ſibi in auxilium & oblectamentum, Chriſto in peculium, Virtuti in exemplum. Vixit, quantum per humanam imbecillitatem licuit, pie, caſte, ſobrie. Nec obiit alius, quam vixerat. Quæ monita pater quondam dederat filiis, ea moriens avus dedit nepotibus. uſque adeo, ut cum loquentem deſtitueret fracta naturæ vis, voces tamen extuderit integra religio. quæ tunc in ſene & pro ſene verba fecit, nec de rebus terrenis loqui paſſa fuit cœlo Deoque proximiorem. quam hæc fuit ſuavis, quam pretioſa apud Deum, quam plena ſolatii mors, in qua moriens cum Creatore ſermones habuit, & de Redemptore ſuo loqui maluit, quam de mundi hujus, quæ plurimos occupare ſolent, quisquiliis. Salutari cataſtrophe abſolvit vitæ hujus Actus. Laudabili Epilogo deſiit eſſe facundus; & poſtquam de ſalutis ſuæ momentis peroraſſet, deſiit in pium *Dixi.* Vix ſpatii quicquam interceſſit inter loquentem & morientem. quia enim ad Deum ſuum & patrem ibat, cogitationibus ſe divinis implevit. Ita mori, mi Vicoforti, eſt in Domino mori. ita mori, eſt novam ac meliorem vitam ordiri. Sic diſcedendo acceſſit ad eum, cujus ſanguine eſt redemptus, ſpiritu ſanctificatus, verbo regenitus. Non illum avaritia, non ambitio, non ſæculi præſentis faſtus aut ſordida voluptas transvorſum rapuit, licet ad has mundi phaleras generis humani cœca cupiditas obſtupeſcat. Simplicitate, candore, religionis ſincero

Digitized by Google

ſtudio, occupationibusque honeſtis ſe totum involvit. Reliqua mortalis ævi ſtudia, impedimenta eſſe credidit mentis in cœlos profecturæ, & remoras in pietate proficientium. Gratulare potius ſic mortuo, ac beatitudinem è longinquo illi apprecare, cujus præludia etiam hîc in ærumnarum valle poſitus in ſe ſenſit. Sunt ea, tranquillitas gaudiumque animi, pax cum Deo, guſtus deſideriumque futurorum bonorum. Vidimus aliquando ſedentem, ſcribentem, vidimus ambulantem. Sed dubium, an vivum an mortuum: an hominem, an umbram hominis. Adeo jam tum cum vita & morte pepigiſſe videbatur, ut in uno corpore, eoque exſucco pene & exangui, ſimul habitaret aliquid utriusque. Nunc mortalitate omni exutus, totus vivit ea parte, qua ſapuit, qua credidit, qua honeſtiſſime vixit. Cur tot laboribus defuncto invideas quietem? cur poſt emenſos humanarum calamitatum fluctus ægre feras in portu eum navigare? & poſt confectam hominis Chriſtiani militiam rude donari ac bravium reportare? Cur mercari amplius volet, cui lucrum eſt Chriſtus. Quid mercari pretioſius, quid dignius poſſit, cui merces eſt Deus. Cur ſe byſſo amplius & ſerico implicet, quem jam *byſſo* (ut eſt in Apocalypſi) *inveſtivit Agnus albo & mundo.* Cur ulli mercator debere cupiat, cui majus debitum remiſſum in cœlis. Cur eſſe creditor, qui nulla bona ultra in ſpe habet. Nec opus illi adire vendentium & ementium frequentatam toties Panegyrim, qui jam

Digitized by Google

jam in beatarum animarum cœtum receptus est, ubi nec venditur, nec emitur, nec debetur, sed ex gratia habetur, quicquid habetur. Ea quoque ætate ereptus est tibi, qua vita nostra morbus esse incipit. Eo senectutis gradu, infra quem plurimi deficimus. Eo morbi genere, qui placidissimus est & doloris expers. Græci μάραγνσιν vocant. Latini marcorem. Eo mortis genere, ut nec acerbam illam nec crudam dixeris. Ea denique animi alacritate, qua migrare hinc solent viri, Christiani, ac cives boni. Nec decepit Te natura, nam septuagenarium vidisti. Et si diutius vivere concessisset, miseriarum illa ac malorum potius fuisset prorogatio, quam bonorum. Ille, quia futura fidei oculis prospexit, & æterna animo complexus fuit, vim abstulerat præsentibus malis. Hoc cogitandum, quamdiu habueris, non quamdiu habere potueris. In præteritum tempus potius animum mitte, quam in futurum, & ejus te recordatione recrea, cujus usus fructus tibi fuit charissimus. Ingrati est, beneficii à Deo accepti finem, injuriam interpretari. Habuisse parentes bonos in bonis maximis est. At carere iis nunquam velle, inhumanum est. Non dat illos Deus ad satietatem. dat ad usus & officia necessaria, quibus cum defuncti fuerint, suo illos jure repetit. Nec volo, te non sentire dolorem præsentis funeris; sed non volo, te non ferre. Optimo pietatis & rationis temperamento dolere parentis obitum potes, & eundem dolorem vin-

Digitized by Google

cere. Vt vincas, non ad sacra solum, sed & liberalia studia & sapientum præcepta te confer, quibus animum imbuisti jam inde à teneris, quæque ad usum jam referre prudens didicisti. Illa quoties fati necessitatem, morientium exempla, mortalis ævi ærumnas, futuri felicitatem, vitæque bene actæ conscientiam ob oculos ponent, supervacuam pectori tuo vexationem eximent. nec poterunt in tam denso rationum examine obloqui multum degeneres querimoniæ. Hæc cum perpendes, Vir prudentissime, acquiesces non invitus summi Numinis decreto, quo voluit te lugere patrem, ne ille lugeret Te. Quod superest, dilectissimi patris memoriam venerare, famamque inculpatam in pretio habe. Ita qui vivus liberorum suorum commodis studuit, mortuus adhuc prodesse poterit. Vale integerrime, & pias amici tui voces pro solatii parte habe. reliqua à pietate, eruditione & prudentia tua facile impetrabis. E Museo nostro, Amstelodami, 27 Decembr. 1634.

267.

PETRO CUNÆO.

PAulo ante, quam literæ tuæ mihi traderentur, perlatum ad nos fuit tristissimum nuncium de inopinato obitu filioli tui Nicolai. Scripserat ea de re ad filiam vidua D. Arminii. adeò me perculit iste familiæ tuæ casus, ut nihil possit magis. Vxor filiæque in lachrymas profusæ suum ergo vos affectum testatæ fuerunt. Ego

Digitized by Google

Ego sensi mihi mota τὰς σπλάχνα ἐλέους, [viscera misericordiæ,] & longè steti citra Stoicismum. Vtinam vel consilio, vel opere possem afflicto tibi succurrere. Hoc agendum tibi, ut pectus munias contemtu humanarum calamitatum. Minus nocent prævisæ. Et profecto minus dignum est viro bono, nimis metuere mortem, quos singulos ocyus, segnius manet. Scio facile esse sanis, consilium dare ægrotantibus. Et tamen dandum. Erigit vox amici, & levat aliqua obsessum ægritudine animum. Non conquiram operosè solatia, quibus domi abundas. Puerulo tuo bene est. Decessit peccandi ignarus: & vitæ hujus ærumnis subductus doloris tibi materiam non præbebit. Satius est, ut illum lugeas tu, quam te ille. Puerperæ ratio habenda, ne se debilem adhuc, & minus integram nimio dolore affligat. Si è lectulo emersisset, suaderem, uti secederes Warmondam vel Wassenariam. Vale, & me porro de familiæ tuæ statu certiorem fac. Si quod à me præstari tibi voles officium, impera. Non deero tibi, cujus propensissimum erga me affectum non levibus documentis comperi. 29 Dec. 1634.

268.

WINANDO SCHUYLIO.

LIberasti fidem promissi tui, ampliſſime Schuyli, quanquam nullo meo merito provocatus, ad promissa descenderis. Subridebam, cum adspicerem quadratum tuum munus, ex

Digitized by Google

ex quo colligebam te memorem esse compotorem. Nec tamen hoc nomine te odi, licet celebri proverbio exosi soleant esse μνήμονες συμπότου. [*compotores memores.*] Gratulatus aliquando fui patriæ nostræ ob victam Limburgum. Iam privato nomine mihi gratulor illam provinciam nobis cessisse, quæ caseos præbet palato meo gratissimos. Sed cupio ex te scire, cur Limburgenses rustici caseos suos quadrata forma induant, nostrates rotunda? Fortè norunt Limburgenses agricolæ rusticum quadratum dici, ob formam proximè ad quadratam accedente, cum aulici, nobiles, & albæ gallinæ filii soleant esse graciles, corpore tereti, minusque saginato. Et ut aliam dem causam, forte legerunt Limburgenses agricolæ apud Aristotelem, viros sapientes & scientiæ cubo subnixos, necnon etiam bonos quadratos, τετραγώνους, vocari. Sapientes quidem ob demonstrationis certitudinem. Nam uti rotunda facile moventur loco, ita quadrata mole sua stant. Quam ob causam cubicam figuram scientiæ symbolum esse voluerunt veteres, prout hæc ab opinione & levi credulitate discernitur. Bonos etiam, quia hi tenaces propositi, nec adversis nec secundis, à virtutis studio dimoveri possunt. Nostrates Batavi in rotundam formam cogunt caseos, quia metuunt, ne si quadratos faciant lædantur & impingant anguli. Deinde rotunditas signum est simplicitatis, innocentiæ, sinceritatis, quæ virtutes in Hollandis & Zelandis admo-

Digitized by Google

admodum sunt conspicuæ. Quod si Geometriam nossent, adderent tertiam causam, nempe hanc, quod figura circularis, ob simplicitatem, & capacitatem, sit perfectissima. Si alias causas divinare potes, volupe erit eas intelligere, cum una erimus. Vide, mi Schuyli, quantus sim artifex, qui pro caseo delicatiore, verba tibi reddo & voces. Isto mercandi genere non facies rem. Sed quid hoc rei est, quod cum mittas unum, promittas secundum? Vis periculum facere modestiæ meæ? an liberalitatis esse apud me Professor? Si dicam caseum tuum placuisse, videbor expetere secundum. Si negem placuisse, videbor contemnere utrumque. Quare sileo, & tibi ultroneo datori gratias ago maximas, pro caseolo quadrato, de cujus forma tunc ulterius philosophabimur, cum Limburgenses te beabunt pluribus. Vale. 29 Dec. 1634.

269.

IOANNI NEOPORTIO.

Amplissime vir,

Gratulor felicibus Scholæ vestræ auspiciis, quæ tanto sunt auspicatiora, quanto plures orchestra vestra habet actores, & tu illis præfatus es disertius. Accedit, quod urbem vestram tradendis capessendisque disciplinis natura destinasse videatur, in qua cœli solique clementia leniri possunt studiosorum ingenia & Canonicorum ordines otio abundant. ut nihil dicam de iis, quibus graviora studia diffindi possunt,

Digitized by Google

possunt, ambulatris, quæ & intra & extra urbem habetis amœnissima. Miratus non semel fui hæc consilia non citius animis vestris insedisse. Illud in oratione asseveras, jam olim hac de re cogitasse Adrianum VI Pontificem, qui cum multa alia quoque in votis habuerit, nihil eorum præstitit, quæ maxime expetiisse visus fuit. Quod de Bibulo consule, C. Cæsaris collega olim dictum, etiam de Adriano verè dixeris, *Illo Pontifice nihil gestum esse*. Erat quippe ad omnem ferè rem timidior, & popularis auræ captator summus. Orationes Professorum vestrorum inaugurales tuo dono accepi & legi. Pignus mittis non privatæ solum, sed & publicæ, quam inter Scholas urbesque socias vigere oportet, amicitiæ. Eodem collimamus, ut Reip. Ecclesiæque suppetant præsidia, quibus illa insistant. quare æquum erit animis jungi Professores, quos studiorum similitudo cognatioque junxit. De oratione tua vix audeo apud te eloqui, quid sentiam. Eam laudem meretur, quam merentur optimæ, quæque Arpinatis ore loquuntur. Professorum vestrorum quisque professioni suæ appositè dixit. Ipsorum laboribus benedicat omnis boni largitor Deus, urbisque vestræ institutum laudabile in ejusdem bonum & nominis sui gloriam vertat. Vale Vir amplissime & doctissime. 30 Decemb. 1634.

270. PE-

Digitized by Google

270.

PETRO CUNÆO.

GRatissimæ mihi fuerunt literæ tuæ priores, quibus scribis tibi totique familiæ tuæ benè adhuc esse, nec minus gratæ fuerunt posteriores, ejusdem argumenti. Ea est summi numinis clementia, ut paterne castiget, & suum in nos rigorem temperet lenitate. Novum annum mecum ingressus es, illum tibi tuisque felicem comprecor. Vt autem felix sit, ibo per singulos menses, & quid agendum tibi, quid cavendum exponam distinctius. Mense Ianuario togam compone, foco te admove, & victu utere calidiore. In Februario, cum ciconiæ adventant, corpus leniore pharmaco move. & quia frigidior hic est mensis, perge Vestam habere in precio. Mense Martio noli quicquam movere, sed cibo utere puriore & minus excrementitio. Est enim is mensis verè Martius, & valetudinis arbiter maximus. Verum, Candidus auratis aperit cum cornibus annum Taurus, ab evacuationibus noli abhorrere. tunc enim constricti per brumam humores calore blando resolvi incipiunt, ut utile tunc sit, naturam sequi, quo vergit. Percam & rhombum pisces ama. Majo mense passerem piscem cum acetosa tibi commendo. Adhæc ambulationes & exercitia medica. Neque enim temere huic mensi præesse dicuntur Gemini, Castor & Pollux, ille equis, hic lucta nobilis. Exercitiis annumerem etiam illam

Digitized by Google

illam ἄσκησιν, [*exercitationem*,] qua Maja genuit Mercurium. Cum Sol Cancrum subit, nec nimiis studiis animum, nec corpus forti diæta aut medicina affligе. Est enim tunc debilior nativus calor, quam ut magnis laboribus sufficiat. Porcellos marinos & cyprinos latos per hoc tempus noli fastidire. Ad Leonem cum Sole progressus cave à purgationibus & venæ sectionibus. Θωρηξις hoc est generosi vini potio salubrior hausta frigidæ. Si mitylis delectaris, jam iis fruere. Per Augustum, cum Pallas diverticula amat, ad me deflecte. Non leve valetudini momentum adferunt facetiores amici. Et nihil sedentariam vitam amplexis consultius, quam alibi respirare. Ab aromatibus licet abhorreas, noli abhorrere Autumni frigore primo. quo tempore crudi fructus & putredini obnoxii calefacientibus digeruntur. Vbi octavus imber ingruet, fuge vina feculenta & mustea. His enim de causis fit, ut Autumnus febres & testamenta resignet. November longiusculam amat dormitionem, & cutem adstrictam. December lactucas, portulacam, & frigida quæcumque esse non vult. potius calidis vescitur, rapa cineribus cocta, vel pyris igne tostis. Si vegetus es & athletica valetudine, non dissuadeam dentes subinde exerceri in asello majore. His præceptis si addideris bonæ mentis officia, animum æquum & hilarem, næ felicissimus tibi ibit & desinet hic annus. Quod si festiviora hæc esse putas, quam ut te & me deceant, scito, me inter Medi-

Digitized by Google

Medicorum esse filios, qui ita loqui amant. Hujus facultatis non possum prorsus obliviſci, ut quæ mihi apud licitatores Gallos stetit XL coronatis. Vale amicorum integerrime. nec his, quas præscripsi legibus, ita inhære, ut nefas putes ab iis deflectere. Non in oratoria solum, sed & diætetica, laudis est subinde dissimulare artem. 1 Ian. 1635.

271.

CORNELIO VANDER MYLE.

CHartas Venetorum, nobiliſſime Myli, evolvi. Pyctomachiæ dictio sic satis mascula est, quamvis argumentum tractet ludicrum & puerile. De reliquis versibus dicam cum Martiali,

Sunt bona, sunt quædam mediocria, &c.

Terruit nos fama secundi incendii, quo chartas omnes, & rationum publicarum libros conflagrasse ferebatur. Verum gratum fuit ex literis tuis intelligere, non esse tam immane damnum, quam ad nos detulit rumor. Non potui non, ut tibi obsequerer, etiam ad secundum incendium alludere. tanta incendii istius fuit vis, ut vates longe positos accenderit, & incalescere alibi fecerit Hippocrenen, frigoribus penè congelatum. In casum ridiculum Principis junioris hoc Epigramma lusi:

Parvule cur diris Princeps erepte favillis
In gelidas prono laberis ore nives?
Cur, quem flamma nequit, lædunt contraria flammis
Frigora, & alterna sors mala sorte premit.

Digitized by Google

Optima vaticinor. flammis duratus & undis,
Spartani nobis militis instar eris.

Filio tuo Adriano Mylio Præfecturam oppidi Guilielmopolis obtigisse gratulor. His honoribus illum jam olim destinavi, ob modestiam & prudentiam. Sollicitudine opus majore quo majus momentum est oneris, quod suscepit. In limitaneis munimentis salus patriæ potissimum vertitur. & stat jam per ipsum ut nos securius dormiamus. Molesta satis, & minus tranquilla est gubernantium sors, & plurimarum tum militum, tum civium quærimoniis & litibus exposita. quæ mala facile affabilitate, æquitate, morumque lenitate superabit. Istud Senecæ cogitabit:

Præstat timeri Cæsarem, at plus diligi.

Fortior custodia est ab amore civium, quam ab armis & metu. Quæ non scribo, ut viro prudentissimo præscribam, sed ut scias, quibus illum virtutibus ornatum esse nos credamus. Vale Vir summe, cum uxore & liberis. 4 Ian. 1635.

272.

PETRO C. HOOFT.

SVperiore anno mihi leporem, jam perdices mittis, magnifice Hoofdi, ut duplici me tibi munere devincias, uno cælesti, altero terrestri. Verum, qua es prudentia, nec timerè tunc leporem, nec sine ratione nunc perdices mittis. Vis exprimere ingenium meum, quod & lepori multa habet similia, nec minus perdicibus. Non solet lepus annumerari animalibus efferis, & in pugnam

Digitized by Google

pugnam natis. nec ego me inter Atridas, aut Pelidas, aut Lapithas censeri patiar. Mite mihi ingenium dedit natura; & quod non cum leporibus solum, sed & cum magno Achille habeo commune, sum valde πόδας ὠκὺς, [pedibus celer,] præsertim cum res in cuspide ferri est posita. Mira est leporis velocitas, ut vel intactæ segetis per summa volare possit culmina, ita præceps nimis mens, ire nequit modesto gradu, sed velut ebria ruit, præsertim cum pangendum est carmen. Ideo informes edo fetus, quia lambere non vacat. Referunt historiæ naturalis scriptores lepores clausis palpebris vigilare. Idem facito ego, cui familiare est, noctu clausis palpebris meditari versus, quos sub stragulis, ne elabantur, annotare soleo in pugillaribus. En leporinum Barlæum. Dicam aliquid de perdicibus. Scribit Plinius tantam in illis esse concipiendi facilitatem, ut vento à maribus delato, quin voce & superno volatu, absque contactu, concipiant. Non minore facilitate concipit Poëta, qui dum cœlum adspicit, & aërem captat meditabundus, divinis furoribus impletur. Ajunt perdicem amare sociam, & raro solam volare. Etiam Poëtæ sodalitates amant. Laudatur docilitas perdicum, nec minus vatum, quibus ingenium est flexile ad omne argumentum. Odoricus de Foro Iulii inquit: In regionibus circa Trapezuntem, quæ Pontus olim dicebantur, vidi hominem ducentem supra 4000 millia perdicum. Is iter faciebat per terram, perdices per aërem volabant,

Digitized by Google

quas ducebat ad quoddam castrum, nomine Tanega, quod à Trapezunte distat trium dierum itinere. Hæ perdices, cum duci ipsarum homini quiescere aut dormire libebat, omnes quiescebant circa eum, tanquam pulli gallinarum. Cum vero sic quiescebat, capiebat de illis, quantum volebat numerum, reliquas ad locum, in quo prius erant, reducebat. Hæc ille. Sed opinor hunc scriptorem cum Ænea per eburneam portam egressum,

Qua falsa ad cœlum mittunt insomnia Manes.

Tibi amplissime Hoofdi, duplici nomine gratias debeo, tum quod rarioribus me ferculis recreaveris, tum quod minimè morosam scribendi materiam mihi subministraveris. Vale. 20 Ianuar. 1635.

273.

ADRIANO PLOOS.

Nobilissime præstantissimeque Plooſi,

Non dubito, quin de incendio Hagiensi primo & secundo certior factus sis. Celebriores quippe solent esse calamitates, quæ celebrioribus accidunt. Et uti in oculos magis incurrunt templa & aulæ Principum, ita quæ secunda vel adversa illis accidunt, clamare solet fama potius, quam narrare. Gaudeo nihil incommodi passos utriusque sexus Principes, & quod chartis publicis accidit damnum non carere solatio. Pervasit ad nos incendii flamma, meque languidum & repentem Poëtam eminus accendit. Et licet

Digitized by Google

licet pertinaciſſimo hoc frigore penè obriguerim, ſenſi facibus Aulicis me incaluiſſe, & rediiſſe ad ingenium. Luſi quædam Epigrammata, flammularum inſtar nata, quæ Hagam ad amicos miſi. Supererat, ne memoriam mei apud te ſinerem obliterari. Quæ ut perpetua ſit, impertior ſubinde N. T. otia mea. Etenim, ex quo me favore tuo & benevolentia complecti es dignatus, magnum fuit amicitiæ tuæ apud me precium. Vbi loco adſidebis, & feſſum patriæ curis animum reficere voles, iſta lege. Nec ingratum mihi fuerit, ſi ampliſſimo viro D. van Hilten blandè aurem vellicaveris, uti memor eſſe velit litterarum illuſtriſſimi Principis. Non eſt plenæ felicitatis ſperare bona, ſed poſſidere & frui. Vale Vir maxime, & Dominam de Thienhoven, liberosque ſaluta. 10 Feb. 1635.

274.

PETRO CUNÆO.

DOlemus iterum & condolemus duriſſimæ veſtræ ſorti, cognatorum chariſſime, eoque magis, quo tolerabilior fuit mors filioli, quam hæc vagientis infantuli. Vtique iniquius mortales ferimus, quæ hominium culpa obveniunt mala, quam divina voluntate. Pluribus nocuit iſta nutricum ſomnolentia. Vt beatas prædicem matres, quibus proprios lactare infantes conceſſit benignior natura. Vxorem meam adeò commovit hoc veſtrum infortunium, ut totam noctem inſomnem traduxerit. Interea, dum Libitina

Digitized by Google

bitina crebrior funestam tibi reddit domum, sapientum præceptis animum robora, quæ scis. Senecam copiosissimè impartiri Helviæ matri & Polybio. Nascimur, mi cognate, inter mortes & funera. Inter eadem educamur & vivimus. Nec dissimilis est prologo suo vitæ humanæ catastrophe. *Cum judicamur*, inquit gravissimus Apostolus, *à Domino judicamur, ne cum mundo pereamus. Patientiam Iobi*, inquit alter, *audivisti, & finem vidisti.* Illum tibi familiæque tuæ salutarem largiatur clementissimus Deus, vitæ, mortis, rerumque omnium nostrarum sapientissimus arbiter. Totus eram in commendando Ryckwardo, cum commodum supervenerunt literæ tuæ, quæ maximum pondus commendationi nostræ attulerunt. Cogor abrumpere epistolam, cum præ manibus habeam Oratiunculam de Animæ humanæ admirandis. Inter illa admiranda est Animæ immortalitas, à qua solatia maxima petuntur adversus mortem, etiam illorum, quos — *lumine primo*

Abstulit atra dies & funere mersit acerbo.

Vale Vir clarissime & amicissime, & uxorem liberosque saluta. 15 Feb. 1635.

275.

CONSTANTINO HUGENIO.

ALiquandiu scripsimus sine epistolis, & obtrusimus alii aliis versus sine præfatione. Nec enim opus erat glossemate super mœcho priore, & posteriore, cui allegoriæ tu primus occa-

Digitized by Google

occasionem dedisti. Lætor me ex ista arena, subductum, & novis uncis pertractum in flammas Aulicas. Vbi cum flamma latius grassari potest Poëtarum licentia. Fingunt Poëtæ Vulcanum, (quod nomen clarissimus meus collega arbitratur profectum à Tubalcain, fabro ferrario, cujus mentio fit Genes. 5.) claudicantem, ob hoc, quod inæquales sint ignium flammulæ. An ob hoc elegeris claudicantes jambos, ubi de Vulcano loquendum fuit, nescio. Fabulantur iidem Poëtæ Vulcanum aliquando ambiisse nuptias Minervæ, sed repulsam passum, ob morositatem Iovis. Nunc voti sui compos factus est. Postquam tu Minerva esse voluisti, quæ sapientiæ suæ poëticæ vim illi desponsavit. Sed quam initurus sis gratiam apud Venerem zelotypam tute videris. Scazontes, tum quos mihi, tum quos aulicæ calamitati inscripsisti, exactissimi sunt & graves. Cum illos scriberes calamum, non in Mosam aut Rhenum, sed Aganippen tinxisti. Ego qui te præeuntem sequi soleo, à te, ut vides, claudicare didici; reddo pro scazonte scazontem, licet disparis à tuo genii. Pro libellis Puteanicis gratias tibi ago maximas. Expungam propediem debitum novo nec inamœno discursu de Animæ admirandis. Vale & summos viros D. Mylium, Ploosium, Catsium, Honerdum, Reygersbergium saluta. 20 Feb. 1635.

276.

CORNELIO VANDER MYLE.

NIsi odioſum eſſet nobiliſſime Myli, doctos inter ſe comparare; dicerem Aloyſium inter Poëtas Italos excellere, ſolo Pontifice Vrbano excepto. cujus in Lyrico carmine laus maxima eſt. In Heroïco carmine Claudianum hîc illic imitatur Aloyſius, ſed non ubique, quod ſi ſæpius hoc faceret, major eſſet Poëmatum ejus majeſtas dignitasque. In Epigrammate non eſt infelix. Maximè placent ea, quæ in Imperatorum vitas ſcripſit. Ea, quæ in laudem B. Mariæ Virginis luſit, acumine non carent. Sed valde dubito, an ſit ex honore venerandæ Virginis, eam non ſolum cum profanis Reginis comparare, verùm etiam cum talibus, quæ meretriculæ fuerunt: qualis fuit Cleopatra, Leda, aut violatæ pudicitiæ Dido. Die lunæ proximè elapſo Orationem habui de Animæ humanæ Admirandis. Mittam, ubi excuſa fuerit. Domino Hugenio miſi Scazontes in doctiſſimos ipſius Scazontes, quibus me provocavit. Neſcio, an videris. Digni ſunt, qui doctorum omnium manibus terantur. Singulas ædium partes ſuis nominibus indigetat, ac ſi totum Vitruvium imbibiſſet. Carmen eſt grave, numeroſum, plenum acuminum. Libellum Aloyſii ab ipſo repete. Miſi illi una cum meis literis & verſibus. Hiç mercatorum animos non leviter erexit victa Pariba cum arcibus. Totam penè Braſiliam tenent noſtri.

Digitized by Google

noſtri. An Hiſpanus dormit, ſtertit, ſtupet? Nobis videtur minari proxima æſtate. Cardinalis fortè aliquid dabit indole ſua & purpura dignum. Interea Scipiones noſtri in Braſilia campis ſpatiantur apertis; & belli hic noſtri amaritudinem ſaccari dulcedine leniunt & edulcant. Vale præſtantiſſime Myli, & uxorem liberosque ſaluta. 21 Febr. 1635.

277.

IOACHIMO VICOFORTIO.

CApita epiſtolæ tuæ ſunt oſtrea, neptes Richelii, menſæ Gallicæ, Dux Aurelianenſis & Oxenſternius, res diverſiſſimæ, quarum aliæ edunt, aliæ eduntur, aliæ nubunt, aliæ nuptias reſcindunt, aliæ Martem iniquam, aliæ Venerem propitiam experiuntur. Eduntur oſtrea. Edunt Galli. Nubunt dictæ neptes, nuptam repudiat Aurelianenſis, Regis frater; iniquo Marte pugnat Oxenſternius, Germanique. Quæ de oſtreis ſcribis, probo. Licet non ſim ex eorum numero, qui

— Circæis nata forent, an,
Lucrinum ad ſaxum, Rumpinove edita fundo
Oſtrea, callebant primo deprendere morſu.

Alii cruda amant, alii elixa. Ego præfero illa, quæ ad exemplum martyrii Laurentiani, flammis ſunt uſtulata, & cydoniorum ſucco adſperſa. Menſæ Gallicæ opiparæ fuerunt. Sed nihil ad luxum Tiberii, qui in menſa appoſuit tres mullos emptos tribus millibus nummum. Dicere ſolebat Caligula, aut frugi hominem naſci oportere,

Digitized by Google

tere, aut Cæsarem. Aurelianensis veniam facti sui mereri posset, si qua facilitate caulas repudii invenire posset, sponsæ ablata virginitas restitui posset. Oxensternius adversim fortunam superare animi magnitudine didicit, non elatior esse secundis, nec dejectior adversis. Cedendum subinde bellorum tempestati, donec adspiret Favonius, qui è Gallia flare incipit. De Richelii neptibus nihil dicam, nisi hoc unum, operæ precium fuisse illas elocari, ob dotem. Poterit hanc amare impensius, quæ Pulaurentium amat minus. Leida redii, ivi rediique iratis dis hominibusque; in itione infesta fuere grando, venti, nives, pluviæ. In reditione, incidi in aurigam lentum, morosum, duræ cervicis, penè dixerim non uno dignum suspendio. Post meridiem te invisam, & itineris mei labores enarrabo propius. 1 Mart. 1635.

278.

CONSTANTINO HUGENIO.

CUm Scazontes tuos, in fine polysyllabos, legerem, correptus sui catalepsi sive catocho. Is morbus est, quo æger detentus repentè in eodem permanet habitu, sive stans, sive sedens, sive clausis, sive adapertis oculis. Non aliter in carmen illud præstantissimum intentus obrigui, ut vix aliò flexerim oculum. Iam verò ab isto me morbo liberasti acriore literarum tuarum sale. quo negligentiam meam, quam ego morbum interpretor, perfricas. Redii ad me,

Digitized by Google

me, & discusso rigore crepo perlustrare Epigramma de causis incendii. Allusio ad causas & καῦσιν [*incendium*] lepida magis est, quàm gravis. Eam alia paranomasia Belgica prosecutus est Mostartius noster. Videbis ex schedula inserta, quanta ingenia in occulto lateant. At nullius epigrammatis argumentum convenientius, quam illius, quod sic clauditur, *Credita cum nudo Marte cubare Venus*. Illud tuum est. Incidit mihi simile quid. Sed non ausus fui tractare argumentum ob amphiboliam. Suspiciosa valde est aula, & lædi facilis. Quia verò Philosophum lacessis, inveniam nullo labore nodum in scirpo. Dicis Principem non fuisse lapsum in terram, sed terram centri virtute traxisse Principem. Quasi gravia extrinseca moverentur virtute. Natura, inquit Stagirita, est causa & principium motus & quietis, *ejus in quo inest*. Si terra traheret, facilior esset tractio corporis minus ponderosi, cum hoc resistere magis valeat, quam magis ponderosi. At parum moror hanc controversiam; sive enim terra trahat lapidem deorsum, sive gravitas intrinseca trudat, sive aër à tergo trudat, possum ferre dissentientem. Tibi & clarissimo Honerdo si quando obdormiscere vacabit in Parnasso, sumite me socium. Vobis concedam in fastigio altum stertere, contentus recubare in vallibus. Amplissimo Honerdo aliquid reposui, ut provocem egregium Poëtam. Quæ scripsit in incendiarios deos, ipsam Hebem, non decrepitam senectam sapiunt. Adeo ner-

Digitized by Google

nervosa sunt omnia & succi plena. Non est exhaustus ille senex, sed plenus genii, & vigoris. Eum meis verbis saluta reverenter. 3 Mart. 1635.

279.

EIDEM.

Nobilissime Hugeni,

Dum tu ad leges Salicas regem salire scribis ingeniosissimè, ego pergo ad leges metricas & epicas salire. Tamque inverecunda est mea saltatio, ut insiliam in te, qui prior insiliisti in me. Quam cuperem ad hoc nostrum tripudium pertrahi senem Honerdum. Etenim, ut habet proverbium, salva res est, cum saltat senex. Mitto Orationis meæ exemplar. Titulus speciosus est & grande aliquid promittere videtur. Crede hoc ab arte esse, ut pelliciamus emptorem & lectorem. Tu phaleras istas non curas. Nec scripsi tibi hæc, iisque, qui Epidauriis serpentibus acutius vident: Satis fuerit, tetrica Aristotelis dogmata amœniore phrasi expoliisse. Vale. 4 Mart. 1635.

280.

ARNOLDO BUCHELIO.

Reverende, doctissimeque vir,

Antè dies non ita multos Orationem habui de Animæ humanæ Admirandis. Cum enim mihi explicandi essent libri Aristotelis de Anima, visum fuit auditores præfatiuncula quadam excitare, reique ipsis commendare dignitatem. Tu

Digitized by Google

Tu verò cum inter illos sis, quos ob elegantiora studia amavi & colui jamdudum, benigne excipe hominis tibi addictissimi conatus, & illi perge lingua animoque favere. Illud credas velim, me non solum Orationem tibi mittere de anima, sed una animum meum, tui observantissimum. Sed quantis, mi Bucheli, bellis implicabimur? quantas minas spirat iste Infans Hispanus. Cuperent Batavi esse infantem opere ubi est nomine. A Gallo nihil est, quod sperem. Moras nectit & tergiversatur. Expectavimus aureos montes. Iam, ut audio, vix sebaceam candelam mittet. Nempe bello Germanico impeditus, non habet quod donet Federatis. Nobis nostro succo vivendum & belligerandum erit. Imò Gallorum tum veteres tum recentes copiæ nostris stipendiis militabunt. Quare in Achivos denuò cudetur faba. Ego acquiesco & ferre porrò patienter discam, quicquid corrigere est nefas. Vale Vir clarissime. 10 Mart. 1635.

281.

CORNELIO VANDER MYLE.

Nobilissime Myli,

Quem coram vides, Ioachimus Vicofortius est, vir eleganter doctus, & humanitatis omnis ipsissima Idea. Ejus in me officia tot tantaque sunt, ut per illum hîc suavissima mihi sit vita. Tradet tibi Orationis meæ aliquot exemplaria, quæ quibus debeantur ex inscriptione cognosces. Famuli tui operam imploro, qui eas de-

Digitized by Google

deferat. Quod filioli mei obitum doleas, humanum est, quod solatia addas, Christianum. Amicorum est, mutuis & gaudiis & doloribus affici. Quid in ipsius obitum scripserim, legisti. Quæ ad meos versus reposuit Zulechemi Dominus, hæc sunt:

In tumulum filioli C. Barlæi.

Discæ quid hic jaceat, quanti spes quanta parentis,
Quanti quam felix cura magisterii.
Quo præeunte puer, nondum puer, incipit infans,
Infans exanimis verba disserta loqui.

Meum epitaphium, quo ad Iacobi nomen alludo, tale erat:

Hic situs est fratris non supplantator Iacob.
Planta cui nullam languida pressit humum.
Quod puer haud potuit, jam vult me ducere; tactum
Hoc etiam superis succubuisse latus.

Detulit ad nos rumor, N. Tuam & D. Catzium Curatores Academiæ Lugduno-Batavæ constitutos. Si verum est, habebunt quod sibi gratulentur Professores. Nominis enim tui, & singularis erga Professores humanitatis fama Academiam istam adeò implevit; ut Tibi ista dignitas perpetua videri possit. Velim scire quid hujus rei sit. Legatus Suecorum Iohannes Skyte hic est, Gustavi Regis disciplinæ olim præfectus fuit, his officiis emersit, uti Adrianus Pontifex Caroli V, & olim Ausonius Gratiani Imperatoris gratitudine. Vale Vir maxime, & uxorem Dominam vander Myle, liberosque salutа. Filia, Domi-

Digitized by Google

Domina de Looſe, an denuò prolem expectat? Nolo iterum vates eſſe, ne me fallat mea vaticinatio. Raptim Amſtelod. 11 Mart. 1635.

282.

IOACHIMO VICOFORTIO.

CVm manus tuæ lineamenta ex literarum inſcriptione agnoviſſem, dixi mecum: Hic vir hic eſt. Ita adſolent miſeri amantes ſe imagine abſentis amaſiæ oblectare, & captare umbras, cum res nequeant. Sed quid audio? vir doctiſſimus D. Demorius id ſibi negotii dari patietur, ut Orationem meam de Animæ admirandis reddat Gallicè? Ergo cognoſcent propediem mecum Galli, quanta inſideat animæ ſui ignorantia. quæ ſi in Batavo craſſior eſt, in Germano inflatior, in Hiſpano ſævior, in illis tota flamma eſt. Cognoſcent & hoc: quid Galliam toties colliſerit, quid ſceptris inſidietur, domi, foris. quid illud ſit, quod in ipſis loquitur diſertiſſime, pugnet calidiſſime, ſalutet officioſiſſime. Nam & hæc ab anima ſunt. Verum, hoc velim in verſione obſervare virum prudentiſſimum, ne ſe verbis meis adſtringat, ſed paraphraſten agat, ubi neceſſe erit. Nec enim lepores Romanos de verbo ad verbum expreſſiſſe conveniet. hoc agendum, ut pro Latinis floſculis reponantur Gallici. E. g. eleganter à Martiali dictum in hominem delicatum:

Aprum amat & mullos & ſumen & oſtrea.

quod quin propria phraſi & proverbio exprimere queant Galli, non eſt dubium. Rerum novarum

Digitized by Google

varum quod scribam non habeo. Soleo enim ex tuo fonte bibere, & tuis uberibus lactari. Nunc quia alibi moraris, silent meæ cannæ, uti immotis follibus templorum organa. Vale, & Zulechemi Domino, Brasserto, ac Demorio me totum trade. 18 Mart. 1635.

283.

NICOLAO BAUGY.

DVm Gallorum & Federatorum Legati ultro citroque commeant nobilissime vir, facile literis meis impetrabo salvum conductum. Nec tamen bellorum tibi consilia aperiam, aut Martis, sed studiorum & pacatissimi Apollinis. Ex quo enim cœpisti meas esse aliquid putare nugas, permisi, ut per ampliſſimos viros D. Brasertum & Vicofortium subinde ad te transvolarent schediasmata mea, aut potiùs ociosæ mentis modo feriæ, modo ludicræ commentationes. Est hæc humanæ dementiæ non leviſſima species, ut quæ scripsimus nobis, aliorum quoque juris esse velimus: non satis est ea autoribus probari, aliorum insuper applausus emendicamus miseri. Inflat gallinas hordeum, cicadas ros, chamœleontem aura. literarum studiosis pro hordeo & rore est gloriolæ studium. Hæc aura sublevantur altius, & hoc pabulo pinguescere sibi videntur. In plures hæc scribo, nec excipio meipsum. Nuper de Animæ humanæ admirandis peroravi, non ut tantæ mihi rei scientiam arrogarem, sed ut publicè ignorantiam profiterer meam. Celebris

est

Digitized by Google

est Sorbonensium fama. Verum aut ego vehementer fallor, aut puto totam Sorbonam eadem illa ignorare, circa Animam, ad quæ stupui hactenus. mitto N. T. exemplar, cui comes it cultor virtutum tuarum animus. Defixisti in me nuperis sermonibus humanitatis tuæ memorem aculeum. & ad huc incalesco à benevolentiæ radiis, quibus me abiturus fovisti, & irradiasti coram. Gratulor N. T. novæ dignitatis titulos, quos in te contulit Galliarum Majestas. Illam tibi felicem & diuturnam esse velit divina clementia. Hactenus similis fuisti Hamaxobiis, quique in plaustris vagi habitant. Hi sedes mutant pro aëris clementia vel inclementia. Tu Regia voluntate è Gallia Viennam, hinc Bruxellas, hinc Hagam translatus denuo Galliam tenes. Ita movemur omnes & jactamur variè, donec aut hic in terris quies brevior, aut in cœlis perpetua concedatur. Tranquillius jam vivis, & domi, & inter tuos & coram Rege, in urbe maxima, ad Sequanæ ripam, quæ omnia & singula felicitatem tuam commendant. Accedat his amicorum peregre habitantium in te propensissimus favor, inter hos novissimus Barlæus, qui tanto te colit impensius, quanto in amicitiam tuam receptus fuit serius. Vale. 24 Mart. 1635.

284.

IACOBO CATSIO.

Amplissime Catsi,

Effluxit hyems, quam mihi terminum

Digitized by Google

ſuſcepti operis præfixiſti. Quare memor officii, mitto Hymnum Salomonis epico carmine à me redditum. Maluiſſem ipſe finxiſſe novum Poëma, quam ſacrum iſtud reddere. Nec enim aut latius vagari ad ſingula auſus fui, nec rigidius intra verborum cancellos ſtare. Si feciſſem illud, derogaſſem non parum majeſtati ſenſus allegorici, & receſſiſſem longius à phraſibus ſacri textus. Si hoc, minus fuiſſet grata carminis lectio. Quare moderationem aliquam adhibui. Hoc conatus fui, ut ſingulorum penè verſuum ſenſum myſticum una indicarem, quò pari paſſu iret litera & ſpiritus, allegorica & ſpiritualis ſignificatio, typus & res typo ſignata. Myſticum ſenſum interdum paucis, interdum pluribus verbis expreſſi, prout ſe res dabant, quod facile erit obſervare minus oſcitanti lectori. Totus Hymnus plus quam ænigma eſt, cum ne ipſe quidem literalis ſenſus proprius ubique eſſe poſſit. Quas dedi explicationes conjecturæ ſunt piæ & probabiles. Nec enim in hymni hujus interpretatione omnes eadem dicunt Theologi. Felicior interpres eſt, quisquis ingenioſius conjicit. Tu vir ſumme mecum judica, tunc Poëtas minus Poëtas eſſe, cum à diis & deabus & profanorum vatum elegantiis abſtinere coguntur, aut ea exprimere, quæ religionis Chriſtianæ propria ſunt. Aliter Eginardus loquitur: aliter Salomon. aliter Emma, aliter Eccleſia. Vbi ſacrorum myſtas decet veſtitus gravis, absque redimiculis, ita ſacra ipſa decet oratio ſimplex, non

Digitized by Google

non compta & calamistris ornata. Non eget fuco divina veritas, nec cincinnis voces sacrosanctæ. Si quid mutari velis, asteriſco nota, non semel petii operum omnium ἀνάγνωσιν. [*lectionem.*] Vale Vir summe. Prid. Cal. April. 1635.

285.

GODEFRIDO DE HAESTRECHT.

NE me putes vetus Latium odisse, revertar ad Latinum sermonem. quo, ni fallor, me loquentem audire mavis, quam si Belgicismos tibi meos obtrudam. Fui per dies aliquot Trajecti ad Rhenum, ubi cum te non reperirem, pœnituit suscepti itineris. Occurrit mihi Domini de Renesse filius, qui se jam tertia prole gloriabatur patrem. Gratulatus illi fui jus trium liberorum. Si inter Romanos vixisset, patuisset illi locus in theatro. Scribis triumphatum fuisse Antverpiæ super adventu Cardinalis Infantis. non invideo. Sed metuo, ne iste triumphus caro aliquando stet Antverpianis. Amant Principes mulgere urbes opulentiores, & tensa nummis ubera. Annon satius fuisset dissimulare magnificentiam, ut cum de pecuniarum exactionibus instituuntur querelæ, fidem illæ mereantur majorem. Est iste Antverpianorum mos. Irritant Principum suorum cupiditatem, & postea negant petentibus, aut inviti dant. apud nos omnia ad bellum spectant: magno apparatu futuris castris providetur. In Gallo (loquor humanitus) omne præsidium. Is bello Hispanum peti-

Digitized by Google

turus dicitur. Sed multis noſtratium minus veriſimile videtur. Nos promiſſis erigimur & ſpe ſumus magni. Legati noſtri in Poloniam abeunt, ut inducias Suecum inter & Polonum trahant, & in annos plures continuent. De ſucceſſu nihil auſim temerè ſtatuere. quæ ſub deliberationem cadunt, ardua ſunt. Polonus Pruſſiâ volet diſcedere Suecos. Sed hi illecti portoriis luculentis, difficulter avelli poterunt ab opimo cadavere. Dum litigant Principes, ego, mi Haeſtrechti, ſum ſecurus. nec enim aut regnis aliorum inhio, nec ut mihi eripiantur, metuo. Philoſophiæ ſtudium felicitatis noſtræ pars eſt, opes veritas; honor, honorum contemptus; voluptas, voluptatum uſus modicus & honeſtus: amici præſentes, libelli: abſentes Tu cum paucis aliis. Hæc dum mihi ſuperſunt & integra ſunt, Perſarum vigeo rege beatior. Vbi exercitus ſuos eduxerint Principes, ſcribendum erit ſæpius, nec deerit argumentum. 9 April. 1635.

286.

CONSTANTINO HUGENIO.

ÆGerrimè, cum hic eſſes, à te diſceſſi. Sed evocatus per literas amicorum Ultrajectum ob cauſam matrimonialem, non auſus fui amantibus hoc officium negare. Non patitur amor moram. niſi ratione regatur, furit. Si retardes, inſtat acrius, donec fruatur. Iſtic cum eſſem, incidi fortè in bibliothecam hoſpitis mei, ibidemque repperi proſodiam hanc, quam nuper

Digitized by Google

per à me poſcebas. Non vidi accuratiorem & pleniorem. Autoris nomen eſt Pantaleo, ſed non is, qui cum fratre Leone Sophiſmatis à compoſitione & diviſione exemplum fuit. Vtuntur illo ſæpe dialectici. Quæ de lumine & coloribus ſcripſit Anonymus iſte, placent valde, neque ubique diſſentio. Probat aquam eſſe cauſam nigredinis, à qua opinione diſſentio, licet probabiliter ea de re diſputet, cur enim, ſi aqua eſt cauſa nigredinis, umbræ & umbroſa omnia nigricant? nec enim umbræ madent. Lucretii verba ſunt,

Nigras diſcutit umbras.

Cur in cœlo, propè Polum Antarcticum, apparent nubeculæ nigræ? cum tamen humoris omnis expers ſit cœlum. Cur Æthiopum vultus magis nigreſcunt? cum exſiccentur magis, idque circa extimam cutim, in quam calor agens indeſinenter humidum abſumit. Cur, quæ maximè humida ſunt, ut lac, vinum, minus nigra ſunt; quam illa, quæ minus humida ſunt, magisque nigra, ut carbo, pannus, terra? Cur corporum pariter ſiccorum, & pariter humidorum, ſenſu indice, alia nigricant, alia albicant, ut creta, & ſtannum rude. Cur charta candida exiſtens in cineres converſa nigricat, cum exuſta minus ſit humida ob adultionem? accidit idem linteis exuſtis. Cur albicant vultus Septentrionalium, nigricant Meridionalium? cum illi humidiore, hi ſicciore vivant climate! Cur uvæ intenſiore calore nigreſcunt, cum calor exſiccet? Hos ſcrupulos qui exemerit mihi, facile in oppoſi-

Digitized by Google

tam me ſententiam pertrahet. Ariſtotelis ſententia eſt, nigredinem eſſe à dominio terræ & ab opacitate. reliquorum colorum cauſam eſſe elementorum pellucentium victoriam. Verum de his coram. Vale. 10 April. 1635.

287.

IOACHIMO VICOFORTIO.

HEri cum Legatis Illuſtriſſimorum Ordinum in Poloniam abituris pranſus fui. Quid animi mihi putas eſſe, qui dignus jam habeor tantorum epulis accumbere Divûm. Fuit mihi de poëſi & ἀμοιβαίοις [*alternis*] verſibus multus cum clariſſimo Honerdo ſermo. Nihil minus eſt, quam moroſe doctus, aut intempeſtivè ſeverus. Petiit, ut Epigrammate proſequerer Legatos. Feci hodie ſummo mane. mittam proxima hebdomade. Iam non eſt ocium. Exercitus noſter ex hybernis undique excitur. Arnhemi prima ſtatio eſt. at Princeps ex podagricis doloribus decumbit. Cuperet lectica vehi in caſtra, ſed non patitur morbus. Hic ubi deſævierit, nulla erit in duce mora. Vrget quippe militem præſentia Turni. De Gallorum ſuppetiis quid dicam. pergo ἐπέχειν. [*judicium ſuſpendere.*] Spectant undique veluti è ſpecula Principes, quid dignum tanto apparatu ſimus daturi nos, quid Gallus, quid Infans. Interea dum nihil agunt illi, ſed moliuntur & ſuo quoque more comuntur,

Amemus, Ioachime, nos, amemus,

Rumo-

Digitized by Google

Rumoresque minasque Martiales
Omnes unius æstimemus assis.
Vale cum uxore & fratribus. 20 April. 1635.

288.

ROCHO HONERDO, *Legato.*

Illustrissime Honerde,
Vides etiam nunc, quanta sit Musarum fiducia. Prosequor vos Epigrammate, quos operosiore Poëmate debuissem. Nec fortè displicebit consilium. non amas longos λόγους, [*sermones*,] præsertim Poëtarum, quorum voces pro cupediis esse debent & bellariis. qualia parcitas commendat & paucitas. Alloquutus sum vos universim & viritim. Ita ferebat genius, quem ducem sequimur. Vbi in navi composueris res, & jacebis mollius, ista lege. & si vacabit, acutiore stylo confige semianimes fœtus, quos heri non parturii, sed fudi potius inter amicorum interpellationes, & domesticos strepitus. Vale Vir summe & me ama,

Sic te Diva potens Cypri,
Sic fratres Helenæ lucida sidera
Ventorumque regat pater. Nosti cetera.
25 April. 1635.

289.

IACOBO CATSIO.

NOndum gratulatus A. T. fui Curatoris dignitatem. Facio id jam nunc, magisque gratulor Academiæ & studiosæ juventuti, cui

Digitized by Google

Ephorus moderatorque datus, non amore ſolum ſtudiorum, ſed & doctrinæ facundiæque laude clarus. Iam eris Profeſſoribus Leydenſibus, quod Paulinus fuit Auſonio, Mecœnas & Pollio Virgilio. Pallas femina eſt, innupta eſt, ideoque tutore eget. Nec reperiat aptiorem, quam Catſium, Apollinem ſuum. Cogitatis jam de vocando Profeſſore Philoſophiæ, qui Burgersdicio ſuccedat. Scio plures nobiliſſimis Curatoribus commendari, nec ullius laudibus virtutibusque derogo. Eſt inter illos Franciſcus Duban Gallus, cujus rationem haberi, meo quidem indicio, ex re fuerit Academiæ. Ea eſt ætate, qua ſe à contemptu vindicare poteſt. Ea morum modeſtia & facilitate, ut collegam ὁμιλητικὸν [*affabilem*] habituri ſint Profeſſores reliqui. Ea verò eruditione, ut cum Philoſophia eloquentiæ & humaniorum artium ſtudia junxerit. Philoſophiæ partes varias variis in Galliæ locis profeſſus fuit. Et potuiſſet iſtic emergere, viamque ſibi ad meliorem fortunam ſternere, niſi diſplicuiſſet & ordo, quem elegerat, & quæ olim erranti placuit, religio. De fide & vitæ ratione propius judicent Theologi Leydenſes, inter quos vivit. Omnino arbitror illum Academiæ veſtræ honori & decori fore. Quare, ſi quod eſt erectæ eruditionis apud vos precium, eſt autem maximum, audito hunc loquentem publicè, & qua valeat dicendo & docendo gratia experiamini. Eligi in Profeſſorem non cupit, priusquam ſe vobis, Profeſſoribus, & ſtudioſis probaverit.

Digitized by Google

baverit. Vale Vir ampliſſime, & in Patriæ ac Academiæ decus commodumque diu vive. 2 Maji, 1635.

290.

IOACHIMO VICOFORTIO.

IAm ſcire deſidero, amiciſſime virorum, num incolumis in Stormariam appuleris, una cum Creuſa, affine tuo & cognata Marietta. Singulis pene diebus Solem reſpexi & Æolum. Illum non ſemel increpui, quod te iter faciente caput nubibus aliquoties, abdiderit, neque lumen ſuum cum virtutum tuarum lumine confuderit. Nec minus ſuccenſui Æolo, quod ſpiraret acrius, & uxoris tuæ flammeolum diſcuſſerit importunius. Etiam illud me male habuit, quod infeſtam ſubinde ſenſeris pluviam. Sed iſta pluvia bene cedat Iunoni tuæ, quæ ni fallor, te pluvium Iovem magis amat, quam pluviam? Sed cave hæc illi interpreteris. Eleuſinia ſacra ſunt, quæ revelare nefas. Sæpe me optavi vobis itineris ſocium, non ut magis eſſes ſeverus, ſed ne rideres parcius. Vbi intellexero vos ſoſpites Hamburgum veniſſe, Taurum Neptuno, Æolo aſellos marinos mactabimus. Quod de tauro dico, voto & deſtinatione me facturum promitto, non re. Precioſa nimis forent taurorum ſacrificia. Princeps noſter à podagra penè convaluit. quod ad me perſcripſit nobiliſſimus Mylius, indignatur ægros ſibi eſſe pedes, cui bellaturiunt manus. Heri Haga diſceſſere ſtabularii omnes &

Digitized by Google

equi. *Bella ô, bella, horrida bella,*
Et multo video spumantes sanguine campos.

nisi tanta incœpta remoretur aliquis casusve Deusve. Fert rumor Gallorum copias in agro Leodiensi stare. Non credunt βαρυκέφαλοι. [*quibus grave caput est.*] Nec tamen arbitror frustra fore Regum Principumque super communi bello deliberationes. Affinis tuus Wesenbecius, ante pauculos dies, fratres tuos & me convivio excepit. Miror, si dextra tibi non tinniit auris. adeò crebra tui hic facta mentio. Non dubito, quin & nostri memores sitis vos. Si istis officiis saginari possent gallinæ meæ, quas alit hortulus meus, levarer hordei impensis. Vide de quam magnis rebus tecum loquar, postquam à serio argumento destituor. Vale candidissime & tuos saluta. 6 Maji, 1635.

291.

CORNELIO VANDER MYLE.

TRansmisit ad me, nobilissime Myli, Dominus Zulechemi Diploma illustrissimi Principis, quo ducentorum florenorum annuorum mihi gratiam facit. Meum erit captare occasiones, quibus affectum vicissim meum erga illustrissimum Auriacum, & domum Nassovicam tester. Aristoteles noster in Ethicis docet, inter inæquales, puta Principem & privatum amicitiam coli posse, si Princeps se privato probet beneficentia; privatus Principi reverentia, obsequio, cultu, fide. Sic ad æqualitatem revocari mu-

Digitized by Google

mutua disparium officia. Tibi gratias egi & ago etiamnum, quod toties mei apud Principem dignatus fueris meminisse. Quem doleo jam cum podagricis doloribus luctari. Debebant sani incolumesque esse pedes, cui bellaturiunt manus. Sed mala ista licet molestissima sint ægris, præsagium habent longioris vitæ. Nec enim humor in corpore peccans, in partes magis ignobiles trudi potest, quam in pedes, feriantibus interim & immunibus à malo partibus principibus, cerebro, corde, hepate. Remitto chartas Venetorum. Poëmata Gaddii erecta sunt, & minus vulgaria. Sed magis placebant Epigrammata nuper missa. Sylvas Gaddii magni facio, sive Carmina ista Pindarico more scripta, mixtis carminum generibus. Pighetti de Cardinali Richelio Elogium non est magni laboris. Amant Heroës & viri magni operosius laudari. Vxor mea ex acerrimo gravissimoque morbo jam per octiduum decubuit, non sine vitæ periculo. Quater illi secta vena, clysteres injecti quinque, præter purgationes supernas. Suffocationes uterinæ in causa sunt, aliaque mala. Dolores capitis summi nullis medicamentis cedunt. Iubent tamen Medici me bono animo esse. Deus Opt. Max. illam sibi mihique restituat. Debilis est admodum, fractis partim vi morbi, partim crebriore medicina viribus. Vale nobilissime Myli, & me amare perge. Dominam vander Myle, uxorem Tibi dilectissimam, filiam generumque saluta. Raptim. 13 Maji, 1635.

292. THEO-

Digitized by Google

292.

THEODORO SCHREVELIO.

VIx animus mihi est scribendi, dilectissime Schreveli, cum illum totum penè expectoraverit conceptus ex graviſſimo uxoris meæ morbo dolor. Dubia adhuc est valetudine, ſpemque ſimul meam & metum exercet morbi pertinacia, quæ modo remiſſionis aliquid ægræ concedere videtur : modo vires capit & illam ſimul ac me dejicit. Heri mutationem inſignem obſervavimus, licet non optimam. Qui enim humor capiti hactenus incubuit, graviſſimorumque dolorum cauſa fuit, dextrum nunc crus occupavit, quod immobile jacet & ſtupet. Conſtat adhuc mens & ratio. Ad rogata reſpondet appoſitè, ſed non loquitur, niſi rogata. Ego dum domeſticam ſcenam intueor, deploro ſortem feminini ſexus, cui tot calamitatum cauſa conjugium est. Scilicet hoc precio uxores ſunt & matres, ut ſpectaculum ſe præbeant non unius miſeriæ. Nec tamen incuſo providentiam divinam, in cujus abdita dum ſe recipit animus, ceſſat queri, & cœleſtis ſapientiæ conſiliis tacitus acquieſcit. Literas tuas ſolatii & Chriſtianæ commiſerationis plenas accepi, & ad animum revocavi. Iam philoſophia opus, non theoretica illa, ſed practica, quæ adverſus domeſtica nos mala, morbos, dolores, mortem roboret firmetque. Erigo me quà poſſum argumentis à fatalis horæ neceſſitate, divinæ voluntatis

Digitized by Google

tatis ſanctitate, & melioris vitæ ſorte, quam ſperamus Chriſtiani, depromptis. Cum ægram aſpicio, dejicior non parum: cum circumſtantes liberos, erigo me, & patientiam mihi impero ac fortitudinem. Tu ſumme Deus propitius ſis ægræ, ſive eam ſupereſſe diutius velis, ſive meliori in ſede locare. Vale amiciſſime & integerrime, & dolenti condole. Vxorem liberosque aliosque amicos ſaluta. Raptim. 23 Maji, 1635.

293.

CORNELIO VANDER MYLE.

LEgi cum voluptate diſſertatiunculam eruditam & amœnam Gabrielis Naudæi, de Medicorum mendaciis officioſis. Omninò ſum in illa ſententia, licita eſſe, non minus quam licitum fuit obſtetricibus Ægyptiis ſimili mendacio fallere Pharaonem, Exod. 1. Diſputant tamen ſuper ea re Theologi & Philoſophi. Illorum non pauci omne mendacium damnant, & mortale eſſe volunt, juxta illud, *Lingua quæ mentitur, occidit animam.* Horum nonnulli urgent, voces inſtitutas eſſe ad ſignificandas ſuas res, mentientes vocibus ad alienam ſignificationem abuti. Sed & hi & illi ſuperſtitioſe rigidi ſunt, cum actionum ſecundæ Tabulæ regula ſit Charitas proximi, cujus in iſtiusmodi officioſis mendaciis ſalus commodumque quæritur. Iocoſa & pernicioſa meritò damnantur. Ad illud, quod leges pag. 9. non potui non ſubridere. Citat verſiculum hunc:

— *Quod*

Digitized by Google

— *Quod Medicorum est,*
Promittunt Medici, tractant fabrilia fabri,

quem Divi Hieronymi esse ait in Epistolis, cum sit Horatii Flacci Epist. lib. 2. Epistola 1. qui certè Poëta nihil minus fuit, quam Divus & Hieronymus, quod mecum credis. Exemplaria duo Orationis meæ de Animæ Humanæ admirandis mitto, ut ad illustrissimum Molinum transmittas. Gallorum primis successibus gratulor. Multum est in limine belli rem benè gerere, uti pessimum in limine impingere, quod nuper Cardinali Infanti accidit, frustra tentato munimento Philippino. Vxoris meæ morbus magno meo, & liberorum dolore, nihilo adhuc est mitior. Quin potius, nisi Deus avertat, magna mala afflictissimæ matri minatur. Ex summis capitis doloribus qui miseram excruciarunt, & subsecuto abortu, nata est mentis & rationis quædam diminutio. Nec enim loquitur, nisi rogata. Rogata non respondet, nisi Verbulo. Adhæc brachium & crus dextrum stupent, & sine motu jacent. Nec tamen paralysis est, cum partes doleant. Deus Opt. Max. matronam optimam, & œconomam sagacissimam pristinæ incolumitati, meo familiæque meæ commodo restituat. Vale Vir nobilissime, & uxorem liberosque à me saluta. Amstelod. 26 Maji, 1635.

Digitized by Google

294.

DOMINICO DE FEENSTRA.

NEc de morbo, nec de morte parentis tui quicquam inaudiveram. Primus tu rem triſtem nuncias, quæ licet te matremque propius tangat, me tamen non leviter affecit, qui amico privatus jacturam feci ingentis boni. Amicitiam mecum coluit candidè & prudenter, ut non neceſſe ſit te de literis, ſcriptisque ad me miſſis ſollicitum eſſe. Solatia ſi à me petis? cogita ea lege omnes nos naſci, ut moriamur? Et bene cum illis actum eſſe, qui vixerunt bene. Talium mors inſtar victimæ eſt gratæ in naribus Domini. Ivit ad ea loca, ad quæ viam monſtravit auditoribus ſuis & ſibi. Ivit fide in Chriſtum, ivit pietate & ſinceræ religionis ſtudiis. Repetiit ſervum ſuum Dominus, quem vineæ præfecerat; & repetiit eo tempore, quo invenit operantem & docentem. Tuum erit forti & Chriſtiano animo hanc domeſticam calamitatem ferre, quæ per vices omnium eſt. Si veſtigiis optimi doctiſſimique parentis inſtiteris, ſi eundem bonæ conſcientiæ callem preſſeris, eris matri ſolatio & ſubſidio. Et videbitur in te renatus pater, qui divino conſilio denatus eſt. Quod doctoratus in jure gradum expetis, rem facis tua indole dignam, animoque ad majora contendenti. Illum tibi tuisque ſalutarem eſſe velit ſummus artium ingeniique largitor. Carmen quod petis, mittam tempeſtivè. Vale juvenis

Digitized by Google

venis doctissime, & si me amas, Deum, pietatem, doctrinam ama. 2 Iun. 1635.

295.

CORNELIO VANDER MYLE.

MAximus justissimusque dolor habet familiam meam, me ac liberos. caret illa rectrice sua, ego charissima conjuge, liberi propensissima matre. Iam convalescebat, per ædes bacillo innixa ambulabat, ut de morbo triumphatum videretur. Cum ecce elapso proximè die Martis, qui hujus mensis fuit 19, novo paroxysmo circa meridiem corripi cœpit. Medicorum alii apoplexiam validam esse judicabant, quibus ego assentior: alii catarrhum suffocantem illapsum in pulmones & cor. Videbamus ægram, sensu, motu, rationis adhæc usu privatam, aderat stertor anxietasque pectoris summa, quæ omnia intra horas duas, frustrà adhibitis clysteribus & cucurbitulis, illam exstinxerunt, sine ullo doloris, qui appareret, sensu. Steterunt mecum attoniti Medici, nec causam tam subitæ & funestæ mutationis conjicere potuerunt. Non conquerar impatientius. Quia à Domino factum est istud, qui vitæ in nos mortisque habet arbitrium. Iam philosophia è schola & pulpitis in domos transferenda. Iam quæ aliis suggessi solatia, mihi quoad possum ingero. Verum cum nihil humani à me alienum putem, per intervalla afficior valde, ut de me quoque verum sit dicere, *Sic fatur lachrymans.* Erigo me liberorum causa, quorum

Digitized by Google

rum interest, me non dejici animo. Heri qui 22 fuit Iunii eam extuli. Nolui hæc N. T. ignorare, quam non minus rebus meis adversis, quam secundis affici scio. Inter hos dolores hæc paucula semianimi exciderunt:

Scribere chara tuos cupiebam Barbara manes,
Cum mediis cœpi versibus ipse mori.
Ne pergam, clamat soboles. Sisperesse parentem
Sit satius, quam te, me moriente, cani.

Vale Vir summe, & Dominam vander Myle liberosque saluta. 23 Iun. 1635.

296.

EDUARDO HERBERTS.

Illustrissime Domine,

Tradidit mihi librum tuum de Veritate doctissimus Doresiaus. Exosculatus sum munus istud literarium non uno nomine. Precium illi conciliat autor, titulus, & ille, per quem voluisti ad me deferri opus gravissimum, exactissimumque. Gaudeo in Britannia Philosophari Barones, & ad studia nostra se demittere grandes illustresque animas. Gaudeo philosophiam non illis solum cordi esse, qui longa stola ambulant, hoc est, umbraticis doctoribus, sed & viris in lucem positis, quosque dignior fortuna secrevit populo. Nec minus recreor augusto Veritatis vocabulo, ad quam assurgat ipse è curuli sella Cato. Demersam illam in profundo puteo dicebat Plato: inveniri non posse Pyrrho, probabilem solum esse Academicus: inve-

Digitized by Google

niri posse, certamque esse & immobilem Dogmaticus. Tu, vir summe, dogmaticorum sententiæ affinis, non inveniri solum eam posse doces, sed & oculis lectorum nudam objicis. Legi pleraque. nec aliena te dicere & sentire ab Aristotele & Peripateticis statuo, licet alia forma orationis, & mutatis vocabulis, quorum majestate & elegantia gratior es lectori, & admirabilis magis. Vbi dissentis, facilè te dissentientem fero, cum & hoc inter Veritates communes sit, non idem omnes sentire. Philosopharis liberè, nec in aliorum verba juras, ut non solum in territorio tuo, sed & Philosophorum regno Barónatum exerceas. Qui uti libertatis civilis est studiosissimus, ita pari libertate de vero judicat, nulli vel beneficio vel metu obnoxius. Quibus stipendiaria est veritas, anxiè loquuntur; & licet sentiant secus, linguam calamumque falso mancipant. Ideò utilia sibi loqui malunt, quam vera. Tu in libertatis regno natus ea scribis, quæ nec fœdam servitutem, nec licentiam effrenem sapiunt. Simul & candide philosopharis & prudenter: acutè & religiosè: doctè & piè. Pro libro animum hunc doctrinæ tuæ admiratorem devoveo. Tu Doreslaum, quem ob eruditionem, facundiam, probitatem & candorem dilexi semper, amare perge. Ita me, ita illum, virtutesque quas recensui, tibi devincies. Vale Baro illustrissime, & nobilitatis splendorem sapientiæ radiis porrò illustra. Amstelod. 24 Iun. 1635.

297. ADRIA-

Digitized by Google

297.

ADRIANO PLOOS.

Literæ tuæ afflicto familiæ meæ ſtatu, & gemitus mihi expreſſere, & ſolatia attulere maxima. Nec enim his locus, niſi cum dolemus. tunc autem dolemus, quoties ſublati ex oculis boni memoriam refricat officioſa amicorum pietas. Amiſi conjugem & matremfamilias laudatiſſimam, totliberorum parentem, quos dum adſpecto, conjugii ſuaviſſimos fructus & matris in ſingulis imaginem contemplor. Non incuſo Deum, quia ſuo jure ſuum repetiit. Non naturam, quia mortalem eam genuit. Accidit mihi, quod quibusvis accidere poteſt. Si divina oracula conſulam, cingor nube rationum, quibus animum ad patientiam componam. Si humana, ſufficit vel unus Seneca moderando dolori. Si ad Poëtas deflectam, eſt apud Statium Poëma in obitum Priſcillæ, quod fractum mœrore pectus validiſſimè mihi munit. Illud diſco, non magni eſſe laboris de mortis contemptu, & patientia philoſophari, at illam ſibi imperare, maximi. Aliud eſt Stoicismum acutè dictis interpolare, aliud vita exemploque profiteri. Quàm cordate ubique de rerum adverſarum tolerantia diſſerit Cicero. at quam impatienter fert ſuorum obitum. Quanquam me philoſophum voces, poſſum tamen, quæ mea eſt imbecillitas, valde affici. Quanquam Theologum, ſentio nihilominus Theologiæ reſpondere conjugalem flammulam,

Digitized by Google

lam. quanquam Poëtam, agnoſco lubens, jam cum vena languere priſtinam animi vim. Diſertus ſatis ſum in leniendis amicorum malis, at in meis penè obmuteſco. Illud tamen à Theologiæ ſtudio impetravi, ne voluntati divinæ velim obluctari: à Philoſophia, ne mihi immodicum dolorem exprobret ratio: à Poëſi, ut malorum ſenſum jucundiſſimis ſtudiis pergam lenire. Accedunt his monita tua & amicorum, quibus tanquam fulcris erigor, ne collabaſcam. Tibi, vir ſumme, gratias ago maximas, quod ſubductum te publicis curis mihi ſolando impenderis. Expertus diſco me à te amari ſeriò, qui in utraque fortuna vel gratularis læto, vel condoles afflicto. Vale. Ipſis Cal. Iul. 1635.

298.

PETRO CUNÆO.

CVm hinc diſcederes, cognatorum chariſſime, à mortualibus uxoris meæ p. m. petebam, uti liberos tuos ad nos mitteres, non ſolum ut amicitiæ inter nos dudum cultæ hæredes ſint ex te & me nati, verum etiam, ut recentem adhuc triſtitiam tum meam tum liberorum, præſentia ſua, alloquiisque discutiant. Erit illis hîc benè. At, quod maximè velim, ipſe cum uxore veni, cum voles, & apud me, quandiu voles, morare. Feriæ inſtant, ut totus tibi tuisque vacare poſſim. Audio vires apud vos indies capere luem epidemicam, ut omnino conſultum ſit, te aliò transferri, & aëre frui ſalubriore.

Vrbs

Digitized by Google

Vrbs hæc noſtra, licet populoſiſſima, ab iſto malo immunis etiamnum eſſe creditur. Excipiam te ſobrie & frugaliter. Si voles, ex præſcripto tuo edes & bibes. Nec deerunt amici, quibus tempus fallamus. Ego hac urbis veſtræ facie cavebo diligenter, ne vos inviſam. Magis jam de valetudine mea ſollicitus ſum, quàm ante, idque liberorum cauſa, quorum ſolatium omne in uno me repoſitum videtur. De rebus publicis nihil ſcribam. Lentius procedunt res noſtræ in Brabantia, nec promovemus multum. Votis juvamus conatus Principis, quando aliter non poſſumus. Vale. 7 Quintil. 1635.

299.

THEODORO SCHREVELIO.

QVæ mihi ſufficis ſolatia, Schreveli doctiſſime, iſtiusmodi ſunt, ut levando quidem dolori faciant, at non penitus tollendo. Altius namque animo hæret priſtini amoris, & conjugalis flammulæ memoria, quàm ut eam exuere poſſim, etiamſi velim maximè. Amiſi thori ſociam, proſperæ & adverſæ fortunæ conſortem, quæ difficillimis temporibus nequaquam animo dejecta, me familiamque virtutibus, ſupra ſexum ſuum erectis, ſuffulciit. Non ignarus es harum rerum. prudentiam ejus domeſticam, liberorum curam, in me affectum perſpexiſti. Doluiſti non ſemel nobiſcum. Rurſum gratulatus es non ſemel meliori fortunæ redditos. Et quod amicorum eſt, credidiſti tibi benè eſſe,

Digitized by Google

cum esset nobis, nec non malis nostris, tanquam communibus, ingemuisti. Sentio, sentio quam longe absim à Stoa, quam non sim ἀναίσθητος. [*sensus expers.*] Quocunque oculos verto,

Ante oculos morientis imago est,
Et mecum totos ambulat illa dies.

Hæc humana sunt, & fragilitatis nostræ certissima documenta. Nec minus sapientiæ præceptis castigo querulum amorem, & illud cogito; Depositum nos Dei esse; peculium suum repetere Creatorem, cum libet; mortis necessitatem vitæ nostræ condicionem esse & terminum: illam tot mundi hujus malis calamitatibusque subductam, Deo & Christo Servatore propius frui: aliter necti copulam conjugalem, aliter solvi. Illud duorum esse, hoc singulorum. Et quæ alia vel sanctior scripturarum doctrina, vel naturali lumine subnixa ratio suggerit. Ab omnibus illud non ægrè impetro, ut flacceſcentem subinde animum erigam, dolorem flagellem, ac divinæ providentiæ fatoque acquiescam. Vale Vir clarissime & amicissime, & amare perge amicum veterem, & sine fuco tui studiosissimum. Vxorem liberosque omnes saluta. 15 Iul. 1635.

300.

CONSTANTINO HUGENIO
de conjugis obitu.

EX quo in Eburones, Tungros, Grudios movit illustrissime Princeps, me domestica calamitas exercuit, præstantissime Hugeni. Iam victo-

Digitized by Google

victoriarum spe erigebar, jam argumenta Panegyricæ laudationis animo præconcipiebam, cum Deo Opt. Max. visum fuit, charissimi me pignoris acerbissima jactura mactare : Turtur sum sine compare, sine vite ulmus, sine socia ambulator. Cum Auroram adspecto, doleo miser Tithonus non exurgere Thaumantiam meam. Cum diem oculis usurpo, queror cum Apolline Leucothoen meam, terris eheu defossam, non ultra vivere. Cum adversperascit, frustra quæro Venerem meam Adonis. At cum nox mundo incubat, Morpheus sum, & veteris maritæ vanis amplexibus hæreo. Ita omne mihi tempus per mœstas cogitationes, suspiria, & querelas abit. Testes sunt querimoniarum libri, lachrymarum prandia & cœnæ, singultuum cubile. Excussus à manu calamus, quo Principem, quo te virtutesque tuas cecini, aret plane nec sepiam imbibit :

Iam querimur crassus calamo quod pendeat humor,
Nigra quod infusa languescat sepia lymphâ.

Chartæ, ut lineas Poëticas fugiant, in rugas se & plicas contrahunt. Languet ingenii vigor, & velut amissa Polla olim Lucanus, caret incentrice sua tuus vates. Ruunt sine lege numeri ob ereptam Terpsichorem. Periit accentuum discrimen, quia omnes mecum βαρύτονοι [*gravitoni*] sunt. Nullus sibi pes constat, quia vacillat meus. Horrent syllabæ, quia omnes luctus nostri conscïæ stupent & mutæ sunt. In Heroico carmine destituor ab amœniore dactylorum saltu.

Digitized by Google

In jambis plus quam postremâ syllabâ claudico. In elegia hac ipsa sum flebilior. In lyricis nimis sum remissus. In dithyrambicis non uno loco sto, nec epanodon, aut stropham, vel antistropham scio. Quis Apollo veteres dabit in carmine vires? Quæ Pallas dicet extinctam Palladа? quæ Thalia sufficiet dicendis ejus laudibus, quæ pia fuit sine fuco, casta præter seculi morem, modesta sine affectatione, facunda sine garrulitate, faceta cum oportuit, prudens ad invidiam sui sexus, rei familiaris administra in exemplum, mariti amans sine petulantia, liberorum citra indulgentiam. Si Orpheus essem, revocarem hanc Eurydicen; si Admetus essem, facerem ego, quod fecit Alcestis,

Spectares subeuntem fata maritæ Barlæum.

Si Antoninus essem, non minus Barbaræ meæ, quam ille Faustinæ, divinos honores decernerem. Nuper à gravioribus studiis animum remissurus, deflectebam in amœniores Pegasidum recessus, modo in Anacreonticos lusus, modo in Veneres Catullianas, Tibulli vel Propertii delicias; aut quoties placerent recentiora, in Secundi Hagiensis basia, aut Otiorum tuorum libros. Iam postquam læta omnia displicere cœperunt, malo hærere in Tristibus Nasonis, Statii epicediis, vel lachrymis I. Scaligeri. Quin adeò delector fatali apparatu, & flebili scena, ut cuperem mecum flere amicos omnes, & ad animum revocare, quæ me solum tangunt. Cuperem videre Belgas atratos omnes, squallidos, luctu & mœrore

Digitized by Google

mœrore fractos, ut rerum undique miserandarum adspectu fruerer liberalius. Cuperem perpetua nocte tegi Solem, nec illum diem unquam candidum mortalibus oriri, quo mea lux, mea vita, mea voluptas occidit. Cuperem illam horam præsidi cœlo, & fastis æternum expungi, quæ postrema fuit dilectæ meæ, & suprema meis gaudiis. Vtinam memorem mihi vitæ anteactæ mentem extingueret Lethe aliqua, ne meminisse queam, ô mea Barbara, tot blandiloquiorum, soliloquiorum, solatiorum, quibus erexisti fatiscentem non semel maritum. Tu à studiis sesso imperasti remissionem. Tu toties scribentem in lectulo tulisti patienter, & thalami officia donasti Apollini. Tu meditabundo optimarum sæpè cogitationum argumenta suppeditasti. Tu à Scholarum spinosis quæstionibus morosiorem recreasti sereniore vultu. Et inter hæc ibas inter liberos mater sedula, quæ ad animi & corporis cultum faciebant, curabas gnaviter, ne domui suus nitor, proli sua elegantia, mensæ frugales epulæ deessent. Fuerint grandes Corneliæ, Semproniæ, Porciæ, Clæliæ, Liviæ. Etiam hic Dî Deæque habitant. Mihi non minor illis heroinis fuit mea Barbara. Mihi inquam, nec enim matres Gracchorum magni facio, aut eas, quæ curtum torquent enthymena, aut historias sciunt omnes. Illa Porcia mihi est, quæ maritum audit. illa Cornelia, quæ soboli vacat. illa Sempronia, quæ tenui deducit stamina fuso. illa Clælia, quæ carceribus fidei conjugalis constringi amat. Illa

Digitized by Google

Livia, quæ sine dolo & fraude blanditur. illa Faustina, quæ rem familiarem auget, nec sordida est. Talem dederunt fata, talem abstulere. At quot virtutes ejus cogito, tot damnis, tot doloribus premor, quos si confundere velim, prope est, ut ab omnibus obruar: si distinguere, pluribus modis miser sum. Quot excellebas honestæ matronæ muniis, tot mereris vatum encomia, quæ solverem ipse grandi Poëmate, nisi hinc maritalis modestia obstreperet, hinc silentium imperaret crudus recensque dolor. Nec desunt tamen, mi Hugeni, solatia. quibus levem hæc mortalitatis dispendia. Adsunt ad manum Epictetus, Seneca, Tullius, adsunt Boëtius, Petrarcha, è quibus disco: nihil immortale ex mortalibus nasci; crudelitatem fati, si ita Christianos loqui sit fas, æqualem esse omnibus: stolidum esse, nil profuturo gemitu pectus deducere: accusari posse fata, non flecti, non mutari: non debere Philosophum, qui consolator est aliorum, mœrori indulgere: sapientis esse, iis carere posse, quæ amavit maximè: contumacissimum etiam luctum tempore atteri. & quæ sunt alia, quibus ægræ mentes ad sanitatem revocantur. Adest ad manum Codex sacer, qui, præter illas Ethnicorum graves sententias, providentiæ divinæ motus occultos edisserit explicatius: fidei vitæque honestioris præmia promittit morientibus, & resurrectionis spem indubium facit piè defunctis. Docet ille Dei, Angelorum, & tot sanctissimarum animarum conspectu

Digitized by Google

ſpectu frui mortuam : non illic mortalitati, non egeſtati, non querelis, non lachrymis locum fore. Fulgere pios ut ſidera ; lætari ſine intermiſſione, opulentos eſſe ſine deſiderio, honoratos ſine ambitione, voluptatibus ſempiternis frui ſine faſtidio. His curis, his me meditationibus immergo indies. His munimentis circumeo animum, ne qui invenit introitum dolor, figat domicilium. Quæ dum hic aguntur, tu in hoſtico ſtas, & Fortunæ militaris, æſtus ſuos Euripi inſtar reciprocantis, ſpectator es. Vides non eſſe verum, quod minus providè dixit Silius :

— *fati modum in ſceptris eſſe.*

Efficacior humanis conſiliis eſt divina voluntas. Et tamen indignor Remi turbæ, quæ Principum virtutes ex ſola æſtimat felicitate. Bellorum eventus non aliter, quam Mathematicorum concluſiones putat ἐξ ἀνάγκης συμβαίνειν. [*ex neceſſitate evenire.*] Ego gaudeo illuſtriſſimum Principem incolumem ad ſuos rediiſſe, quo ſoſpite vel recuperabimus, quod omiſſum eſt, vel feremus æquius. Vale præſtantiſſime Hugeni, & ex hac epiſtola duo collige : Primò me inter ſuſpiria domeſtica & privatos gemitus tui non dememineſſe. Deinde me Poëtam eſſe poſſe ſine numeris & metro. Amſtel. 4 Auguſt. 1635.

301.

CORNELIO VANDER MYLE.

NOn ita pridem meorum te malorum participem feci nobiliſſime Myli, & condoluiſti

Digitized by Google

luisti. Nunc, quæ humanarum sunt calamitatum vices, me de tuis certiorem facis; ut æquum quoque sit, me tibi condolere. Non coacervabo solatiorum acervos adversus vitæ hujus aspera, cum è gravioribus malis emerseris, generosa animi constantia, & recti conscientiâ. Contrahitur, fateor, in arctum nepotum tuorum spes. Sed illud cogita, supersesse adhuc utriusque sexus vegetum germen, & hinc filium cum Raaphorstia, inde filiam cum Loosio, de posteritate seriò cogitare. Me quod attinet, minus semper ob filiarum obitum dolui, quam filiorum. Credo enim spe miseriarum vivere muliebrem sexum, quem conjugis incommoda, partus, lactationes, aliaque mala indesinenter exercent. Vxoris è curru lapsus meritò te terruit, aliorum miserandis exemplis. Facile enim ista rerum perturbatione, cum currus habenas non audit, matronarum vestes fluidæ curruum transtris inhærent, non sine discrimine. Scimus quid Hippolyto acciderit olim, & aliquot retrò annis filiæ Consulis Delphensis vander Wel, quæ simili casu tragice periit. Sed gaudeo uxorem convaluisse per Dei gratiam. Interea his tuis meisque privatis malis supervenere publica. Quæ tanto sunt graviora, quanto ad plures pertinent. Non debebant istiusmodi Arces, è quibus patriæ salus pendet, tam negligenter curari. Securitati præsto est exitium. Doleo optimi Principis institutum quorundam socordia eludi. Vacillat Ducis fama aliorum culpa, & dum malè res gerunt

Digitized by Google

runt custodes suppedanei, malè audit summus. Illustrissimo Molino pro misso exemplari gratias age. Non fuit ingratum videre, aliquod esse nostri præcium apud Transalpinos. D. Vossio collegæ meo tradidi schedulam istam. Respondet, exemplaria Saxonis Grammatici difficulter haberi posse. Vale. 14 Augusti, 1635.

302.

VOPISCO PLEMPIO.

QVo tempore vos belli rabies exercuit, doctissime Plempi, me domesticus dolor habuit, ob obitum dilectissimæ conjugis, quæ levi apoplexiâ correptâ, mox superveniente forti, fatis cessit. Hoc casu attonitus à me impetrare non potui, ut, quæ debebam amicis, styli officia solverem singulis. quamobrem ignosce tardius respondenti. Sensi in me verum esse, parvas curas loqui, ingentes stupere. Quæ de Lovaniensium scribis fortitudine, equidem invideo, & miror magis. Armis ducum vestrorum bellicæque laudi nihil derogo. Sed, mea sententia, fame nostrorum vos evasisse potius, quam vestra virtute arbitror. Quicquid sit, evasistis hac æstate. de futura spondere non ausim vobis majorem securitatem. Nec tamen credas velim me bellaturire. Non sum pullus Martius, utpote in umbra & scholis educatus. Cuperem, ego Martem in Thraciam suam relegatum, aut alligatum Caucaso. Collidimur Belgæ & mutuis odiis atterimur. Principum causa, agitur, sed damno Achi-

Digitized by Google

Achivorum. Aleam Martis vide. terruimus modo vos. jam intercepta arce Schenkiana, terribiles estis nobis. Dirimit exercitus noster Vahalis, quos modo dirimebat Dilia vester & Dimera. Sed vatem audi. quæ res nostros Brabantiam relinquere coëgit, propediem vos Clivia abiget. *Odit cupidus jejunia venter.* Thienensem lanienam tantum abest ut probem, ut ingemiscam ad ejus memoriam. quod in illustrissimum Principem causam derives, vereor ne à partium sit studio. Quibus belli res propius perspectæ sunt, Præfecto urbis Thienensis miseræ urbis fatum imputant, ut qui præter belli morem, oppidum vel adversus primam incursionem impotens, dedere post tot sollicitationes noluerit. nec potuit jam hærente in portis & muris milite, sistere furorem suorum Princeps; tam ab omni crudelitate alienus, quam illi affinis olim fuit Tagi dominus. Clarissimi Fromondi Vestam legi, & quanquam in illius sententiam magis inclinem, videor tamen mihi observasse rationes nonnullas, quæ verborum magis apparatu venustæ sunt, quam robustæ. Nimiis animis pro ista causa certant hinc Fromondus, inde Lansbergius. Posset terra moveri non mota Philosophantium bile. posset cœlum quiescere commissis placide dissentientium calamis. Me quod attinet, sive hanc sive illam opinionem amplectar, cicum non interdum. Et nisi autoritas Ecclesiæ vestræ obstaret, idem sentiretis cum Galilæo. Pro Vesta nihil habeo, quod repo-

Digitized by Google

reponam vobis dignum. Quæ tamen nuper super Animæ natura disserui mitto. aliter videbis Philosophum loqui, aliter, qui declamat. Inscripsi exemplar unum tibi, alterum Puteano, tertium Fromondo. Vale. 2 Sept. 1635.

303.

HENNINGIO ARNISÆO.

POstquam amicitiæ mihi dexteram porrexisti clarissime Arnisæe, non dimittam te, sed tenebo arctius. Facit candor tuus ut te amem, doctrina ut venerer, & τὸ ὑγιὲς [*sanitatis*] studium, ut te colam suspiciamque. Non est verum de nobis illud Hesiodi, κὴ κεραμεὺς κεραμεῖ &c. [*& figulus figulo &c.*] Maria, terræ, montes, sylvæ dirimunt nos, ne alius in aliorum commoda involemus. quamobrem minus metuendum, ne livor Medicorum ἴδιον πάθος [*peculiaris passio*] amicitiæ nostræ obstrepet. Dabit illi perpetuitatem virtus tua, & diffusa late eruditio, & perspecta maximo regi fides, cujus dum pro salute vigilas, publicum in uno asseris. Sunt, qui felicitatem Daniæ æstimant ex securitate, quia mari cingitur. Sunt qui ob Freti celebris oportunitatem eam laudant: alii bellicosæ gentis fortitudinem, & priscam & recentem exaggerant. At, me judice, Dania felix audit Gunthero & Arnisæo. quorum ille regni curam, hic regnantis habet; ille legationes obit fideliter, hic curationes; ille Mercurio tutus, qui Deorum jussa per auras fert, hic Apolline Medicorum deo. uterque

Digitized by Google

uterque verò literarum ac eruditionis laude Cimbrorum imperio decus firmitatemque addunt. Facitis ambo, ne barbaries posthac exprobretur genti vestræ, quam melle Attico & Latiis leporibus edulcatis, ut miteſcat prorsus, & cœli ſolique aſperitatem exuat: lenior eſt Septentrio per vos, & culturam indies admittit. ut jam quoque Orpheos canere, & Amphionas urbes condere verum ſit. Animos vobis addit regius favor & fulgor, quos in nobis dejiciunt mercantium ſtrepitus & degeneres curæ. Nec minus inter has ipſas libet interdum de rebus magnis gravibusque in Schola noſtra loqui, & philoſophantium ſtudia Muſæo lepore perfundere. Nuper de Anima dixi, cujus vim indolemque tam me ignorare fateor, quam ſe ſcire venditat Peripatus. non dixi ea moroſitate, qua in ſcholis Ariſtotelem interpretamur, ſed admiſcui dulcia, ut auditorum animos aliquo verborum lenocinio captos, pertraherem in rei graviſſimæ attentam conſiderationem. Mitto A. T. exemplar, alterum magnifico D. Gunthero tradi cupiam. tertium illuſtriſſime Cancellario. *fortè non moleſtum fuerit viro ſummo, ab occupationibus publicis legere, quid ſit, cujus beneficio Rex imperat feliciter, vos conſulitis fideliter. Vale. 23 Sept. 1635.

304. COR-

Digitized by Google

304.

CORNELIO VANDER MYLE.

ILlustrissimi Molini periodos παθητικὰς [*affectuosas*] quabus ob uxoris obitum mihi condolet, ex literis tuis excerpsi, & selegi mihi. Inter suspiria quotidiana volupe est videre, tanto viro me meaque esse cordi, & purpuratos solatia transmittere homini atrato jam & squallido. Vbi rescribes, istud pietatis officium, à viro maximo profectum, tua facundia exaggera & prædica. Dignas gratias referre non possum, quas tamen facile N. T. exequitur linguæ Toscanæ elegantiis, & phrasibus, quas ignoravi hactenus. Ad clarissimi Bonifacii versus alluси. Dicit se cœlibem ignorare, quid sit amor. Nolo contradicere. Debent ex officio & ordinis regula hoc ignorare Canonici, saltem non scire practicè. Præfert Bonifacius amorem sacrum connubiali, ego amo utrumque. Nihil vetat, cum Deo consecraveris animam, legitimæ conjugi devovere animæ capsulam. Ita sentimus nos, salvo interim Transalpinorum judicio. Vale. 30 Sept. 1635.

305.

PETRO CUNÆO.

C*Ognatorum charissime*,

Post tuum in Zelandium abitum, nihil de reditu tuo intellexi. ut nesciverim hactenus, ubi locorum vivas. Iam ante biduum ab

Digitized by Google

amico accepi, te cum familia omnia in prædium cognati tui Sixti seceſſiſſe. quare officii mei eſſe putavi, ut per literas de tua tuorumque percunctarer valetudine. Expectavimus ut liberorum aliquos ad nos mitteres, aut venires ipſe, ſed excidimus hac ſpe. Nunc non minus ſuſpecta tibi erit urbs noſtra, quam tua Leida. Per mediam urbem ſparſa eſt lues, & ſine diſcrimine pauperum divitumque domos pulſat. Pauciores adhuc afflavit familias, ſed quas afflat, delet penitus. At quam me miſeret veſtræ urbis, in quam graſſatur inclementius, ut civibus παναλεθείαν [internecionem] minari videatur. prudenter facis, quod affecto te aëri ſubducas, licet audiam Theologos alioſque paucos Spartam ſuam tueri. Rogandus Deus ut talem velit terris avertere peſtem. quæ non vitæ ſolum ſed & morientium bonis gravis eſt. reſpiciet ille aliquando pro ſua clementia urbem afflictiſſimam, & flagellum iræ ſuæ cum miſericordiæ ſceptro commutabit. Studioſorum veſtrorum magna pars Vltrajectum abiit, alii Groningam, alii Franequeram, aliqui huc conceſſere. Sed hi aliò jam abitum parant, poſtquam & nos tangere cœpit iſte dolor. mortalitatis & fragilitatis noſtræ ſcenam inter hæc mortualia videmus. elata hic ſunt ſuperiore hebdomade cadavera 205; ſed quid hoc ad numerum veſtrum, qui jam 1400 exceſſit. Ego, ut tibi tuiſque bene ſit, ex animo opto & voveo. Non debebat iſto tibicine privari Schola Lug-

Digitized by Google

Lugdunensis, nec ista face Themis Batava. præstat abire te ad tempus, unde redire possis, quàm unde negant redire quenquam: προφυλακτικὰ [*præservantia*] probe nosti. nec opus est, ut te horter ut ab aëre vespertino, stomacho jejuno, cibisque putredini obnoxiis abstineas. Nos cum familia omni recte adhuc per Dei gratiam valemus. nec minus valet collega meus cum suis. 30 Sept. 1635.

306.

PETRO C. HOOFT.

QVas superiore anno misisti perdices, Hoofdi clarissime, æquissimis animis accepi, nec invitis dentibus intrivi. erat enim munus illud tuum tempestivum valde & oportunum. At mihi viduo jam perdices mitti, alienum est ab omni ratione. Salacissimam mihi mittis avem, Veneris symbolum, & hieroglyphicon, cujus adspectu memoriam mihi refricas earum voluptatum, quibus ἄγαμος [*cælebs*] careo. quod quid aliud est, quam salivam movere homini famelico, qui quod edat, non habet. Potius misisses tristem & feralem bubonem, homini tristi & afflicto: avem noctivagam & solitariam homini solitario & sibi viventi. misisses potius philomelam, aut prognen, aves querulas, viro querulo & misero. misisses infaustam strygem, infausto mihi. Cygni, columbæ, perdices, passeres, tuæ aves sunt, utpote conjugibus dicatæ, quorum oscula,

Digitized by Google

murmura, amplexus, gaudia ad istarum avium exemplum componi solent. Ululæ contra, vespertiliones, noctuæ, meæ aves sunt, utpote ululatibus, stridoribus, gemitibus assuetæ. quod ut credas verum esse, mitto exemplar epistolæ, quam ad Zulechemi Dominum dedi, quæ luculenta est testis sortis meæ, & vitæ perdicum similiumque deliciarum non indigæ. Atque hinc causam collige, cur à meridie domo abesse soleam, ubi supellex quondam uxoris voluptas, ubi viduus thorus, ubi proles orba matre mœroris materiam indies submini strant. Cum se Sol medio axe subduxit, & ad occasum vergit, occupant me viri amicissimi Vicofortius & Schuylius, qui, ne doleam minus, lepores mihi apponunt, carnem succi melancholici, cum sciant me talem esse, & similibus gaudere naturam. si vel hoc die me invisas, non ero domi. Nam apud Vicofortium sum, virum à virtute ad omnem honestatem, à Pallade ad elegantiorem doctrinam, à comitate ad jocos salesque innoxios factum. Hic jam convivamur, sed sine te, non leporum, sed leporum patre. Si perdix es, fruere nostris gaudiis eminus, ac sine contactu. Hoc enim modo volunt perdices concipere. Sed quid de gaudiis loquor, qui tristia omnia & cogito interdiu, & somnio noctu. Erit forte dies, mi Hoofdi, cum nubilum mentis meæ discutiet lætior Iuno.

Tunc tua Barlæe festiva fronte Camœnæ
Fata canent, fatis prosperiora meis.

Tunc

Digitized by Google

Tunc tibi perdices & fercula lauta reponam,
Et tanti præsens hospitis hospes ero;
Accipe promissi, versus quos mittimus, arrham,
Hoc precio nobis tot redimentur aves.

Vale. 20 Oct. 1635.

307.

EIDEM.

Magnifice Hoofdi,

Oratores aliud nacti argumentum, alia recitatione detinent populum. Comicus, pro fabulæ ratione actus suos format & scenas. Satrapæ, prout peccavit reus, magis minusve terribilia loquuntur. Ego, quamvis nec Orator sim, nec comicus, nec Satrapa, tamen hos ipsos imitabor, & nactus leporem post aves, non de avibus, sed lepore loquar. Non citabo Gelliam Martialis, quæ ex leporum esu vultus formosiores reddi dicebat. Non reponam Terentii jocum, *Tute lepus es & pulpamentum quæris?* verum hoc nomine gloriar, illud mihi missum animal, cui Cleopatram Ægyptiorum reginam comparat Horatius, illa oda, quam in Actiacam victoriam scripsit. Dicit Imperatorem pressisse fugientem Reginam,

Accipiter velut molles columbos, aut leporem citus
Venator in campis nivalis Hæmoniæ.

Nec illud parum ad muneris tui commendationem facit, quod ejus capturam in felicitatis rusticæ partem ponat idem Poëta,

Pavidumque leporem & advenam laqueo gruem,

Digitized by Google

Iucunda captat præmia.

Quid, quod grande mihi ſapientiæ argumentum objicias, cum didicerim, non in ſcholis, ſed divitum menſis, optimos eſſe armos leporinos, juxta eundem Flaccum,

Fœcundi leporis ſapiens ſectabitur armos.

Quod ſi cum lepore miſiſſes galeam, ego galeatum leporem miſiſſem illis maris ducibus, qui fœdo nuper exemplo fugientibus magis, quam perſequentibus fuerunt ſimiles. Attamen gaudeo me non eſſe Hebræum, cui leporem edere nefas, licet enim ruminet, ungulam tamen bifidam non habet. Quod ſi viveret Heliogabalus, pilos leporis tui, uti & plumas perdicum illi pro dono mitterem, ſolitus quippe erat & hos & illos habere in deliciis, & ſub alis geſtare. Sed libet cauſas ſcrutari, cur leporem miſeris. an quia ut illi auditus eſt ſagaciſſimus, vis Philoſophos attentius audire ſapientum voces? an quia ut ille inſomnes ducit noctes, putas me quoque lucubratorem. An, quia ut effeminatiſſimus eſt lepus, credis me lepuſculo tuo molliorem? An, quia ut ille ſolitudine gaudet, mihi quoque ſolitariam vitam ſine compare exprobras. Quin & illud ſcire cupiam, cujus mihi generis leporem miſeris. Varro tria numerat, unum Italicum, primis pedibus humilem, poſterioribus altum, ſuperiore parte pullum, ventre albo, cruribus longis: ſecundum Gallicum, idque plurimum candidum, quales in Noricis ſunt Alpibus: tertium Hiſpani-

Digitized by Google

ſpanicum, ſimile cuniculis. Dum de his deliberas, exercebo dentes in lepore tuo, cujuscunque tandem generis ſit. magnam ſane rem miſiſti, quæ ventri materiam alimenti, mihi Philoſophandi, amicis ridendi præbuit. Nec tamen iis annumerari volo, de quibus Horatius in Satyris ſcribit:

Sunt quorum ingenium nova tantum cruſtula promit.

Vale. 7 Nov. 1635.

308.

PETRO CUNÆO.

SCriberem ſæpius, cognatorum chariſſime, ſi tam eſſem meus, quam fui tunc, cum eſſem ex parte alterius. puta conjugis. quoties amœnioribus ſtudiis me applico, aut ſcribendis literis, intercurſant cogitationes priſtinæ ſodalitatis, quam conjugium appellant. Faciunt illæ, ut dum nimis memor ſum vitæ præteritæ, minus memor ſim amicorum. Quamobrem veniam mihi dabis, ſi tardius literis tuis reſpondeam. Quam ſæpe te longius abeſſe à Libitinæ domo, ubi Charontis cymbulam uſque adeò implent Leydenſes mei, ut ſub pondere illa gemat, & multam accipiat rimoſa paludem. At volupe eſt audire, remiſiſſe ſe nonnihil mali vim, & placatius eſſe Numen, peccatis noſtris offenſum. Illic, ubi es, aëre frueris ſalubriore. quare noli feſtinare & intempeſtivius repetere fatalem locum, ubi de feretris & ſepulchris li-

Digitized by Google

tem movent ſuperſtites. Perlatum ad nos, vos literis Curatorum excitos ad profeſſionem. at non debebant tam rigidi eſſe exactores publicorum officiorum, viri ſapientiſſimi, in tanta doctorum penuria, quorum ſane carior eſt annona, quam fullonum & veſpillonum. Præſtat, meo judicio, Palladis ſacra differri ad tempus, quam certiſſimo diſcrimini objici ejus myſtas. Conſultius eſt militem in bello ſubinde fugere, quam ſtationem mordicus tueri & perire. qua es prudentia diſcernes facile Senatusconſulta ab occultis naturæ vocibus, quæ amorem noſtri ſuadent. Et quis locus Doctoribus, remotis auditoribus? niſi voces eſſe velint clamantes in deſerto. De pace aut induciis deliberant partium delegati. Vidi literas, quibus ſcribitur Graphiarium Ordinum Generalium ultro citroque commeare, & propediem expectari aliam publici ſtatus faciem. Faxit Deus, ut bellorum ſatias aliquando capiat Magnates. Et capiet, cum incerta bellorum, cum calamitates publicæ, cum ambitionis vana ſpes, cum vicinorum afflictæ res, cum pacis commoda animis ſubibunt imperantium. Scribo hoc, non ut conſulam ſapientioribus, ſed ut ſcias, me non eſſe Achillem aut Diomedem. Potius cum Penelope dixerim: *Non Priamus tanti totaque Troja fuit.* Dixiſſem fere me Palamedem eſſe, ſed nolo eſſe, ne ſimili fato peream. tibi hæc ſcribo, qui mecum togam præfers armis, & laureæ linguam, qua vales ad invidiam. 15 Nov. 1635.

309. THEO-

Digitized by Google

309.

THEODORO SCHREVELIO.

SAlva res eſt, mi Schreveli, vivis & vales. Nec enim mortui aut Dominum laudant, aut verſus ſcribunt. Tu utrumque facis. Si, ut Maro ait, carmina vel cœlo poſſunt deducere Lunam, te teſte, carmina vel terris poſſunt avertere peſtem. Placuit mihi poëma tuum, ſed diſplicuit ferale argumentum. ingemui non ſemel ad chariſſima amicorum nomina. Nomina inquam, quia hæc ſola ſuperſunt. In quoscunque incidi Leidenſes, quæſivi diligenter de te familiæque tuæ ſtatu. Hactenus vobis peperciſſe procul jaculantem Apollinem intellexi. Et ſi quis amici tui precibus locus, parcet porrò. Neſcio, quo in urbem veſtram affectu ferar, cujus ego malis non minus, quam propriis condoleo. Quare & gaudere me ſcias, cum deſævire luis vim ſcribis. Deſævit & hic per Dei gratiam, licet mortuorum numerus veſtro longe fuerit minor. Filia Doctoris Tollii, quæ cum matre & vitrico huc conceſſerat, ſimili fato periit. Eadem dies & ſanam vidit & mortuam. Vigilandum eſt & orandum ſingulis, cum horam neſciamus, qua venturus eſt Dominus. Optaveram te Autumnalibus feriis videre. Sed detinuit te, uti opinor, communis mali metus, & familiæ cura. Verſus tuos pios, graves, nec invita Minerva ſcriptos diſtribui amicis. Omnes tibi gratias agunt, & annos optant Euboicos.

Digitized by Google

cos. Vale cum conjuge & liberis. 24 Novemb. 1635.

310.

CORNELIO VANDER MYLE.

HAbes quæ petiisti exemplaria Orationis de Oculo, præstantissime Myli, nec inamœna illa est, nec inerudita. Oculis opus est, ut intelligatur oculus; cum sæpe in hoc argumento cæcutiant etiam oculatissimi. Inter omnes sensus nullus æque admirabilis ac visus, sive oculi fabricam, sive species visibiles, sive videndi modum, vel per receptionem vel per emissionem radiorum spectes. Sed de his ipsum autorem differentem audi. Nondum gratias N.T. egi, pro missis clarissimi Bonifacii versiculis. Id nunc facio. Nihil habeo quod rependam, præter hos Hendecasyllabos, de Perdicibus, quos ad Satrapam Muydensem nudiustertius misi. Velim scire, an Zulechemi Dominus Hagæ sit, an in Batonis, ut vocant, insula, ubi Schenckii moles patriæ molesta est. Addo exemplar Tragœdiæ Grotianæ, quam Belgicè reddidit I. Vondelius. Die Iovis proximo ex orchestra ab actoribus recitabitur. Oblitus pene eram quærere, ubi vivat Dominus de Thienhoven. Vale Vir maxime, & Barlæum tui tuorumque observantissimum si non in amicorum primis, saltem in postremis habe. Raptim Amstel. 24 Nov. 1635.

311. ADRIA-

Digitized by Google

311.

ADRIANO VANDER MYLE.

EX literis parentis tui intellexi, nobiliſſime Myli, uxorem tuam Agatham filiam tibi peperiſſe. Quamobrem non potui non hunc tibi conjugii fructum gratulari. Fortè feliciorem te crederes, ſi filium peperiſſet. At ego rationibus pluribus evincam, filiam filio, feminas maribus digniores eſſe. Eſt philoſophorum, non vera ſolum & probabilia, ſed & paradoxa tueri. Tria ſunt bonorum genera, honeſtum, utile, jucundum. Singulis præſtat mulier. Honeſtior eſt, quia minus temeraria quam vir, magis temperans, quam vir, minus prodiga, quam vir; magis manſueta, modeſta, minus ferox quam vir. Patientiam deſideras? nulla major, quam feminarum, quæ concipiendæ, gerendæ, pariendæ, educandæ prolis moleſtias naturæ lege ferre coguntur. Nec minor in iis humilitas, ut quæ viro obſequentes ſunt, & ad eorum nutum non invitæ ſe componunt. Non obliviſcar de religione dicere. Hic laudem viris præripit muliebris ardor & zelus. Templa vide, plus illic togarum, quam palliorum, plus vittarum, quam braccarum, plus peplorum, quam pileorum. Qui primi ſacrum Tumulum adiere? virine an feminæ? Mariæ erant, Magdalenæ erant, *tardius Andreæ*, *tardi venere Simones.* Qui vagantes Apoſtolos hoſpitio excepere? Lydia fuit, Timothei mater fuit. Vbi viros ſalutat

Digitized by Google

lutat Paulus, etiam meminit Tryphinæ, Triphoſæ, Olympiæ, Perſidis, Iuliæ, feminarum virginumque. Si objicias, Apoſtolos viris ſcripſiſſe, dicam ego, Ioannem Apoſtolum ſecundam Epiſtolam inſcripſiſſe Electæ dominæ. Si regeras, Deum ſub typo Iacobi & Eſaui arduas res adumbraſſe, reſpondebo etiam Saram & Agaram typos fuiſſe cœleſtium rerum. Vt non videam, quo merito plus ſibi honeſtatis vendicare debeat vir, quam femina. Quod ſi de utilitate controverſiam moveas, inutilis res viſa eſt Creatori vir absque conjuge. Sine illa vita virorum, vita eſt exulum & erronum. Sine muliere languent, jacent, gemunt, ſuſpirant. Sine muliere laceris incedunt caligis, lutoſis calceis, veſtibus immundis. Sine muliere friget culina, friget lectus, imperant ancillæ, male cuſtoditur domus. Mulierem ſi tollas, deſinit vir eſſe caput, eſſe maritus, eſſe pater. Non habet, quod oſculetur, quod amplexetur, cui arrideat, cui ſe totum credat, ſanus, æger, interdiu, noctu, rebus ſecundis vel adverſis. Sine muliere nec Reſpublica, nec Eccleſia, nec exercitus, nec popina, nec textrina, omnibus numeris perfectæ ſunt. Nullibi non neceſſaria eſt mulierarum officioſa ſedulitas. Denique ſi de delectabili bono loquendum ſit, multis paraſangis viros vincunt feminæ. Nos moroſi ſumus, illæ comes: nos ſupercilioſi, illæ gratioſæ; niſi fortè officii ſui oblitus maritus, juſtam offenſæ cauſam præbuerit. Tota vita, expertus loquor, ſine muliere

Digitized by Google

muliere triſtis eſt, infeſtiva, invenuſta, moleſta, breviter, dolor & mors. His adde hæc ſolatia, non perituram tibi in bello filiam, non in mari, non in Arabum ſylvis deſertisque, quò viros propellit avaritia, vel ambitio, vel temeritas. Non litigabit in foro, more cauſſidicorum; non è ſuggeſtu deſpumabit in ſuperiores, more quorumdam Theologorum: non multas illuſtres animas ad Orcum mittet, more Medicorum. Non erit Hippolytus, non Bellerophon, non Paris, non Priamus. Felicem te prædico, cui filiam indulſit Lucina. Faxit Deus, ut cum adoleverit, Saram referat modeſtia, Annam precum indefeſſo ſtudio, Eſteram amore populi & civium, Lydiam comitate & facilitate erga Dei præcones, matrem formoſam, caſtam, modeſtam, pari forma, caſtitate, modeſtia. Tu, mi Myli, judica, quantum mihi debeat ſexus muliebris, cujus patrocinium tantis animis ſuſcepi. Vbi filium tibi peperit uxor, agam virorum cauſam. Philoſophus omnis ambidexter eſt, quoties vel vexare adverſarium, vel amicum exercere vult. Vale & conjugem matremque ſaluta. 4 Dec. 1635.

312.

CORNELIO VANDER MYLE.

Nobiliſſime Myli,

Jam ante octiduum, non de morte, ſed morbo illuſtriſſimi Molini inaudiveram, ex literis Venetia ad mercatorem D. Suiers datis. Quibus

Digitized by Google

Quibus fidem fecere tuæ, triſtiſſimi nuncii teſtes. Amiſit in illo viro Reſpublica Veneta tibicinem, quo nitebatur; oculum, quo ſibi utilia proſpiciebat: cor, cujus ſe fidei committebat: decus lucemque, qua domi forisque fulgebat. Nec minus Reſpublica literaria, Patavina præſertim, in eodem viro Mecœnatem amiſit, quo gaudebat; Apollinem, cujus ſe hortatu monitisque erigebat: Palladem, cujus ſe ægide tuebatur; purpuram, qua ſpendeſcebat; curatorem, à quo fovebatur tenerius. Expecto, ut in lacrymas ſe ſolvant Venetorum eruditæ mentes, Patavini, Tarviſini, aliique, quibus vivus præfuit & profuit. Æquum eſt præcedere Italos, & Heroi domeſtico parentare. Fortè illorum lachrymis victus poteso inter poſtremos plorare. Mitto amœnioris argumenti epiſtolam ad filium, jam patrem. Iſtis luſibus & reficio me, nec illi ero gravis. Vale Vir maxime, & qualis Venetis fuit Molinus, perge talis eſſe Batavis. 16 Decemb. 1635.

313.

CONSTANTINO HUGENIO.

QVi has tibi literas offert, nobiliſſime Hugeni, vis ſcire ecquis ſit? nondum dicam. Vbi natus? ubi morimur omnes. A quibus educatus? ab Apolline, Muſis, & Gratiis. Quo lacte? veritatis, comitatis, elegantiæ. In quo gymnaſio? bonæ mentis. Quo ſeculo? quo orbi imperat ignorantia, ambitio, avaritia. Qua æra?

Digitized by Google

æra? anno à Moriæ natalibus inobſervabili. Vbi habitet? ubi non Nitzliputzli Mexicanorum deus, ſed nummus pro idolo eſt. Ad quod flumen? in quo delicatuli excrementa ſua comedunt in anguillis. Ad quod inſigne? Aratri, ſed cui nullus inſudat taurus. Vis & ſcire, quid agat? favet bonis. Quid non agat? nulli maledicit. Quid ſit? legatus meus à latere. Quid non ſit? pater. Quid amet? virtutem. Quid non amet? aulam. Quid calleat? ſorte ſua eſſe contentus. Quid neſciat? fallere. Quid optet? pluribus prodeſſe. Quid metuat? amicorum offenſam. Quando doleat? cum gaudent improbi. Quando gaudeat? cum non dolent probi. Quot calleat linguas? unam, ſimplicitatis & candoris. Quas oderit? adulatoriam & ſugillatoriam. Quæ illi deliciæ? Romanorum & Græcorum. Quid noviſſimè in illis amet? antiquiſſima. Qualis ſit in foro? minus credulus. In templo? cum ratione. In conviviis? officioſiſſimus. In aula? metuens futuri. In cubili? neſcio. Vis & ſcire, quam mercaturam exerceat? lucrandi bonos. Quid numeret? virtutes tuas. Quid ponderet? beneficium acceptum. Quo ſe pede metiatur? ſuo. Quo ſit vultu? ingenuo. Quo ſupercilio? nullo. Quibus oculis? probis. Quo pectore? aperto. Quali inceſſu? modeſto. Quo habitu & veſtitu? quo ocreati Achivi incedebant. Vis jam ſcire, quis ſit? dicam. Vicofortius eſt, tui meique ſtudioſiſſimus & amantiſſimus. Vale & nos ama. 25 Dec. 1635. 314. IO-

Digitized by Google

314.

IOHANNI BOR.

Doctissime & amicissime vir,

De morte parentis tui jam ante inaudiveram, uti solent amicorum commoda & incommoda ad amicos nullo negotio dimanare. Condolerem tibi magis, nisi scirem gratias te debere Deo, quod non nisi senem & grandævum patrem amiseris. Mihi ante depositam prætextam ereptus parens uterque, tibi jam secundum conjugi & plus quam viro. Vt, si loquendum humanitus, melius tecum, quam mecum egisse fata videantur. Miratus sæpe in parente tuo fui integram vegetamque rationem, ac bonæ mentis robur, & languente corpore erectum spiritum. Amavi in illo candorem, humanitatem, & quo in patriæ incolumitatem ferebatur, affectum. Familiare illi erat in prandio & cœna preces Reipub. nostræ necessitatibus accommodare, & universali precationis sacræ formulæ inserere τὰ ἴδια. [*à singula.*] Libens illa audivi coram non semel, fateorque me non pauca pietatis officia ab ipso didicisse. Iam Deo & Christo propius fruitur, quem coluit, in quem credidit. Mortuus est in Domino, qui vixit in Domino. Curas nostras & Principum motus ex alto despicit, securus unicè, quid nos mortales terreat. Hoc agamus ambo, mi Borri, ut ab optimo & venerando sene exempla capiamus vitæ honestioris sanctiorisque. Sic enim & vivus & mortuus prode-

Digitized by Google

proderit. Tu imprimis animam genitoris tui, quæ jam in benedictione est, pia recordatione venerare, & quo subsequendum erit, mihi tibique vota præmitte. Vale, & uxorem officiose saluta. Liberis meo nomine osculum commoda. 14 Ianuar. 1636.

315.

PETRO CUNÆO.

PErscripsit ad me vidua D. Arminii de obitu filioli tui Iacobi, pueruli elegantis & festivi. Memini, quàm esset γελοῖ πιθανός, [*visum excitare promptus,*] quoties quæstiunculas moveret, non sine genio, etiam de rebus sublimibus, & puerilem captum excedentibus. Mallem mihi gratulandi vobis causas offerri, quam condolendi. Licet non desint causæ, ob quas familiæ tuæ gratuler. Quam fatali hac anni tempestate à luis contagio incolumen servavit divinus favor. Non leve adversus humana mala solatium est, malorum communitas. Nisi omnium esset mors, juvenum pariter & senum, meritò naturæ controversiam moverent morituri. Nescio qua aura afflet Zelandia peregrè advenientes. Etiam me aliquando, cum in istas partes habitatum concessissem, febris corripuit & exercuit per semestre, postquam exsuccum me, exanguemque pene confecisset. Non accumulabo rationes, quibus dolorem tuum leniam, cum ea omnia in promptu habeas, quæ consolando homini facere possunt. Capit patientia tua robur à ca-

Digitized by Google

lamitatum domesticarum consuetudine. Nec potest mortis esse contemptor, nisi qui suorum mortem ferre didicit. Hæc privata sunt. Reip. nostræ fortunam optarem tutiorem esse. Quanquam enim in Germania leviculis præliis victores Sueci animosiores sint, nihil hæc ad rei summam. Instant nobis Cæsareanæ copiæ, & in confinibus undique hærent. Nisi arcem Schenckianam primo Vere aëris aliqua præcox clementia reddat, metuo Trajecto ad Mosam, urbibusque magno ære victis. Dicitur hostis à pecuniis esse instructissimus, ut jam nobis terrori sit, qui proxima æstate Brabantiam magno terrore concussimus. Belli nostri apparatus ad defensionem componi videntur. De inducia-rum successu despero. Non placent Iovi. Et lactat nos vana spe Hispanus, eaque postulare dicitur, quæ sine publica infamia concedi nequeunt. Nec desinit turbare pacis consilia Gallus, cui opus est occupatis vicinis, ut Lotharingiam teneat. Anglus de Palatinatu recuperando consilia init, sed per Legatos, hoc est, inermes. Vale cum uxore & liberis. 16 Ianuar. 1636.

316.

GODEFRIDO DE HAESTRECHT.

FEcit domesticus dolor, nobilissime Haestrechti, quod tibi longo tempore non scripserim. Illius cum te participem esse vellem, tu Hagæ Advocatorum limina pulsabas, & ossas objiciebas

Digitized by Google

jiciebas procuratoribus Lentulis, ut loqui vellent & scribere. Quæsivi te apud Dominam de Poelgeest, solusque mœrens & querulus summo mane Alpheno Coudenkerkam ivi, rediique circa meridiem ad D. Overbeequium. Ut verum dicam, male precabar Curiæ, ut quæ divortium inter nos fecerat. Malè precabar litibus, quæ amicitiæ nostræ pene lethale frigus induxerant; malè precabar Grobbendonckio, qui te clientem fecerat, & ex homine libero aulæ mancipium. Ita mihi periit æstas, Haestrechti, sine conjuge, sine te, sine solatio. Interea cæsus est in Eburonibus Sabaudus, discerpta miserè Thiena, vastata Brabantia, nostri rediere sine gloria, intercepta arx Schenckiana, & versæ rerum vices. Nihil alienum à belli & fortunæ militaris indole evenit. Meretrix illa est, & pantomima, & prorsus comica, vultu, pede, nutu tota versatilis & inconstans. De induciis despero. Obstant Brasilia, Gallus, hostium fiducia, Cæsaris felicitas, aliaque, licet Saxonis res in angusto sint. Bello nec servabimur nos, nec hostis. Arx Schenkiana securitatem nostram flagellat, non tamen penitus tollit. Cardinalis Infans feliciter satis auspicatur imperii habenas. Fuisti Bruxellis & apud amplissimum D. Deckerum frontem explicuisti. Scribis illum mirificè meis versibus delectari: miror etiam illic viris magnis placere Batavorum ineptias. Si φιλοφησίας [*benevolentiæ*] pocula in sanitatem Barlæi tui bibisti, non invideo tibi

Digitized by Google

istud gaudium. Ego viciſſim hic, ne me putes ab omni humanitate exaruiſſe, ad tuum nomen hauſi ſpumantem pateram. Rogas ubi? apud Vicofortium meum, quem ſi propius noſſes, unum hunc omnibus tuis Canonicis, & regularibus & irregularibus præferres. Vbi Vltrajectum reverſus fueris, me inviſe, & viduitati meæ condole. Ni feceris mittam tibi divortii libellum. Multa habeo, quæ in ſinum tuum effundam. Sunt quæ riſu tecum excipere volo, ſunt quæ lachrymis proſequar. Iam exacti ſunt anni aliquot, ex quo non vidi te. Quæ hæc in amore remiſſio eſt? quis torpor? Vale heros cordatiſſime, & amicorum frigidiſſime. Amſtel. 28 Ian. 1636.

317.

PETRO CUNÆO.

Cognatorum chariſſime,

Noli conqueri, quod ſcribam rarius. Vis me, ſcribere, ut ſcribam? non audeo non ſeria tibi ſcribere, qui ubique ſerius es, & rerum æſtimator graviſſimus. Chartas rerum inopes ſcio te averſari. Si momenta Reipub., hoſtium molimina, legatorum arma noſſem certius, ſcriberem crebrò. Iam cum & benè valeamus nos, Dei beneficio, nec ſiniſtri quicquam de familiæ tuæ ſtatu reſciſcam, gratulor tacitus & tibi & mihi, & ſilentio tanta gaudia involvo. D. Vorſtio faſces Academici benè feliciterque cedant. Non debebat illic laſcivire juventus, recenti adhuc

Digitized by Google

adhuc tantæ cladis memoria. Nuper orationem habui de Cœli admirandis, Physicam auspicaturus. Excitandi interdum sunt animi studiosorum, & minus morosо sermone ad Philosophiam pelliciendi. Vidi librum de Mari clausо, magno molimine & apparatu à Seldeno scriptum. Sed non difficile erit tibi, cui has partes demandatas ajunt, clausum Mare aperire, utpote & historiæ veteris, ac juris divini pariter humanique peritissimo. Dignum est te argumentum, quo demereberis Batavos omnes, & quotquot fortunam libero Mari experiri amant. Vale cognatorum charissime, & tuos saluta. 3 Feb. 1636.

318.

ARNOLDO BUCHELIO.

Amplissime vir,

Ignoscе, quod præter morem meum dudum fuerim silentiarius. Fecit privatus familiæ meæ luctus, ut mihi & amicis defuerim. Nunquam me invisit amicissimus Petitius, quin de te & valetudine tua inquiram sollicite. Ex quo enim tibi innotescere cœpi, eo me sensi in te affectu ferri, quo filii solent in parentes. Admiscuit eruditioni tuæ benignus Deus morum suavitatem, quam ista ætate in plerisque desideramus. His pellicior & pertrahor usque in amorem tui, & reverentiam sedatæ ac minimè morosæ senectutis. Diu est, quod de climacterico anno mihi scripsisti. Illi jam accessisse arbi-

Digitized by Google

tror octavum novenarium. Interea ſtudes, & minimè ocioſus es, & immerentem me omni officiorum genere proſequeris. Experior, mi Buchelj, verum eſſe in te, ſtudia ſenectutem alere, & vitæ fatiſcentis tædia diſcuti optimarum rerum lectione. Mihi, quamvis tetrico philoſophorum ludo includar, ſubinde libet in amœniores literarum hortos deflectere, & leporis aliquid aſpergere gravitati Ariſtotelicæ, ut ſapiant auditoribus, quæ docemus. Habui nuper Orationem de Cœli admirandis, cum Phyſicam eſſem prælecturus. In ea, dum res philoſophicas tracto, hoc conor agere, ut Philoſophi voces phraſesque diſſimilem. Si legere vacabit, invenies plurima, quæ in ſummi numinis te admirationem rapient, præterquam, quod & piè & non ſine paræneſi claudam. Vivimus in ea urbe, in qua virtutem poſt nummos plurimi ſectantur. Itaque vapulare interdum neceſſe eſt, ambitionem, avaritiam, intemperantiam, luxum, vitia magnis civitatibus familiaria. Cognato tuo D. Vorſtio faſces Academici obtigerunt. Gratulor illi honorem hunc, qui virtutibus ipſius debetur, quamvis ob ſtudioſorum inordinatos motus non careat ſuo onere iſte honos. Vale, & conjugem meis verbis ſaluta. Amſtel. 12 Feb. 1636.

319. JOA-

Digitized by Google

319.

JOACHIMO VICOFORTIO.

Amplissime Vicoforti,

Dum tu aulæ vacas, ego illam fastidiosè disco spernere. Splendorem istum non fero, noctuis similis, quæ tenebras amant & latibula. Quam suave est vel Hugenio militare versiculos, vel tibi, vel matronis supra sexum eruditis. Hac condicione non permutem Divitias operosiores. Est domi meæ D. Overbcequius, cui dum domum meam aperio, aperio litibus, in quas adversariorum improbitate pertrahitur. Parum abest, quin fiam causidicus, aut forensis rabula, adeò auribus meis obstrepunt crediti & debiti vocabula, ut videar δικαιολόγος, [*juris defensor*,] & mercurialium controversiarum arbiter. Advocati non semel mihi, & meritò, exprobrant rerum istarum imperitiam, quoties obloqui audeo, & interpellare exercitata litibus ora. Fero patienter verbera hæc, & Asini Apulejani exemplo excipio tergore graves ictus. Recitent illi leges Codicis & edicta Imperatorum. Mihi non obtusum adeò est pectus, quin videam æqui & iniqui discrimen. Miseret me illorum, de quorum bonis disceptant isti Rhetores. Non eguit ipsorum opera Diogenes, cui de pera & dolio nemo, quo sciam, litem movit. Nec audies unquam Barlæum ire in partes, aut litigare pro rostris. Placet illud Bilbilici: *Lis nunquam.* Nobilissimo Hugenio

Digitized by Google

trade hos versus ingeniosissimæ Tesselæ. Non carent genio, nisi me aut affectus aut cœca admiratio inumbrant. Addidi epigramma meum. quia ut proverbium habet,

Mulier pudica non it sola.

Vale & citò redi. Ita placabis Dominam, mihi placebis. Amstel. 16 Mart. 1636.

320.

CONSTANTINO HUGENIO.

QVantos tu, mi Hugeni, fluctus in simpulo excitas, quanta fulmina è pelvi das. Quia Epigramma molliusculum effudi in laudatissimam Tesselam, quia ad Belgicos ejus rhytmos verba reposui minus severa, credor tibi amare. Non sum lapis aut stipes, cum illi assideo. Nec quoque sum naphta, qui sine propiore contactu concipiam flammam. Refrixi, amicissime, capit cum ætate & annis incrementa prudentia. Ipse Horatius, Naso, Catullus amatores strenui, tandem necesse habuerunt canere,

Nunc arma, suspensumque bello,
Barbiton hic paries habebit.

Illa, ut scis,

Vatis amatoris Tessela scripta manu,

magna gravitate præsentem vitæ statum tuetur, & pro eo verba facit. Ego ne videar modestam simulationem observasse, laudo institutum, sed constantiam me ut plurimum in istiusmodi votis desiderare affirmavi, cum femina nec Capitoli saxum sit, nec Mathemati-

corum

Digitized by Google

corum cubus, nec ex Parcarum aut Fatorum ordine, quæ immobilia habentur. Sunt plurima, quæ in ista matrona veneror & suspicio. Est aliquid, quod displicet, cujus nota est ✝. *Quod si non animo fixum &c. Huic uni forsan &c.* Deterrent me à secundis nuptiis acerrimæ Hieronymi invectivæ, præter novercalia odia. Et videntur gentiles illas permisisse magis, quam probasse. Sæpe indignor genti nostræ, quod illud à se impetrare nequeat continentiæ robur, quod sibi imperant, quotquot monasticam vitam amplectuntur. An aliud ipsis putas esse jecur, quam nobis? an precum assiduitate putas contundi carnis petulantiam? an vigiliis & jejuniis exarescunt? an fascino utuntur & medicatis herbis? quicquid sit, vivunt patres illi tranquillius, nec necesse habent suas epistolas inserere Heroidum epistolis. Quæ in Pontificis manum deletoriam scripsisti, acutissima sunt. Præripuisti mihi aculeos, ut vix audeam aliquid reponere. Quæris quid sentiam de Sebastiano Bassone, Aristoteles mastyge, vox est præterea nihil. Aristotelem non intelligit, cui oppedit verius, quam contradicit. Legi ante annos XII, & habeo autorem in Bibliotheca mea. Gloriolam quærit ex adversarii celebritate. Si viveret Aristoteles, Hippocrati curandum in Coan insulam mitteret. Petis, ut omissis controversiis theses ipsius ἐλεγχικὰς [*adversarias*] excerpam. At nullas habet, mi Hugeni, & quas habet, aut falsum dicunt, aut non

Digitized by Google

contradicunt Peripato. Ex Andabatarum est gente, qui adversarium sibi fingunt, & velati cœcis ictibus feriunt. Ajax est lorarius, qui dum in sues sævit, putat se Achivos cædere. Cum multa in illo scriptore leges, ignorabis multa, & post fastidiosam lectionem, discedes è convivio non satur, sed famelicus, aut potius ἀνόρεκτος. [*sine appetitu.*] Vale. 25 Mart. 1636.

321.

JACOBO PETITIO.

ACademiæ vestræ natalibus non interfui, Petiti ampliſſime. Non defuere susceptores natæ Palladi, aut testes tantæ rei. Potui abesse à strepitu, & fremitu tumultuantis plebeculæ, quæ Oratores vestros nec intellexit, nec ut intelligerent alii permisit. Tintinnabulis illa & campanarum sonitu magis detinetur, quam declamationibus. Pridie diei, qui solennis fuit Athenæo vestro venit huc D. Cunæus, cognatus meus, potuissem alias ad vestra spectacula pertrahi. Desideraverant multi videre Processum Musarum, Apollinis, Facultatum, qualis exhibitus fuit olim Lugduni in Batavis, quo tempore hujus Academiæ inveſtitura celebraretur. Nimis fuistis graves & expertes ceremoniarum & phalerarum, quibus Remi turba gaudet. Non est aliena à Sapientiæ studiis omnis dementia. Non temere veteres Minervæ ululam consecravere. Ego ordinum vestrorum præclaro instituto gratulor. Benè se habent Respu-

Digitized by Google

Reſpublicæ, quas literarum & humaniorum artium cura tangit. Non aliis æquè præſidiis illæ inſiſtunt, quam illis ipſis literis & artibus. Saluti namque civium Theologia conſulit, valetudini Medicina, bonis opibusque Iuriſprudentia. Etiam majus erit doctorum precium, ubi pluribus opus. Cuperem ſcire, an pellexeris ad te clariſſimum Sylvium. Etiam, an iſtic ſit Haeſtrechtius noſter. Heri me ad ſolemne prandium pertraxit mercatorum flos delibatus, & fori noſtri decora, Vicofortius, Bartelottus, Schuylius, Calandrinus aliique, quibus cum convivari & jocari malo, quam mercari: Cras nobis redeundum ad lectiones. Quare caperanda frons eſt, & ad gravitatem componendus calamus, vultus, & oratio, nec nugandum ultra. Tu vale, & cum pulchra fecerit te prole parentem conjux tua, fac ſciam, quò me teſte, illa Chriſtianiſmo initietur. Vale amiciſſime. 29 Mart. 1636.

322.

JOHANNI BEVEROVICIO.

DAvus ſum, mi Beverovici, non Oedipus. Ex periphraſi tamen, qua hominem illum non indiſertum deſcribis, hariolor illum apud aulicos loqui. Quia nomini parcis, parcam & ego. Sacer eſt; hunc tu Romane caveto. Fertur Galliarum rex Henricus IV dixiſſe, malle ſe ſex Bullonios hoſtes, quam unum Monachum. Veneror iſtius ordinis homines, partim quia

Digitized by Google

quia ejus olim pars fui: partim quia nocere possunt, illo telo, quo se ulciscuntur feminæ, hoc est, lingua. Nolim tamen paucorum vitia toti ordini imputari. Erasmus noster non semel ait, se malos monachos taxare, non monachos, malos Episcopos, non Episcopos. Si uno Scripturæ loco, ut Theologus iste pro concione dixit, decidi potest controversia illa, multiplicasti entia sine necessitate. Nec tu solum, sed quotquot operosius illud argumentum tractarunt, horas perdiderunt optimas. Sed fruatur ille suo textu. Soli loquuntur, qui ex sacro umbone loquuntur. Remoto hoste facile est triumphum canere. Crescunt tuæ disputationes de vitæ Termino novis doctorum judiciis. Lis secunda sui, qua desinit, incipit. Vidi etiam ἀπόδειξιν [*demonstrationem*] meam, magno labore refutasse Pedanium, non indignor, patienter fero modeste contradicentem. Nihil reponam, nec enim vacat certare cum pedibus, ut qui longius absunt à rectæ rationis sede. Aries est cornupeta, in quosvis incursat, obvios, non obvios. Mitto Orationem meam de Cœlo, quo dignus es ob probitatem, eruditionem, & singularem humanitatem. Nec tamen volo te virtutibus mereri augustum illud domicilium. Nolo impingere in sanas Theologorum theses. Sed cum dignum te cœlo pronuncio, gratiæ te hoc & indulgentiæ divinæ debere agnosco. Tu me ama, & si meam de cœlo sententiam expendere vacabit, ignosce ignorantiæ Professori. Vbi una erimus apud

Supe-

Digitized by Google

Superos, propius edocebimur, num terra rotetur, an æther. Si nomini meo bibistis, bibimus & hic tuo. D. Colvius se salutis tuæ stitit vadem, & pro te respondit non invitus. Vbi ad vos redierit, libera virum optimum gravi hoc vadimonio. Amplissimum virum D. Sebastianum Franconem aliosque meis verbis saluta. 26 April. 1636.

323.
GULIELMO STAACKMANS.

Amplissime vir,

Gratissimæ mihi fuerunt literæ tuæ, quibus & patriæ te libertatis, & mei juxta studiosum profiteris. Indignaris, maria claudi, sive jugulum occludi lucripetis Batavis. Si necessaria ad vitæ præsentis usum cuivis populo sufficisset benefica natura, possent Principes sui juris facere, quæ accolunt æquora. Iam, cum alii aliorum egeamus ope, nec omnis ferat omnia tellus, vim inferri puto humano generi ab iis, qui obicem commerciis ponere allaborant. Tu Seldeni grande opus paucis versibus refutas. Sufficit. nec enim consultum arbitror, tantam rem scholarum doctoribus aut causidicis committi. Si ullibi, hic jus in armis est, aut saltem armis defendi expedit. Ne si disceptari ad forensium controversiarum morem causam illam patiamur, causa cadat vel hic vel ille. Epigramma tuum argutum est & masculum. Si in navi, prope sentinam positus, talia scribis, quid expectabi-

Digitized by Google

pectabimus à te, ubi inter bene olentes aulicos ambulabis. Exigis à me Epigramma. Mitto duplex: licet periculosum putem scribere ea, quæ Regibus ac Principibus displicent. Non debebam ego Regem Britanniæ offendere, qui me Torquatum fecit. Sed qua est ille prudentia & animi magnanimitate, non metuit sibi à poëtico strepitu. Malunt reges sibi obloqui corvos poëtas & poëtrias picas, quam Veliferas arces & castra natantia ponto. Pertrahe, si potes, in hanc scenam Zulechemi Dominum, & amplissimum Honerdum. Ego petitioni tuæ nolui non obsequi. Sed cave, Tamesin conscendant, quæ scripsi. Vale. 27 April. 1636.

324.

PETRO C. HOOFT.

PEtis versiculos, qui nuper inter pocula mihi exciderunt. Eos habe. licet gravitatem tuam minus deceat, legere ridicula, quæque in Velabro minus teruncio emas. Amicitiæ tamen nostræ me hæc debere puto, ne quicquam tibi denegem eorum, quæ tu æstimare videris. Multis tibi nominibus obæratus sum. Alloquio tuo & mensa non semel dignatus es. Amicis ad hæc tuis, viris amplissimis humanissimisque Schuylio & Bartelotto me annexuisti, cum Italis ac Sabaudis commisisti, & honoris tui radiis adeò me illustrasti, ut jam alicujus pretii esse videar & inter reliquos, velut umbras, micare. Crede. ambitiosum me facis. Inter Crassos ac Lucullos

Digitized by Google

Lucullos jam ambulo, pari penè gradu & animo. Si opum mihi minus est, plus in est ejus virtutis, qua illas, præ bona mente, vilipendere possum. Hoc debemus literis. Si loculis non prosunt, cupiditatem flagellant & castigant, ut minus petamus, quia paucis ad vitam nos egere scimus. Sed nimis apud te graviter videbor philosophari, & intempestivè commovisse Stoam. Abrumpam sermonem, si te cum uxore liberisque plurimum salvere jussero. Cum uxorem nomino, sæpe felicitatem tuam tacitus mecum rumino; cui post primas nuptias obtigit matrona, nec in amoribus difficilis, nec moribus morosa, affabilis, sine supercilio, sine fastu, tui amantissima, amicorum tuorum studiosissima, breviter, Brabantinæ indolis. Tu quod facis, illam æstimare & amare perge. Ac quoties illi pro more tuo ingeminabis oscula, cogita, omnibus te illa & singulis virtutibus imprimere. Vale vir præstantissime, & luxurianti calamo da veniam, sum enim contrà quam velim, ἄγαμος. [*cœlebs.*] 6 Non. Maji, 1636.

325.

PETRO CUNÆO.

Cognatorum charissime,

Invaluit hic contagio, quæ vobis superiore anno fuit luctuosissima. Eodem vivimus climate, eodem fruimur aëre. non alia hic nobis cœli tempestas, quam vobis. Et tamen viget hic & serpit

Digitized by Google

pit lues ista, quæ apud vos desæviit prorsus & languet. Vnde colligo, evidentem & manifestam morbi istius causam ab humana mente difficulter deprehendi posse. Nec adeò hic sævit, ut terribilis sit iis, qui didicerunt moriendum sibi aliquando esse serius, ocyus. Vrbem inhabitamus amplam, quæ laxis & ædium & morientium spaciis distinguitur. Nondum numerum Libitina excessit quadringentorum. Arcem Schenkianam partibus nostris denuo accessisse mecum gaudes. Eo es animo, qui publicæ securitati unicè favet. Victa est tempestive, priusquam exercitum ex hybernis excire potuit hostis. Nunc de pace cogitant Vrbanus Pontifex, Galliarum & Hispaniarum Reges, & Cæsar. Exhaustis ærariis mitiora consilia suggerit communis indigentia. Aliud hæc, aliud suadet regnorum sitis. Mitto epigramma, quod in recuperatam arcem scripsi. Difficile mihi est abstinere à versiculis, quoties argumentum mihi lætius objicit fortuna. Addidi unum & alterum in librum Seldeni. Sed non est, quod ab hoc armorum genere sibi metuant Britanni. Versiculis uti nec clauditur mare, ita nec recluditur. Expectavi, ut liberos tuos mitteres hac aëris tempestate. non debes nimis esse meticulosus. Vidisti illa, quæ in Academiam Trajectinam scripsit ingeniosissima Anna Schuurmans. rogatu amicorum laudavi encomiasten. Ea tibi impertior, licet magis ames legere Democritos, Zenonas, inexplicitosque Platonas. Vale. 25 Maji, 1636.

326. THEO-

Digitized by Google

326.

THEODORO SCHREVELIO.

NUptiis filii tui gratulor, amicorum dignissime. Sponsam commendat modestia, forma, patris humanitas dignitasque. Sponsum doctrina, candor, morum suavitas & patris doctissimi celebritas. Optimis auspiciis junguntur, quos virtutum similitudo jungit. Nec dubito, quin hæc amantum copula cessura sit tibi familiæque tuæ in solatium & decus. Utrique meis verbis benè precare. Et Sponso dic, ut caveat sibi à præterito *amavi*; & Sponsæ, ut discat, *amo*, *amas*. Reliqua tempora & personas non curant conjuges. Invitas me ad nuptiale festum, cui interesse ob veterem amicitiam cuperem, nisi dissuaderent plurima: locorum distantia, lectionum officia, quæ hic religiosius observamus: necnon memoria charissimæ conjugis, quæ voluptates meas, si quæ intercursant, indies objurgat. Nec ignoro, amicorum & tibi & amplissimo Consuli abunde esse, quibus sacra ista peragatis. Finge me (nam Poëta es) convivis tuis assidere, ego fingam idem, & tacitus fruar ista imaginatione, fruar sermonibus, deliciis, cupediis longo ordine accumbentium. Si viduæ aderunt, quarum apud vos est copia, tu selige unam, quam judicabis mihi maximè convenire. Et si audes (quid non audebis pater nuptiarum & mensæ induperator?) nomine absentis Barlæi illi propina. Admirabiles sunt in

Digitized by Google

amore casus, & occasionibus ridiculis non rarò videas confici res serias & magnas. Scribo festiva, quia de nuptiis loquimur, à quibus abesse debet ambitiose tristis oratio. Addidi disticha aliquot in nuptias, ut officium tuum aliquo grati animi officio rependam. Vale charissime, & uxorem liberosque salvere jube. Septemviratus meus novis sponsis ἐπευφημεῖ. [*omnia fausta precatur.*] Amstel. 28 Maji, 1636.

327.

WINANDO SCHUYLIO.

Amplissime Schuyli,

Mitto tibi versiculos inter pocula primum natos, postea renatos domi. Lepidi sunt, quia à me scripti, ad te & de fratre tuo. Ego tristis Deus non sum, & qui putant me leguminibus solum pasci, aut cibis melancholici succi, vehementer errant. Tu leporum pater es (cave ne in accentu pecces) & propius ad Democriti indolem accedis, quam Heracliti. Frater tuus nova & lepidissima conjuge beatus, non esse mavult, quam non ridere. præsertim cum procaci oculo Claram suam adspicit. Nam, nisi à pristinis moribus degeneravit, ipse Iupiter ejus adspectu trisulcum fulmen è manu deponat, & ad omnem se componat festivitatem & suavitatem. Quare non decuit me, apud lepidos convivas, & recentes sponsos triste carmen eructare. Loquor de basiolis, quorum uti nondum apud me exolevit memoria, ita acer-

Digitized by Google

acerbissima est recordatio. Miserum est fuisse felicem. tibi ac fratri messis in herba est. Fortè & me aliquando respiciet lætior Iuno. quod an optare debeam, nescio. Hoc scio, me posse, quod ut velim dissuadet paterna cura, amorque prolis plurimæ. Fratri epigramma trade, in tesseram initæ amicitiæ, cujus tibi & laudem & gratiam debeo. Vale. Amstel. 7 Iun. 1636.

328.

ROCHO HONERDO.

NOn est mei moris, amplissime Honerde, fatigare aures Senatorum importunis flagitationibus. Curiam vestram veneror, sed gratulor mihi, nihil in ista arena negocii esse homini, literis quam litibus addictiori. Verum quod petam, peto in amici gratiam. Is Joachimus Vicofortius est, vir singulari mihi amicitia junctus, ob eruditionem, humanitatem, & virtutes, quas Aristoteles ὁμιλητικὰς [*civiles*] vocat. Est illi lis coram Curiâ vestrâ, non suo, sed Ducis Wirtenbergici nomine. quæ jam per annos aliquot è vestris pependit suffragiis. Rogat, ut illâ expediri possit, & ut eo favore rem ipsam prosequaris, quem ad illam conferri causæ bonitas & Iudicum incorrupta probitas permittent. Ego illius petitioni jungo meam, ut duplici officio & ipsum & me, virtutum tuarum cultorem æternum & ἀνεῤῥηλον [*sincerum*] devincias. Sentiat amicus meus, aliquid apud te posse vocem ejus, quem amas unicè. Silent jam

Digitized by Google

Musæ meæ silente classico. nec silent prorsus, nam & Epigrammate nuper recuperatam arcem Schenckianam prosecutus sum, & librum Seldeni duplici ultus sum Epigrammate. Vale. 13 Iun. 1636.

329.

PETRO C. HOOFT.

NOn jam de perdicibus aut leporibus verba faciam, magnifice Hoofdi. uti in brumales mensas fercula ista servari solent, ita æstivarum meditationum minus idoneum videntur argumentum. Omnino tempestivum est, de Passerculo loqui. Avis illa verna est, quæ sub æstatis initium parit. quo tempore, dum formosissimus est annus, expeditissimum est vatibus ingenium. Non terræ solum, almæ omnium nostrûm matri, sinum recludit calor, sed & mentibus non omninò malis, quibus præter veternum & vacunam nihil æquè invisum. Tu præivisti, & quia domi habes filiam magistram passeris, & passerem discipulum filiæ, elegantiarum tuarum pyxidem reclusisti, accuratis versibus. Ea dixisti & scripsisti de passere, ut parum absit, quin simili condicione velim esse passer. Non morerer, sic tibi dictus. Iam quia passer non sum, sed potius graculus inter vos, strepo & tumultus edo incompositos. Quod si me pipire putas, ero te judice passer: si stridere, noctua; si fritinnire, cicada. Quidvis esse malo, quam silere, ubi carminis materia objicitur. Caballis, ne

Digitized by Google

ne per campos alienos graſſentur aut ſepta tranſiliant, appendi ſolent è pedibus ligna. Tauris ferocientibus obligatur os. falconibus oculos capſulæ tegunt, ne intempeſtivè avolent. Mihi ſcripturienti capiſtrum injice, quale voles. Feram patienter. Sed, ſi vel linguam reſeces, uti Philomelæ fecit Tereus; ſi manum amputes, quod Deiphobo fecere Græci, inveniam viam, qua me liberem à verſibus. Non ſcriberem hæc, niſi & te huîc morbo affinem putarem. Condolet claudus claudo, cœcus cœco. An inſanus inſano condoleat, dubito. quod ſi inſania eſt, ſcribere verſus, amabilis inſania eſt. Filiam tuam velim places, ne indignetur me paſſeris virtutibus digniſſimum ejus nomen ſociaſſe. aliter fieri non potuit. Quis clavam Herculis laudabit ſine Hercule? tridentem ſine Neptuno? pectinem Veneris ſine Venere? Tu lege, & filiæ aperi ſenſus, quos expediet illam intelligere. Amſtelod. 24 Iun. 1636.

330.

ADRIANO PLOSIO.

QUæ per humaniſſimum virum Matthæum Heuſt curari juſſeras nobiliſſime Plooſi, curata ſunt probè. In cellam meam penuariam deſcendit grande vas vini Pariſienſis, ſive Francici, tua liberalitate & juſſu. Solent iſtud vinum bibere, quibus lautior eſt fortuna & lautius palatum. Domi meæ minus precioſe bibitur, licet apud opulentiores mercantes interdum

Digitized by Google

dum hoc potu excipiar. Nunc videor mihi ejusdem esse sortis cum Lucullis, & Pomponiis nostris. Qui me invisunt amici, mirantur istiusmodi apud me latices fluere. Et sunt inter illos non pauci, qui me taciti prodigilitatis incusant. Ego, qui ab omni dissimulatione sum alienus, Deorum hæc dona esse asserero, & nominatim tua. partim ut illis probem frugalitatem meam, à qua istiusmodi calices frustra expectaverint, partim, ut credant me à te unicè diligi. Quoscunque mihi iste liquor amicos conciliabit, tibi debebo. Quoscunque scribam hoc tempore versiculos, eorum autorem puta non Apollinem & Musas, sed rubellum hunc Bacchum. Si deteriores erunt prioribus, cogita me nimium bibisse; si meliores, cogita me ad leges bibisse. Non poterunt non esse mediocres, cum isto humore irrigatur vena. Si aquæ essem potor, dilutus esset carminis genius. Nunc cum bibam cum Principibus, & non è vulgo hominibus, assurgam altius. Multa Dircæum levat aura cygnum, canit de Pindaro Horatius. De me dixerit aliquis: Multa Barlæum levat aura Plooſi, & favor nullo ipsius merito provocatus. Sum tuus & fui antehac non uno beneficio & officio. Gratias agerem, si par essem facundia. Ea cum desit, perpetua animi recordatione supplebo partes gratitudinis. Impera mihi, quæ à me præstari posse putas. Si impar sum beneficiis, non sinam me vinci tui amore, reverentia & obsequio. Sed

quid

Digitized by Google

quid hoc rei est? vix beneficum te mihi & munificum præstitisti, cum ecce superveniant ab uxore missi Limburgenses duo, voti mei in mensis summa & deliciæ; adeò isto caseï genere delector. Non potest non mihi benè esse, postquam non in perniciem, sed salutem meam conspirant Jupiter & Juno Thienhovienſis. ille vini dator, hæc caseorum. Ne bibere volenti desit irritamentum, uxor caseos mittit. Ne de caseo edere volenti desit, quod eundem digerat, tu vina mittis. Uterque habete & possidete me, qui meus esse desii, postquam vobis obnoxius vester esse cœpi. Vale vir nobilissime & conjugem plurima imparti salute. 28 Iun. 1636.

331.

ROCHO HONERDO.

Magnifice Honerde,

Verissimè ais, sex menses nobis periisse, ex quo illustri legatione defunctus domum reversus es. Non ignoras, cujus illa olim fuerit vox: Amici diem perdidimus. Quare & illud mihi tempus periisse arbitror, quo nec incolumem te videre licuit, nec coram tibi loqui, aut permutare versiculos. Abeuntem epigrammate uno aut altero prosecutus fui. Et statueram in medios Sarmatas mittere litteras & carmina. Verum quæ inopina mihi meisque supervenit charissimæ conjugis mors, animum mihi expectoravit, ut mei & amicorum oblitus per menses plures consederim in vestibulo Orci, ubi luctus

Digitized by Google

ctus & *ultrices posuere cubilia diræ.* His nebulis aliquà discussis, redeo sensim ad me, medelam adferentibus amicis, tempore, studiis. Legi cum voluptate Epigramma, quod mihi inscripsisti & arci Schenckianæ. Nihil ab ingenio tuo detrivere truces Gothi, aut *junctus Sarmata velox Pannonio.* Antiquum obtines, acumine, inventione, numeris, & dictione optima. Quod judicium nolo putes profectum à censore, sed ab amico. Reposui paucula. Nec enim jam mihi vacat prolixo esse. Scribo, ut rideas cum Zulechemi Domino. Ambo credite, nec omnino hæc à me serio dici, nec omnino joculariter. Dido sum, aut potius Æneas, qui animum *nunc huc celerem, nunc dividit illuc, In partesque rapit varias* &c. Misi Hugenio jambos in passerem Bartelotæ, hos lege, & iis lectis dic: me nondum didicisse juveniliter loqui. Vale Vir præstantissime & celeberrime, & cum Constantino me constanter amare pergite. 26 Iun. 1636.

332.

CORNELIO VAN VEEN.

ORnatissime & amicissime vir,

Depuduit pro me cognatus tuus H. Stockius, & qua valet facundia, impetravit à te flores, qui me ingenti tibi debito obligant. Est hæc ultimi hujus seculi non ultima forte insania, æstimare res exigui momenti, & sine quibus vita hæc nostra nihilo se haberet pejus. Ego eidem

Digitized by Google

eidem insaniæ affinis esse cœpi, ut duplici jam furore agi videor, Musarum & florum. Sed hic Musarum furor inveteratus est. Florum amor nuper me invasit. Quem tua liberalitas mirum in modum accendit. Et ne putes me gregariis solummodo Tulpis delectari, habeo Helvetios, Coronas, Perlas, Goliathos, Cornhertios, & Ioannem Gerardi. Hi inter flores meos sunt antesignani, & supra alios precio nominibusque excellent. Bulbos tuos terræ mandabo, ubi erit oportunum. Illis mitem hyemem opto & ver idoneum. Tibi jam gratias ago implicitè. Vbi bulbos explicuerit novus annus, & fœtum propius nosse dabitur, agam gratias oratione magis explicita. Effigiem parentis tui, viri optimi & gravissimi exosculatus fui. Vbi æri incisa fuerit Apolonia soror, non fraudabo eam debitis laudibus. Novi vivam ab ingenio, castitate, & morum suavitate, etiam ab artibus, quas plurimas calluit. Potuit illa, cum viveret, trigam facere, cum Anna Schuurmans & placidissima Tessela, nisi quod prior illa, rarissimo exemplo, Latini Græcique sermonis peritiam reliquis virtutibus junxerit. A me si quid proficisci posse putas te tuisque dignum, pete cum imperio. Hoc Epigramma in sororem si non placeat, dabo aliud:

Sculpis Apollineam frater germane sororem.
Et tamen hic nullam sculpis Apoloniam.
Sculpe oculos, exsculpe manus, exsculpe capillos,
Hoc, quod dextra nequit sculpere, Apolonia est.

Digitized by Google

Vale amiciſſime, & matrem, fratres, ſororesque meis verbis ſaluta. 6 Iul. 1636.

333.

PETRO C. HOOFT.

OB paſſerculi fugam, tantum tibi condoleo, Hoofdi præſtantiſſime, quantum tu doles. Plorent & ſingultiant virgunculæ, quibus copioſius eſt humidum, & minus firma ratio. Nos ſiccioris temperamenti jacturam illam ſine lachrymis & gemitu feremus. Maluit paſſerculus libero aëre frui, quam dominæ ſuæ eſſe illuſtre mancipium. Adeò eorum omnium, quæ juris naturæ ſunt, etiam animalibus à ratione deſtitutis amor inſedit. Eſt inter illa libertas, quam ſpecioſo carceri, & aulæis tuis ferculisque prætulit generoſa avicula. Et forte, ſecundum Pythagoricam philoſophiam, transmigravit in paſſerculum hominis benè nati anima, quam puduit ſartoriam addiſcere. Verum, quid artifici iſti fiet inter indoctos paſſerculos? an artes, quas didicit, dediſcet deſuetudine? an alios eandem artem docebit? prius arbitror. Gaudet interim paſſerculus, quod evaſerit. Quæ de Deorum convivio in memoriam revocas, revocabo ad animum. Rarus admodum eſt tot Doctorum in eodem convivio concurſus. Wittios, Hugenios, Hooſdios, Voſſios, Realios, Moririos accumbentes vidimus. Videbar mihi ſpectare menſam, qualis fuit, cum Lælii, Scipiones, Catones, Fannii, Scevolæ pranderent unà.

Digitized by Google

unà. Sed hæc carmine exaggerari poterunt, à quo non est aliena hyperbole. Proxima hebdomade à lectionibus feriabimur. Quis enim latrante canicula loqui cupiat? Tunc, si quod in caballos imperium habebit Bartelottus tuus, sinam me Muydam vehi, ut videam Satraparum dignissimum, matronarum humanissimam, virginum modestissimam. Vale Vir maxime, & salvere omnes jube, quarum aut maritus es aut pater. 13 Iul. 1636.

334.

CORNELIO VANDER MYLE.

Nobilissime Myli,

Habes justissimas causas succensendi, quod aliquot retrò mensibus nihil ad te dederim literarum. Mortuo Molino erepta est utrique nostrûm occasio permutandi literas. Solebat enim heros iste Venetorum suorum literarias merces liberalius exteris impartiri, & judicia aliorum cognoscere. Extincto hoc lumine minus lucemus omnes, quos favore ille suo irradiabat. Nihil tamen de meo erga te amore tuosque decessisse puta. Quem venerandi nominis tui recordatione suscito foveoque indies. Nullum à me alienum magis est vitium quam ingratitudinis. Hæret infixa pectori humanitatis tuæ memoria, quam non solum explicuisti erga me cum Academiam Leydensem curares, sed & tunc, cum publicus favor à me vultum immeritò avertisset. Quo tempore filios tuos insti-

Digitized by Google

institutioni meæ & curæ commisisti, ut ostenderes non sperni à te, spretam malis innocentiam. Literas accepi Vienna, quibus petitur, uti Laudatione aliqua velim prosequi Coronationem Ferdinandi Tertii Imperatoris. Ego, si sapiam, abstinebo ab illa laudatione religiosissimè. Quanquam enim ea possem scribere, quæ ad laudes Imperatoris faciant, nec Reip. nostræ adversentur, tamen, prout sunt nostratium ingenia, judicarent me beneficio obstrictum Austriacis. Scimus Cæsarem non quidem aperto Marte nos petere, sed per latus Hispani nobis gravem esse. Laudavi etiam non ita pridem Gustavum Sueciæ Regem, ejusque adversus Cæsarem bella probavi. Iam ut laudem Ferdinandum Tertium ob gesta adversus Suecos feliciter bella, à prudentia mea impetrare non possum. Non sum ambidexter, sed ab omni adulatione alienissimus. Cuperem obsequi petitioni illustrissimi Legati, sed hoc cavendum, ne dum foris benè, domi malè audiam. Fortè nimis sum meticulosus. Sed & illud certum, illam Cæsaris laudationem à me profectam calumniæ suspicionibusque oportunam fore. Velim tamen audire ex te, quid consulas. Magis consiliis tuis, quam meis geram. Licet non dubitem, quin idem sis suasurus, quod jam apud animum decrevi meum. Vale Vir nobilissime, & Dominam vander Myle, liberosque saluta. Desidero scire, ut valeat filius, cui populi commissi & tanta negotia curæ. Ad literas meas nondum rescripsit; sive quod

Digitized by Google

quod occupatior sit, sive quod fastidiat præceptorem umbraticum. Prius statuere malo, ne peccem in amicitiam, quam hactenus mecum candide & sincerè coluit. Amstelod. 17 Iul. 1636.

335.

CONSTANTINO HUGENIO.

ACquiesco, doctissime Hugeni, & tibi quinto congressu succubuisse, glorioſum arbitror. Solent pueruli noſtrates, vecordes vocare boves, qui ad primum ictum concidunt. Me non primo, ſed quinto ictu ſtravisti, & bove fecisti mutiorem. O ſalutares aquas, quæ genium ſummi ingeniorum in me concitaviſtis, ſine amicitiæ naufragio. O ſalutarem metum, qui audacem me fecit, ut reſponſarem viro inexhauſtæ eruditionis, & ſolidiſſimorum acuminum. Creſcit tibi ſcribendo carminis vis, & magis acuitur. Mihi eadem torpet & hebet. Abrumpendus ergo cœptæ contentionis funiculus, nec ſerra ultrò trahenda per illam lineam. Si tecum non conſcendi turbidum & procelloſum Yam, conſcendi Aganippen. Si horrui Flevum, non horrui Caſtalios lacus. Si ignominioſum putas, aquas metuere, eſt metus ille morbi ſpecies, cujus meminit Naſo:

— *Tollere nodoſam*, &c.
Nec formidatis auxiliatur aquis.

Noluit Pythagoras aquis ſe credere, ne anima, quam ille igneam putabat, aquis extingueretur.

Digitized by Google

tur. Et cujus quæso est illa exclamatio ?
O terque quaterque beatos, Queis ante, &c.
Ejus est, quem toties à fortitudine laudat Maro. Cujus illud, — *Dî maris & cœli*, &c. Nasonis est. Vt jam me & philosophorum, & Ducum, & vatum exemplo tuear. Quare non detrecto vocari *amans strenuus*, modo me non absorbeat mare Thracium : non renuo vocari per ironiam *prudens philosophus*, modo credas, me malle terra iter facere, quam mari, ubi à morte digitis secernimus quatuor aut septem. Sim tibi *fortè vir*, modo me credat talem esse futura conjux. Hac scaphula vehi malim, quam ista Argo, quæ à *sublimi cubiculo* nomen habet. Illa vectores plures respuit, nec admittit præter unum. Hæc cujusvis sectæ homines admittit, Cynicos, Satyricos, Dentatos, qui mihi ὑδροφοβίαν [*aquæ formidinem*] meam tam falsè, tam doctè, tam copiosè exprobraverunt. Vt cœpi dicere, acquiesco, & quæ vetus Scholarum formula est, accipio responsionem. Prætoriæ tuæ navi demittit vela meus lembulus. Amatori maximo proletarius pater, viro fortissimo & masculorum genitori, sequioris sexus pater. Vale præstantissime, disertissime & amicissime vatum, & me doctissimis tuis jocis exerce, cum sinent, aula, castra, Princeps. Amstelod. 2 Aug. 1636.

336. PE-

Digitized by Google

336.

PETRO C. HOOFT.

Magnifice Hoofdi,

Vide quantas tempestates excitaverit nupera illa convivii tui, aut potius convivarum tempestas, quæ sub mensæ tuæ, & solis occasum accidit. Quam miserè vapulo ob aquarum formidinem. Non contentus fuit Hugenius, me uno Epigrammate perstrinxisse; verum carmina carminibus superingerit, ictibus ictus, respondi, non ut volui, sed ut valui. Ita loquor, ut scias, me non omnem paranomasiam damnare. Nisi jam bellis Belgicis totus implicaris, nisi te Principum casus, imperiorum vices, populi furores, castra classicaque totum habent, lege bella nostra & iras innoxias. Paucis epigrammatibus constat lis. Non fuit inutile, me tunc timuisse. Elicuit iste metus, aliquid non indignum tuis auribus, quæ quanquam Batavæ sint, nihil minus sunt quam Batavæ. Hugeni Epigrammata innuo, quæ te volo bis legere ob reconditos sensus. Deorum proprium est nubibus involvi. Ego conspici amo, cum homo sim, & in dictione σαφήνειαν [*perspicuitatem*] unice sector. Pinguntur nudæ Veneres, Gratia, Cupidinesque. Illas in te veneror. Qui, nescio, quo, me fascino dementasti. Et scio tamen. Cornu es Amalthæum, in quo hæc reposuit benignior Deus, doctrinam, prudentiam, comitatem, urbanitatem, recti honestique amorem. Si Charis

Digitized by Google

ris essem, ruerem in amplexus tuos: si Pallas, discerem à te magis sapere: si Rhadamanthus, corrigerem rigorem tua moderatione & lenitate. Si amator, peterem à te exemplum probandi me conjugi. Et tamen posterius hoc novi satis probè. Et nos aliquod nomenque decusque gessimus. Legi modo epistolam tuam facetissimam de scaris & rhombis, quos Arctois intonatos fluctibus tibi misit humanissimus Schuylius. Fecit ille, ut ad me quoque pervenerit piscium fasciculus. Prunis tuis minatus fueram fatalem diem. Sed licet ipsis hac æstate salvis esse per me. Post dies non multos Leydam abeo veteres visurus amicos. Inde in prædium D. Overbeequii me conferam, ut fruar solus tristissima viduitatis meæ meditatione. Postea cum Sapientiæ studiis redibo in gratiam. Tu interim vale, & me gratissimo vadimonio tibi obstrictum puta, sine regula excussionis & divisionis. Amstelod. 5 August. 1636.

337.

EIDEM.

Magnifice Vir,

Ex agro Leydensi domum reversus, cœpi cogitare de promisso meo, quo me abiturus hinc tibi obstrinxeram. Petieras tibi mitti apographa Epigrammatum, quæ Hugenius & ego lusimus ἀμοιβαδὸν [*alternatim*] super aquarum formidine, quæ illum minus, me sociosque meos magis habuit. Mihi cum religio sit, quicquam

Digitized by Google

quam tibi negare eorum, quæ salva sceptri majestate (ut reges loqui amant) conferri in alium possunt, curavi illa à filio meo describi. Verum prudentiæ tuæ fuerit statuere, an consultum sit illud Epigramma in qua laudatissimam Tesselam pro pila habet Hugenius, in Brabantiam mitti. Ego eadem mihi ad nobilissimum Mylium, sed absque isto. Non leviter me perculit allatum de adversa uxoris tuæ valetudine nuncium. Quæsivi seriò & sæpe ex amicis, quo loco illa esset. Tandem intellexi cum gaudio morbum periculi esse expertem. Debebat optima matrona, humanitatis omnis ἴδιον [*genuinum*] exemplar, amicis esse immortalis, & tibi potissimum Hoosdi,

Conjugio tantæ Veneris dignate superbo.

Castigat voluptates nostras Deus non una calamitate, & ægrotare nos vult, ut mori semper doceret. Hic inter funera quotidiana nobis vivitur, & singulis accidere indies posse credimus, quod cuiquam. Hæc tela illa sunt procul jaculantis Apollinis, cujus iram lib. 1. Iliad. describit Homerus. Ille felix quem incautum non præveniet mors. Ego, si tuam tuorumque valetudinem votis, precibus, animo omni juvero, fecero hominis Christiani, & amici, & studiorum eorundem socii officium. Vale Vir maxime cum Creusa tua & Ascanio & Lavinia. Amstelod. 6 Sept. 1636.

Digitized by Google

338.

CORNELIO VANDER MYLE.

Obsiſſime Myli,

Mitto N. T. chartas argumenti amœnioris & minus amœni. Amœniora ſunt epigrammata, quæ Zulechemi Dominus & ego luſimus ſuper aquarum formidine. Exceperat convivio magnificus Hoofdius Zulechemi Dominum, Voſſium, Barlæum, Vicofortium, Schuylium, Baeckium, nec non matronas duas Zulechemi Dominam, & Vicofortiam. Circa veſperam, cum diſcedendum eſſet, oborta tempeſtate, timuerunt navem conſcendere Voſſius, Barlæus, Vicofortius. reliqui audaciores navi ventisque ſe credidere. Hinc nata hæc Epigrammatum tempeſtas, quibus Barlæum poſtridie cœpit impetere Hugenius, & ſe tueri Barlæus. Lege, at ubi legeris, velim ad me redeant. At minus amœni ſunt libelli, quos mitto. Cum ante dies aliquot Leidæ eſſem, tradidit mihi magnificus Rector D. Vorſtius libellum Anonymi ſcriptoris, Daventria miſſum ad D. Heinſium. quo Epigramma quoddam meum, ante ſeſquiannum ſcriptum in librum Manaſſis, de Creatione, quæſitis & perverſis detorſionibus malignè interpretatur. Dicit iſto Epigrammate contineri varia, quæ Eccleſiæ pernicioſa, religioni Chriſtianæ probroſa, & in Deum ac Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum impia ſunt. Socinianiſmum adhæc autori Epigram-

Digitized by Google

grammatis impingit &c. Suspicantur Leidenses autorem esse Vedelium, Theologiæ apud Daventrienses Professorem. Daventriæ excusus est libellus, apud hæredes S S. V V. Sebastiani Warmboutii. Daventria missa sunt exemplaria ad D. Heinsium, Vltrajectum & alio. Ego, qui me ex arena Theologorum subduxi, non fuissem de responsione sollicitus, nisi ob atrocitatem criminis respondendum fuisset. Facile enim ista Socinianismi calumnia fidem invenit apud suspicioſos. Mitto & autoris libellum & responsum. Honoris mei & innocentiæ velim haberi rationem, cum res exiget. Censor pessima fide, voculam è carmine sustulit, & suam substituit, *maneamus* pro *vivamus*. Sensus affingit versibus meis, de quibus ne per somnium quidem cogitavi. Dixit mihi Magnificus rector Academiæ Leydensis, consilia agitari, uti libellus iste Censoris Ordinibus Hollandiæ exhibeatur, ut appareat Barlæum & Remonstrantes esse Socinianos. Si contingat hoc fieri, velim responsum hoc juxta exhiberi. Non sum Socinianus, nec fui unquam. Imo hostis sum istorum dogmatum acerrimus. Carmen addidi in fine in Lucifugam istum, quod si videbitur acrius esse, cogitet quæso lector atrociſſimum esse crimen, quod mihi impingitur. Quid Crœsi filio vocem extorsit? Vatum genus irritabile est. facit subinde indignatio versum. Exemplar velim mitti D. à Thienhoven, si istic est, D. Catsio Hollandiæ Advocato, Honerdo, & Schotto, aliisque. Vale

Digitized by Google

Vir nobiliſſime cum uxore & liberis. Cuperem N. Tuam propius ex D. Heinſio quærere, quis ipſi exemplaria miſerit. Procul dubio novit autorem. Amſtelod. 7 Sept. 1636.

339.

IOHANNI HELMONDO.

Doctiſſime Helmonde,

Putabam te adhuc in agro Leydenſi morari. Sed heri ex amicis audivi, te in Batavorum oppidulum conceſſiſſe, & ſic è luto in arenas tranſiiſſe. Dolui profectò, quod te frui non potuerim, cum Leidæ eſſem. Non eram meus. Dum Profeſſorum unum alterumve compello, periit mihi dies. Inde diſcedendum ſubito fuit ob Overbeecquii fratres, qui confectis rebus ſuis Hamburgum properabant. Nec tamen periit apud me memoria humanitatis, qua me excepiſti in prædio avunculi, nec detractaviſſem venire iterum, ſi per alios licuiſſet. Illa tuorum officia tibi imputo, qui amicos mihi concilias, quorum in hac urbe maxima eſt autoritas. Peſtis incrementa capit. ut veriſſime dixerit Horatius:

Autumnus febres & teſtamenta reſignat.

Trajecto ad Rhenum, quia eadem illic invaleſcit, diffluxere ſtudioſi. Superiore anno Leida itum fuit Trajectum, nunc Trajecto reditur Leidam. Vides cuivis accidere poſſe, quod cuiquam, & longè jaculantem Apollinem nec Trojanis, nec Græcis parcere. Tu extra telorum jactum, ut opinaris, aëre frueris maritimo, qui ſalſedine

ſua

Digitized by Google

sua fortè corriget aëris malignitatem, Sed quid studiis tuis fit amicissime? opinor te jam totum Martialem & Iuvenalem devoravisse. Hoc si feceris, non malè collocaveris horas ocio perituras. Sed cum Poëtas illos leges, ne lege illa, quæ fescennina sunt, aut si leges, noli intelligere. aut si intelligas, dissimula apud alios te intelligere. Iesuitæ, ne capax malorum morum juventus pessima imbibat, Martialem castratum edidere. In quos falsè scripsit Ios. Scaliger:

Nempe Patres sancti facere hoc, quam dicere malunt,
Quæ vates mavult dicere, quam facere.

Hæc dum scribo, adfertur mihi nuncium de materteræ tuæ inopinato obitu. Tibi tuisque condoleo communem mortalitatis sortem. Vivimus hic inter funera, morituri quoque, cum visum erit Creatori. Illa hujus vitæ malis incommodisque expedita, ærumnas nostras ex alto despicit, & immortalitatis præmio læta fruitur. Vobis solatio sit, illam vixisse Deo pie, amicis, fratribusque officiosam, nulli gravem. Vale amicissime, & matrem aliosque amicos, quibuscum istic vivis, à me saluta. 10 Sept. 1636.

340.

PETRO CUNÆO.

IAm ad te parabam litteras, cognatorum clarissime, cum tuas mihi tradidit tabellarius. Suspicabar enim jam adesse tempus, quo è Zelandia domum esses reversurus. De morte filioli jam ante me certiorem fecerat Domina Overbeequia.

Digitized by Google

beequia. Profectò funestissima tibi familiæque tuæ eunt tempora. Infantulorum tamen jacturam minus ad animum revocant prudentiores. Si prosunt minus, minus quoque noceret. Solatio magis sunt, & discutiendis parentum tædiis, quam subsidio. Nihilominus condoleo tibi, qui liberos soles tenerius amare. resarciet propediem mortalitatis dispendia simili prole fecunda mater. In urbe nostra incrementa capit pestilens lues. numerati sunt hac hebdomade, eorum qui vivere desierunt, 626. Sororem ampliſſimi Consulis Bickeri heri extulimus. cessit quoque fatis frater natu maximus. In Laurentii Arminii familia abstulit pestis filiam cum filiolo. Nos per Dei gratiam valemus omnes. Filiæ majores natu, per aliquot hebdomadas in prædio Realii commoratæ, domum rediere. Vix Leida discesseras, cum ad D. Heynsium missi sunt libelli aliquot, anonymi cujusdam Theologi, Daventria missi, quibus Epigramma quoddam meum, ante sesquiannum scriptum malitiose detorquet autor. In illo contineri ait, quæ Ecclesiæ pernicioſa, religioni probrosa, & in Deum ac Dominum nostrum Iesum Christum impia sunt. ajunt Vedelii esse fœtum. Non respondissem vel ego, vel alius quisquam, huic tenebrioni, nisi atrox fuisset crimen, quod impingit. Nullius ego mihi impietatis conscius sum, licet humani à me nihil alienum putem. Deum testor, non fuisse illam mihi mentem, Iudæos amicos Dei dicere, sed nobis amicos, quoad civilem convictum esse

Digitized by Google

esse vivendum Deo. Si comma posuissem post voculam *vivamus*, res fuisset plana. Socinianus nec sum, nec fui, vellent quidam me esse, qui explendi in me odii materiam sollicitè quærunt. Sed his innocentiam meam pro scuto opponam. Te cum uxore liberisque valere ex animo opto. Vale. 12 Sept. 1636.

341.

PETRO C. HOOFT.

ALlegoricam tuam epistolam cum voluptate legi, præstantissime Hoofdi, applicas lepori Iudeum, Iudæo me, mihi Theologum Daventriensem. qui otii sui prodigus, infami & anonymo nuper libello in me sæviit, & epigramma ante sesquiannum, sine ullius murmure scriptum, in sensum à mente mea & fide prorsus alienum detorquet. Objicit mihi impietatem, Socinianismum, Iudaismum, aliaque abominanda, quæ, per Dei gratiam, in hoc meum pectus nunquam descenderunt. Ad hæc ne silerem, monuerunt me viri gravissimi amicissimique. Addidi Scazontem, quem indignatio extorsit. Crede, me invitum in hanc orchestram pertrahi. nec enim volupe est cum corvis & vespertilionibus congredi, quanquam jam demum sciam, autorem libelli esse Vedelium, Theologiæ apud Daventrienses Professorem. Vbi responderit, deliberabo quid facto opus sit. Leviorem calumniam potuissem contemnere, illa non potui, præsertim ob autoritatem homi-

Digitized by Google

nis Theologi. Inveniet forte fidem ista criminatio apud eos, quibus exosum Remonstrantium nomen & causa. Misissem tibi jam pridem. Sed nolui hisce litibus turbare arcem tuam, elegantiæ omnis & humanitatis sedem. Libellum autoris velim ad me redire. nec enim aliud habeo exemplar. Pro lepore gratias tibi ago maximas, non comedam solus. Erunt, qui debebunt per me. Tuorum in me beneficiorum catalogus in immensum excurrit, ut mihi apud te quærendus sit, non tam gratitudinis, quam obsequii & venerationis tui, modus & formula. Conscientia bonæ propensissimæque in te voluntatis me solor. hac fruar, quoad vivam. Valetudinem tibi, uxori, liberisque diuturnam precor. Vale. 22 Sept. 1636.

342.

GODEFRIDO DE HAESTRECHT.

SOlebamus per literas, nobilissime Haestrechti, interdum de rebus privatis, interdum de publicis loqui. Fuit epistolæ nobis materies modo Austriacus, modo Auriacus, modo victa Breda, modo victa Sylva Ducis. Verum, ut in virtute omni laudari solet constantia; ita & in amicitia, quæ virtuti simillima est, eandem requirit Aristoteles. at hanc in te jam desidero. Videris hoc agere, ut amicitiam non dissuas, sed abrumpas. Sunt hæ voces impatientiæ meæ & justissimi doloris. Similis es amatoribus, qui postquam amasiam in partes suas pertrarere, missam

Digitized by Google

missam faciunt. quæ deserta, quod reliquum est vitæ, quærimoniis transigit. Simili ferè fato mihi vivitur. Olim aspectu tuo recreari solebam, uti qui in tenebris sedent ad Solis & diei conspectum exhilarantur. Nunc excurrunt anni, ex quo de te nihil audio. Contabesco, veluti viduatus compare turtur. Quæro ex notis & ignotis, ubi sit Haestrechtius meus. an apud Superos degat, an apud inferos. an amet, an studeat, an venetur, an militet. Nec ex ullo intelligere potui, ubi locorum lateas. Si fuissem Iupiter, jam mississem per universum Belgium Mercurium, cum horridis mandatis, uti te quærat, & mihi sistat. Tandem ipse è latibulo tuo prodis, & ob Mathematices studia, secessisse te scribis Leidam. Ego licet istam Philosophiæ partem magni faciam, utpote veteribus magis, quam nobis excultam: tamen hac tempestate vellem periisse omnem Matheſin, omnes numeros, & circulos, cum angulis & radiis. Sic enim amicitiæ pristinæ circo incluſus, minus obliviscereris Barlæi tui. Esses rotundior amicus, si quadraturam circuli negligeres. Magis reflecteretur tuus in me amor, si minus de radiorum reflexione & refractione esses sollicitus. Fui nuper Leidæ per dies aliquot, ignarus & te istic esse. Adsui Dominæ de Poelgeest, quæ ipsa quoque ignorabat, ubi esses. Proh tuam fidem. Hoccine est sacrum illud, & venerabile amicitiæ nomen in precio habere? Vix est veniale hoc peccatum. Impetrabis tamen veniam, ubi me invises. Ad te non

Digitized by Google

veniam, nam non ita pridem Leida veni. Nolo turbare tua sacra, & studia ista, quæ amicos excludunt. Dicuntur Mathematici abstrahere quantitatem à materia. Sed tu non quantitatem solum, sed & omnium qualitatum optimam abstrahis ab amicitia, nempe benevolentiam & convictum. Nec tamen improbo institutum tuum. ingenio es omnium disciplinarum capaci, & ad gloriam iter tibi sternis, rerum abstrusissimarum indagatione. Macte, mi Haestrechti, populo te subduc, & amicis. nolui remorari impetus tuos, nam quodcunque petis & agis, vehementer petis & agis. Quæ de pestis apud nos vehementia scribis, non omnino vera sunt. De apparatu nostro bellico nihil scribam, quia consilia Principum ut & Deorum, in abstruso posita sunt. Te salvere jubeo, & duo credere: unum est, me esse illum in te, qui fui semper; alterum, te multum mutatum esse ab illo Hectore, qui mecum Leidæ deambulare ocreatus & gladiatus solebas. Vale nobilissime, doctissime, humanissimeque Haestrechti, & alium te mihi præsta, nisi albis amicorum expungi velis. Raptim, 24 Sept. 1636.

343.

PETRO SCHUYLIO.

Amplissime Schuyli,

AQui nuper nuptiis tuis, & recenti conjugio gratulatus fui festivo carmine, jam ob carissimæ tuæ conjugis obitum tibi condoleo. Vides

Digitized by Google

Vides pari passu in hac terrestri scena ambulare, gaudii & doloris causas. Dilexisti conjugem. sed & dilexit illam, qui repetiit Deus. placuit tibi uxor pia, modesta, facilis. placuit ob easdem virtutes cœlo. Poterant hæ in terris mundi sordibus contaminari, in cœlo non possunt. erepta est tibi, sed reddita creatori. subducta marito, sed adducta propius ad Servatorem suum Iesum Christum. Si doles, facis id, quod hominem, quod Christianum, quod maritum decet. Si modum non ponis dolori, peccas, & quærimoniis frustra te fatigas. Ita visum providentiæ divinæ, cujus decretis nos acquiescere fas est. Cum in uxorem illam duceres, sciebas te mortalem ducere. Nihil ergo præter sententiam, nihil præter communem mortalitatis sortem tibi evenit. Amisi & ego non ita pridem multorum liberorum matrem, aut præmisi potius, subsecuturus, cum volet vitæ nostræ supremus Arbiter. Si me impatientius loquentem audire vis, amisi me in illa, & omne vitæ meæ solatium gaudiumque. Sed nolo obloqui Deo, qui illam mihi liberisque subtraxit, at majori jam donatam felicitate. Cum tua jam beatam agit vitam, ubi nec puerperii labores, nec prolis cura, nec familiæ sollicitudo optimas matres vexant. Noli illi invidere statum hunc vitæ felicissimum. Gratulamur amicis, quoties digniore loco illos posuit fortuna. Cur ergo non gratulantis uxori ad summa erectæ? Aut simul tibi in illa moriendum fuit, aut tu antevertere illam, aut illa te debuit.

Simul

Digitized by Google

Simul mori paucis contigit. Uti illam præverteres tu, optare non debes. Non velles illam esse miseram, & te prosequi lachrymis. Scio prudentiam tuam hisce solatiis non egere, & abundè te instructum esse præceptis, institutisque Christianæ fidei, quæ efficacissima adversus mortem solatia petit, à fidelium indubia resurrectione. Nolui ego vel amici vel hominis Christiani officio deesse. Gaudendum cum gaudentibus, & flendum cum flentibus. Amicorum voces, si dolorem non tollunt penitus, aliquà leniunt & levant. Reliqua, mi Schuyli, à te, à ratione, à tempore impetrabis. Vale & mœrori tuo da spacium, tenuemque moram. Amsteld. 5 Oct. 1636.

344.

CONSTANTINO HUGENIO.

QVi circa focos oberrant Magiri, quoties à nimio igne intumescere vident pulticulam, frigidam affundere solent, ut ebulliens liquor subsidat. Idem mihi jam faciendum, Hugeni. Video ex literis ad D. Vicofortium datis, commotam tibi bilem, ob diuturnius meum silentium, quare affundam & ego frigidam, ut desævias. Placatur Jupiter donis. placaberis & tu Hugeni, licet à fulminibus tuis minus mihi metuam, quàm à Jovis Panomphæi. Corrasi obiter Epigrammata quædam, & versiculos, quos non ita pridem lusi. Videris iis delectari, licet ab acuminibus tuis longe abeant. Risi cum amicis,

Digitized by Google

amicis, ad illud tuum, *Non tribus illa locis, quatuor ægra fuit.* uti & ad, *pustillum & pistillum.* Video te, quo es loco, non multum ab hoste tibi metuere, ut qui serenas voces & festivioris genii testes proferas. Nescio, qui fiat, ut humanum ingenium in isto argumento felicius se explicet. Credo ego, τὸ λογικὸν & τὸ ἐπιθυμητικὸν συμφωνεῖν. [*facultatem rationalem & appetitivam conspicare.*] & vehementer illa afficere rationis sedem, quæ vehementius amamus. Vindicias Epigrammatis mei non ausus fui tibi mittere, veritus ne aures tuas offenderem theologico strepitu. nisi respondendi pro me necessitatem suasisset calumniæ atrocitas, potuissem leviorem accusationem & anonymum scriptorem contemsisse. Injuriam mihi fecit maximam, & verba mea iniquissimis detorsionibus corrupit. Mitto libellum ipsius Anonymi, ut legas & tanti Theologi suspicias cerebrum. Vale & me tam crede istarum hæresium esse hostem, quam sum amicus veri, pacis, & tui. Amstel. 25 Oct. 1636.

345.

ARNOLDO BUCHELIO.

Amplissime doctissimeque Buchele,

Ægrè adduci potui, ut in sacram istam arenam descenderem. nec enim aut cum tenebrionibus luctari amœnum est, aut sacris controversiis immiscerì. Si autor honori meo, (ut venditat) consultum voluisset, & charitatis sequi

Digitized by Google

qui legem, debuisset ex me propius quæsivisse de verborum meorum mente, priusquam publicis me libellis differret. Iam sesquiannus est, ex quo editum fuit illud carmen, lectumque à pluribus. Sed neminem offendit, nedum ut inde quisquam fœda ista βδελύγματα [*abominanda*] per quæsitas consequentias deduxerit, quæ in mentem mihi nunquam venerunt. Sed mittamus hominem hunc, & male natum fetum. Tecum loqui, mi Bucheli, suavius est, cui pia senectus meliores voces dictat, animumque ad omnem humanitatem, elegantiam, & amorem mei formavit. In animum induxeram te videre elapsis proximè feriis, verum amici cujusdam negotio impeditus, pedem domo movere non potui. Ex literis tuis facile colligo, senectutis te onera fortiter ferre, & quamvis languente corpore, integram adhuc tibi esse animi, & erectæ mentis vim. Solet senectus ob quatuor causas misera censeri, quod avocet à rebus gerendis: quod corpus reddat debile & infirmum: quod omnibus ferè voluptatibus privet: denique quod vicina sit morti. At tu ab hisce malis peculiari sorte eximeris. Non avocaris à rebus gerendis, qui à Reip. negotiis semper fuisti alienior, & satis te rerum gerere putas, cum Deo conscientiam, patriæ, amicis, civibus fidem probas. Corporis imbecillitatem animi constantia & vigore erigis. Et licet juvenum voluptates contemnas, illis tamen frui pergis, quæ ex amœnissimorum studiorum agitatione,

Digitized by Google

tatione, & antiquitatis ſeria inveſtigatione habentur. Et quanquam vicinus ſis morti, Chriſto te propiorem eſſe non dubitas. quot paſſibus à calamitoſa hac vita recedis, ad beatiorem accedis ut quæ aliis, ob prudentiæ inopiam, gravis eſt ætas, tibi leviſſima & jucunda videri poſſit. Illam tibi Deus Opt. Max. lenem, placidam, & doloris expertem continuet, donec exuta mortalitate, & corporis hujus exuviis, ſereniore vultu coram adſpicias Deum, & Servatorem tuum Ieſum Chriſtum, cujus ſanguine redemptus, piæ morti, glorioſæ reſurrectioni, & æternæ felicitati etiamnum ſervaris. Vale vir præſtantiſſime, & multis mihi nominibus colende. Amſtelod. 25 Octob. 1636.

346.

IOHANNI HELMONDO.

DE die in diem litteras tuas exſpectavi, chariſſime Helmonde, ut ubinam terrarum viveres reſcirem, an Beverovici in Caninefatibus, an in novis Hugonis agris in Friſiis, an in Leydenſi territorio in Batavis. Tandem poſt impatiens deſiderium ſcribis te Leydam cogitare, ut iſtic vivas, ubi caſtra olim hoſtilia Muſarum ſedi oppoſuit Baldæus. Si ſciviſſem te hactenus Beverovici hæſiſſe, fortè potuiſſet me eò pertraxiſſe amor tui, quò non potuit triſte pendulorum turdorum ſpectaculum. Facilè ex litteris tuis colligo, te legiſſe ea, quæ in turdorum ſcripſi ſuſpendia. Sed hoc velim ſcire, an eorum

Digitized by Google

eorum tibi copiam fecerit optimus Baeckius, quæ in transmissa à seniore Baeckio poma scripsi festivius nostrate linguâ. Non possum apud amicos esse supercilioſus & gravis, alias non esset mihi grave corrugare frontem, & scribere Catonibus digna. Volunt Rhetores de rebus gravibus graviter dici, de humilibus humiliter. Poma sanè, turdi, perdices, fringillæ humilis materies sunt. Reges, Duces, bella, triumphi sublimior. Alia in illis, alia in his scribentis est facies. Quod vult fieri Horatius ad Pisonem de Arte Poëtica, qui jubet:

Descriptas servare vices operumque colores,

Si de Achille loquendum, oportet impiger sit, iracundus, inexorabilis, acer. Si de Medea, sit Medea ferox, invictaque flebilis Ino, perfidus Ixion, &c. Rursus si res comica & faceta dicatur, versibus exponi tragicis res comica non vult. Quamobrem veniam dabis, si de turdis, pomis, amoribusque loquutus fuerim mollius. Ita factum oportuit ex lege poëtarum & genii mei. Et scio ea te esse indole & ingenuitate, ut ferre possis in præceptore tuo non nimis severo innoxias facetias. Invitas me in agrum Leydensem, ut turdorum capturæ interdum spectator & actor, amicissime; hæc infra curas sunt Philosophorum, nec vacat semper iis, qui Reip. debent temporis tributum, amœnitatibus profligare muneris conscientiam. Ea est urbis nostræ facies, ut sperem te propediem ad nos rediturum. Desævit per Dei gratiam pestilens aura,

Digitized by Google

ra, purgatissimo hoc & saluberrimo aëre. De numero mortuorum decidit hac hebdomade Libitina 143, ut jam in censum venerint hebdomadalem cadavera 424. Sed penè oblitus eram de epistola tua judicium perscribere. Latina est sine affectatione & quæsitis phaleris. Scribe sæpius. non peccabis apud me, qui viam tibi insisto ad bonæ mentis erectiora studia. Vale & tuos saluta. 25 Oct. 1636.

347.

CONSTANTINO HUGENIO.

HOc non est exercere amicum, sed obruere. mittis librum Epigrammatum, qui ante hac uno aut altero Epigrammate Veternum mihi excussisti. non tot jaculis confossus fuit Sebastianus, nec tot lapidibus impetitus Stephanus, quot tu telis & acuminibus Poëta adoriris. Si tua nondum ἐν ἀκμῇ [*in vigore*] stat versificandi libido, apud me profecto languet iste furor & fervor. subducam me hac arenà: satius est ut fugitivus evadam, quàm ut cadam victima nil miserantis Aulæ. Enecas me meteoris tuis, fumis, nebulis, tonitru, pluviis, nivibus, grandine, & quæ alia sunt ingenii tui argumenta. Totam concitas naturam, & me ad certamen honestæ æmulationis provocas. Infimæ, mediæ, supremæ regionis fluxos & evanidos fœtus mihi objicis. Et de quibus seriò nos, & magno apparatu philosophamur in scholis, tu rides, & Peripatum omnem ac Stoam

Digitized by Google

naſo ſuſpendis adunco. Ex pluviis urinam facis, ex fulmine lites, ex tonitru horrendæ Iunonis crepitus, quales erant Claudii Imperatoris, ex ventis equorum Solis ſpiramina, ex pruina ſalem, ex maculis ſolaribus guttas ſerenas, ex rore ſudorem, ex grandine Deorum pilas, ex Lunaribus maculis vitiligines. Verè naturæ miracula ludos habes, & Phyſicis tacitè conviciaris. Nec minus talia Epigrammata tua ſunt, ut gradus comparationis non admittant. Loquar verbis Honerdi Senatoris: Diſparitas non eſt, niſi quam gravitate probamus. Optima tunc & ſunt ſingula, cùm bona ſunt. Scribis te hæc meditatum, modò peditem, modò equitem. credo. nam & ſunt eorum quædam, quæ eunt leniter, ſunt, quæ altius aſſurgunt, ſed equus ille tuus aut tolutarius fuit, aut ſuccuſſator. Si tolutarius, cauſſam deprehendi numerorum & æquabilitatis in carmine. Si ſuccuſſator, aut, ut Gallicè loquar, *un trotier, qui và le trot*, cauſſam deprehendi, cur alicubi occurrat pes deterior & horridus, qualis eſt ille: *contacta freti ſors.* Certè non fuit equus tuus ſtrigoſus. nam ſucculenta ſunt omnia; non pavidus, nam audaciſſime in Philoſophos incurſas; non ſuſpirioſus & anhelus, nam valido ſpiritu effers, quæ concepiſti; non pumilus, nam per nubes ferris; non conductitius, nam naturali pulchritudine exſurgis. Nec veredus fuit, aut *cheval de poſtillon*, quia demorſos omnia ungues ſapiunt & moram. I bone, quò virtus tua te rapit.

Ego

Digitized by Google

Ego te inter meteora evectum, velut aquilam in nubibus, non sequar, nec pedes, nec eques. Non pedes, ne quis mihi objiciat illud: sequitur non passibus æquis; non eques, quia metuo excuti, uti mihi in Galliis equitanti accidit ter. Cum de aquarum Muydensium timore scriberes, secutus fui, quà potui, te εἰρωνα, [*ironice loquentem*,] ut infamiæ notam diluerem. Nunc per aëra, cœlos, & nubivagos tractus evectum suspicere è terra malo, quam sequi. nolo in aquis esse Palinurus, nec in sublimi Phaëthon. Pauculos mitto Scazontes, ut aliquo grati animi testimonio redimam inscriptum mihi Poëmatum Meteorologicῶν opus. Illa per gravissimorum amicorum manus ambulant, & doctissimorum judiciis crescunt. 9 Oct. 1636.

348.

PETRO CUNÆO.

ITa inter nos convenit, Cognatorum clarissime, ne alter alterius ægrè ferret silentium. quare non utar operosa excusatione, quod diutius præter meum morem Harpocratem egerim. Vorstium redivivum vidisti, aliosque libellos, quibus impetor,

Turbati manes Erebi noctisque profundæ.

plures symbolam contulisse video tibi mihique notos. omnem bilem, quam multis retrò annis collegerunt jam effuderunt semel, melius posthac ipsis erit. Ego ex amicorum consilio illos ulciscor silentio. Hi motus animorum &c. Habui

Digitized by Google

nuper Orationem, vel potius Homiliam in Natalem Domini, & Servatoris nostri Iesu Christi, ut prisca studia recolligerem, quibus olim consecratus fui. Inveniunt & hîc, invidia & recti ignorantia, quod arrodant. Exemplaria quæ amicis inscripsi, tradi velim per ancillam. Pestilentiæ lues penè se in totum per Dei gratiam remisit. Vale. 10 Ian. 1637.

349.

CORNELIO VANDER MYLE.

MItto Homiliam, qui hactenus Orationes tibi misi. elegi argumentum capax sacrorum acuminum. Patrum elegantias & acutè dicta hic illic insparsi. Annum ingredimur novum, cujus auspiciis quod tibi offeram nihil occurrit gratius, quam ut tibi Encomium ejus infantis mittam, in quo solo omnium nostrûm stat salus. In mundi senectute vivimus, cui solatium præbet Christi pueritia. Ipse, tu Myli, viridem jam senectam penè egressus es, quæ novas vires à sacro hoc infante, & mundi Servatore capiet. Sunt hic illic quædam dicta de Præsepi per metonymiam, quæ aut de nativitate ipsa Christi, aut Christo intelligi debent, juxta phrasin veteris Ecclesiæ & Patrum. quod moneo, cum tanta seculi sit perversitas, ut facilè interpretaturi sint malevoli de ipso præsepi & ligno, quæ de Jesu Christo dici res ipsa clamat. Augustinus præsepe adorandum vocat, fontem consolationum, gratiæ asylum. Detinet nostratium exspectationem

Digitized by Google

nem Colonienſis conventus, qui teſtudineo gradu procedit. Si lis tantum eſſet inter Pelidem & Atridem, ſperarem ſucceſſum feliciorem. Sed totius Europæ Principes pacare, Cæſarem, Suecum, Gallum & Hiſpanum, nos & Hiſpanum, res eſt majoris operæ. Noſtros hic magis ſollicitos habet Regis Britanniæ inſtitutum, quo mari obicem ponit. Neptuni filii ſumus, aſſueti libero mari, quo clauſo & impedito etiam loculis mercantium clauſtra injiciuntur. quæ perrumpet inſatiabilis lucri cupiditas, non minore induſtria, quam olim Memphitica clauſtra & catenas perrupere Batavi. Vale. 17 Ian. 1637.

350.

EIDEM.

Nobiliſſime Myli,

Qui has tibi literas tradet, Matthias Deugius eſt, juvenis rei Mathematicæ peritiſſimus, arcta familiaritate junctus D. Hortenſio Matheſeos profeſſori, collegæ noſtro. Scripſit libros de Architectura militari, ſive Fortificationibus, ut vocant. quod argumentum ante hac Gallicè tractaverunt Galli, Belgice Stevinius, at Latinè, quod ſciam, nemo. Non eſt mihi vis iſta dignoſcendi & dijudicandi ſeverius, quia caſtra vidi rarò, nedum ut ad operum proportiones, figuras, ſitus attenderim. Illud tamen auſim dicere, multum in hoc opere laboris impendiſſe autorem, & ad ſingula ad-

Digitized by Google

vertisse propius. D. Hortensius luculenta commendatione & scriptorem & scriptum prosequitur. Venit ad Te hoc fine, ut à nobilissimo Domino Witsio, castrorum Federati Belgii ephoro, impetret icones sive delineationes operum castrensium, quibus expugnata fuit, aut potius recuperata, Arx Schenckiana. Illas enim in opere suo desiderat. Ne autem videatur temerè hoc petere, libri sui lectionem offert eidem Domino Wits, cognato Tuo, & Zulechemi Domino, qui exactius de re omni judicium ferent, utpote in ista Mavortis & Bellonæ oppugnantis, & propugnantis arena enutriti. Est autori animus libros hosce publici juris facere, & quæ per N. T. impetrabit, ad communes usus transferre. Vale vir nobilissime & præstantissime, & si qua potes laudabiles conatus hujus juvenis, docti pariter & modesti, juva ac promove. Cohabitat hic Domino van Jaersvelt, cujus filios humanioribus artibus erudivit. Dominam vander Myle, liberosque meis verbis reverenter saluta, etiam ubi res ferent, Zulechemi Dominum, & nobilissimum Dominum Witzium. Amstelod. 10 Mart. 1637.

351.

ARTURO JONSTONO.

Clarissime Jonstone,

Elegiam tuam, quâ in laudes Poëseos nostræ immoderatius effunderis, accepi & legi. Diu hæsi, an probare, an improbare judicium istud

Digitized by Google

istud tuum debuerim. Ne probarem, suadebat modestia mea, quæ tenuitatis suæ probè sibi conscia, judicia ista, commendationesque invidendas verecundè amolitur. Ut probarem, suasit perspecta tua pluribus humanitas & candor, qui voces tibi expressit magis sinceras quam veras, magis tui in me affectus indices, quam istius ὑπεροχῆς, [*eminentiæ*,] quam mihi in carmine attribuis. Equidem studia illa amœniora amavi semper, & conatus sui viam istam calcare, quà ad carmen itur. Verùm cum Philosophiam & Peripatum junxissem Poëticæ, obstrepuit horridior ista sapientia suavissimis Camœnis, & stribliginem suam affricuit Apollini. Philosophia quippe, ut nosti, hodierna tetrica est, & per salebras & scholasticorum præruptas commentationes incedit; & à quibus abhorret Poëta quam maxime, impensius amat Philosophus, sive Thomistes sit, sive Scotista. Utique multùm à prisco philosophandi genere, quale est apud Ciceronem, Senecam, Plutarchum, recessimus. Est adhæc Philosophia veritatis magistra: ut Poëta tunc maxime commendatur, cum aut falsa fingit ingeniosius, aut veris falsa permiscet. Atque his de causis infelicius me puto agere alterutrum, cum sociaverim artes minus sociabiles. Illud tamen ingenuè fatebor, tantum me Poëtices teneri studio; ut difficulter avelli possim. Soleo illam vocare scabiem cùm perpetuo pruritu conjunctam: ad quodvis enim argumentum, sive lepidum illud sit, sive

Digitized by Google

sive grande subsilit scripturienti animus, & continere me vix possum, uti ad pilæ jactum catelli cursitant, aut feles. Ad te potiùs redeant istæ laudes, mî Jonstone, quas in immeritum accumulas. Tu Galliam, tu Scotiam, tu Angliam famâ nominis tui implesti, & imples etiamnum. Nos virtutum tuarum, & ingenii admiratores exemplum à te capimus proficiendi, & grande aliquid moliendi, quod perficere non mearum, sed tuarum potius est virium. Quidquid sit, amemus alii alios, & sepositò fastu omni, exosculemur mutuo, siquid laude dignum in singulos contulerit divina benignitas. Amicitiam tuam veneror: præconia & suffragia amicorum, uti exposcere putidum fuerit, agnoscere arrogantiæ, ita patienter ferre non fuerit injucundum. Vale, vir clarissime, & qui Regis maximi valetudinem curas, hoc non segnius cura, ut illi, Musis, & mihi diu vivas suaviter. Amstelodami, 18 Martii, 1637.

352.

JOHANNI BEVEROVICIO.

NOn uno nomine tibi debeo, amplissime Beverovici. Primò libros Diæteticos misisti, quibus versiculos nobilissimi Catsii, tanquam lemniscos coronæ pactili intertexuisti. In iis de rebus non naturalibus disseris eruditè, perspicuè & facetè: ut omnino videaris tutò mederi velle, quia scribis eruditè, citò quia perspicuè, jucundè quia facetè. Si ex præscripto tuo

Digitized by Google

tuo viveret mundus, conclamatum esset de communi mortalitate, quæ neminem non manet, quia ad insolitum deflectere plus æquo amamus. Ego diætam probo, sed quam subinde flagellet ἀνωμαλία [*inæqualitas*] aliqua. Nam rigida illa & severa edendi bibendique ad leges ratio, bonæ mentis carnificina est, & vitæ tyrannis. Edant bibantque ad amussim, quibus grave est ridere: quiescant suis periodis, quibus moveri est labor: moveantur ad numeros, quibus sudare permolestum: aëris momenta & caloris gradus expendant, qui alaudam imitari amant: dormiant moderate, quibus numquam noctu scribendi sunt versus. Quemadmodum boni Oratoris est dissimulare artem, ita valetudinis rationem optime subducet, qui in Medicorum leges non nimis religiose jurabit. Libros tuos Medicos, ex non Medicis collectos, pari voluptate legi. Horatio contradicis canenti:

Quod Medicorum est, promittunt Medici.

Physicos redarguis, quorum hoc est axioma: Generationem esse similium productionem: nisi velis illum tuum fœtum à causâ æquivocâ productum esse, quæ effectui dissimilis est. Deucalion es, quibus ex saxis nati sunt homines, aut potius pastor Aristæus, qui ex non apibus apes elicuit. Multa unum facis, & in formam artis digeris latissimè sparsa, illorum exemplo, qui aulea ex varii coloris filis contexunt. Fecit idem in Politicis Lipsius, qui centonem rerum civilium ex tot scriptoribus, suis filis

Digitized by Google

consarcinavit. Perge, mî Beverovici, Medicinæ suum decus asserere, Tibi famam, ægris vitam fœnerare. Poscis versiculos in Calculum, quos mitto: nihil enim tibi negavero, quod à me præstari potest. Sed vereor, ne illi ipsi calculis & arenis laborent. Tu medere, & non fonte Anticore, sed Caballino illos deterge, ut leniores fiant. Vale. Ipsis Nonis Apr. 1637.

353.

PETRO CUNÆO.

VEnit ad Te, Cognatorum dilectissime, præstantissimus juvenis, Johannes ab Helmont, Consulis nostri Andreæ Bickæri è sorore nepos, eo fine, ut in Academiam vestram transeat, postquam Scholæ nostræ, & Philosophiæ curriculum emensus est. Adolescens est ad omnem modestiam & humanitatem factus, ingenio bonarum artium capaci, miro in præceptores adfectu, pietate, cultu. Fuit Scholæ nostræ ornamento & exemplo. Cuperam plures ex optimatum liberis ita præstructos ad Vos venire. Omnino confido, illum instar irriguæ arboris ad flumen positæ, ad omnem laudem magis magisque assurrecturum, & suis honori, patriæ usui aliquando futurum, quod Deus ille donet, quo teste hæc scripsi. Si dignaberis illi viam monstrare, quâ ad Themidos arcem compendiosè & sine ambagibus itur, summo & illum & amicos, quos in hâc Republicâ habet viros summos, beneficio Tibi obstrinxeris. Liberos

Digitized by Google

beros tuos sereniſſimà hàc anni tempeſtate ad nos mittas velim. Scis, ſine auræ afflatu extingui ignes, ſine convictu & alloquiis amicitiam, cujus partem Ariſtoteles facit συνδίωσιν. [*convictum.*] De Republicà nihil ſcribam, poſtquam in Colonienſi conventu omnis publicæ pacis ſpes ſita eſſe multis videatur, at non mihi. Difficile quippe eſt, rapaces Aquilas, efferos Leones, & pugnaces Gallos conciliare. Summus Deus conſilia hæc dirigat ad Belgii, vel potius totius Europæ tranquillitatem. Vale. 17 Maji, anno 1637.

354.
CONSTANTINO HUGENIO.

DOlui & Tibi condolui vehementer, afflictiſſime Hugeni, ubi ad me triſtiſſimum de uxoris tuæ dilectiſſimæ obitu nuncium perlatum fuit. Aphtis eam laborare intellexeram, & modò meliuſculè habere, modo pejus, luctantibus inter ſe naturæ & morbi viribus. Tandem prævaluit morbus, & de puerpera triumphavit fatalis neceſſitas. Crede, mi Hugeni, optimum illum eſſe rerum eventum, quem Deus probat. quidquid vult ille, noſtrum quoque eſt velle. nec pium eſt, ea nolle, quæ non vult nos nolle. acquieſcendum nobis, quodcunque tandem moventi. quicquid à ſolo & ſummo Bono eſt, quid niſi bonum eſt? nos in præſens, ille longè in futurum proſpicit, & rationes facti ſui etiam aperit hinc, cum deſierunt eſſe, qui capiant.

Digitized by Google

piant. Magna domus mundus est. ille paterfamilias, qui domum istam in duas partes dispescuit, ætheream & elementarem. Has ordine inhabitari cupit, ita ut ab elementari in ætheream transitio fiat; nec prius in hanc, quam in illà longius breviusque steterimus. In elementari homines hominibus jungimur. In æthereâ Deo & intelligentiis. Illa mortalitatis sedes est, hæc immortalitatis. illa negociorum, hæc otiorum: illa doloris non unius officina, hæc gaudii statio tutissima. Est in eâdem tecum uxor domo, sed secessit in partem meliorem. cohabitas illi, & eodem quo illa tecto etiamnum tegeris. Extulisti illam è domo tuâ, quæ privata est, sed non è publicâ, quæ universorum est, quia ipsum Universum est. Habitant in diversis Aulæ partibus Principes & Principum conjuges. idem tibi jam contigisse cogita. Nec prohibitum illam adire voto, affectu, mente. Arctior animorum est conjunctio, quam corporum, & cogitatione amplectitur anima fortius, quidquid diligit vehementius. Qui peregrè abeunt, spe reditus solantur amicos. Abiit & illa, sed ut rediret & te videret, loco & statu beatiore. Nec mora erit longa. si ad æternitatem respicias, cujus omne futurum est pars, jam rediit. Nexit illa quod præteriit, & quod post venturum est præsenti, & durationum intervalla per fidem confundit. Si doles surreptam, nego surreptum quidquid oculis surripitur. tua est, quæ tua nuper fuit, nec alterius esse vult aut potest, quæ nunc quoque

Digitized by Google

que meminit se tuam fuisse. Divortium thalami si fecit mors, non fecit omne. est conjugium divortii minime capax; hoc mentium est. harum copula irrupta est, & viget quam maximè inter disruptos. Vbi conjux conjugem videt, minus attentè illam cogitat: ubi non videt, oculis illam animi intuetur consideratius. magna & vehemens res est desiderium. occupat, quod non habet, tenet remota, & finitur absentis boni validâ persuasione. Si soli tibi esse insolitum est, venisti solus sine illa in mundum: vixisti sine illâ ante illam. quod factum sæpius, hoc repetere durum tibi & molestum videtur? Nec solus es, qui matris exactissimæ ectypa plurima habes, in quibus virtutum maternarum ideas agnoscis & simulachra. Hæc contemplare, nec eris sine socià. modestia, cura, prudentia, fides, comitas, & quam primo nominasse debebam pietas, uxoris tuæ fuerunt ἴδιον κῦδος. [*propria gloria.*] Harum virtutum semina transfudit in liberos, qui cum adoleverint, renatam in illis conjugem tibi gratulaberis. At erepta est, inquies, liberis mater. at non pater. alterutrum eripi aliquando necessum fuit. cum simul eripi nolint fata, patrem concedi illis diutius æquissimum. Quod matris est, illa præstitit. prolem edidit, lactavit, nutrivit. Ad res magnas præire, monitis, exemplis erigere nascentem juventutem, flectere luxuriantes animos, veri & recti callem monstrare ejus est, quem superstitem sinunt fata. Defuncta est illa partibus suis. Ubi illa & mater

Digitized by Google

mater & nutrix defiit, tuum est incipere. Non vis perpetuò matrem esse, hoc est miseram. Ita enim judico, miserrimam esse matronarum vicem, & centum malis affligi sexum illum, quoad gignendis liberis vacat. Inter ista, dic sodes, cuperes illam immortalem esse? Expedivit illam clementia divina iis malis per gratiam, quibus illam expediverat per naturam. Tibi si decessit boni commodique nonnihil, illi accessit plurimum. quidquid lucrata est illa, tuo quoque in lucro deputa. Communis est conjugum felicitas, communis jacturæ omnis & lucri sors. Quantum doles, quantum ingemiscis, tantum minus affici videris ejus inconcussâ felicitate. Expertus didici, nullum esse sedando dolori potentius remedium, quam si rationum cumulo obruatur. Tecum disputa, & morti dic: rapuisti meam, sed & plures: rapuisti optimam, sed & plures: rapuisti intempestivè, sed & alias. rapuisti, sed necessitate. eripuisti mihi, ut Deo redderes: eripuisti liberis, ut Christo jungeres: eripuisti amicis, ut beatis mentibus insereres. Tibi dic: non est hic, nec debebat usque esse: fuit, quia fuisse hominis est. erit quod fuit; erit, qualis non fuit, quia glorioſior erit. Dic: uxorem amisi, sed quæ me plurimorum liberorum fecit parentem: familiæ & rei domesticæ administram, quæ, me curatore, in famulas transferri potest: thalami consortem, qui vixi sine thalamo: dolorum levamen, quos & levant argumenta: gaudii participem, quò jam solus fruar: vitæ

Digitized by Google

vitæ aſſeclam, ſed quam mortalem ſcivi. amiſi inopinatò; at præſcire hoc non tantum potui, ſed & debui. Hac aut ſimili mentis contentione caſtigabis primo, mox franges, tandem elides doloris vim, & de queruli amoris cauſa victor triumphabis. Hæc pauca Tibi firmando ſcripſi, quem & natura ſatis fortem novi, & à ſapientiæ præceptis abunde inſtructum. Si quæ deſint, poſt admiſſa in animum Chriſtianæ religionis ſolatia, Senecam adi & Epictetum. & illos ſi oculo vel mente leges, lugebis minus. Vale, virorum clariſſime & cordatiſſime. Amſtelod. 24 Maji, 1637.

355.

HENRICO VAN EEDEN.

Obliſſime vir,

Accipe, ſed mediis prognatum fluctibus Echo,
Hic, ubi ſe ſalſis Amſtela miſcet aquis.
Si Pindi mediis habitarem ruptibus, Echo
Quæſitis eſſet gratior illa tuis.

Non ſylvas hic habitamus, non rupes & montes, ubi Echo aptius redditur, & repellitur fortius. Planities vaſta urbem noſtram cingit, & paludibus innatat, ut fruſtra Echum expectes, qualem reddit aut Petrarchæ rupes, aut Cumarum ſaxa, aut Theſſaliæ valles. Clamavi tamen, ut potui, & viſa eſt reſpondiſſe Echo non aliena à vidui hominis ſtatu & conditione. Si minus ſeria dixi, cogita minus ſeria agere omnes iſtos quibus vacat cum lapidibus loqui, & trans

& trans flumina clamare, ut reclament ſtupidæ & rigidæ cautes. Socero negare carmen nefas credidi, tum ob illuſtre Douſarum nomen, tum ob virtutum tuarum memoriam. Viximus una, loquuti ſumus una annos complures, cum ego privati profeſſoris, tu auditoris partibus fungereris. Vbi Canicula à ſtudiis & lectionibus otium mihi fecerit, amicos Ultrajectinos, & inter illos, te ſocerumque amplectar. Vale, Amſtelod. 14 Iun. 1637.

356.

THEODORO SCHREVELIO.

MIttto verſiculos, quos petis, in Floræ flebile fatum: quos ſi Heröum iſtorum verſibus, quos in litteris tuis nominas, adjungere dignaberis, principibus quoque me Achivis permixtum agnoſcam. Vt flos eſt, fortuna floris eſt; nec enim à re evanidâ conſtantiam precii exſpectes. Facile fuit cuivis mercari merces iſtas quantovis pretio, quæ ſine precio haberi potuerunt. Vtique crevit illud inter nondum dantes, & nondum accipientes, & didicere emptores illi, verum eſſe Philoſophorum axioma: Non dari progreſſum in infinitum. Hunc furorem Oratione tua perſtringis, ut ſanes; ſed non intelligent illi, quibus medico opus, niſi Latinam Belgicam fieri cures: nec enim dubito, quin & genium ſit habitura, & ſalis multum perfricandæ inſaniæ, quæ jam ἐνδήμιον [*toti populo communis*] erat. Redeant ad ſanam mentem

Digitized by Google

mentem omnes non libellis aut orationibus, sed desperatione. Lucri spes postquam decollavit, sapiunt omnes, quia ista spes suasit dementiam. Vale. 16 Ian. 1637.

357.

CORNELIO BOYO.

IN eo falleris, Vir clarissime, quod te hactenus mihi notum non fuisse scribas. Ita est. Vultum, quod sciam, hactenus non vidi. Sed indices erectioris animi, simul & ingenii notas plurimas vidi antehac. Quod si id es, quod animus est & melior tui portio, omnino novi Boyum. Accedit, quod te mihi totum aperuerit jampridem amplissimus Graswinckelius, elegantiæ omnis fecundissimum pectus. Is de candore tuo, doctrina, humanitate, & studiis eam tulit sententiam, ut te in optimorum censu habeamus ambo. Certè, ex quo legere cœpi ea, quæ subinde in lucem edidisti Epigrammata, desideravi propius tibi jungi & dextræ dextram jungere. Namuti artium & disciplinarum est cognatio & vinculum, ita earundem cultores arctius jungi oportet. Tu præveneisti, & nullo meo merito provocatus Poëmata tua mihi inscribis, Zelandiæ urbium encomia. Patria est, quam laudas, ut pietate te probes illi, quæ vitam tibi & nascendi locum dedit. Ita laudas, ut non finxisse aut anxie quæsivisse laudis materiem, sed oblatam selegisse credaris. Exemplo me præivisse scribis. at tu scribendi carminis

Digitized by Google

regula præis. Mihi satis est, ea in carmine conari, quæ ab aliis præstari video. Animo meo, qui huic studio semper deditus fuit, obsequor, securus prorsus quorum judiciis surgam cadamve. Nec tamen amicorum de me humaniores voces superbe sperno, aut impense amo; ne videar aut nihil tribuere candide judicantibus, aut nimium ex adfectu vel amore mei pronunciantibus. Tibi plurimum me debere fateor, qui hunc nomini meo honorem habuisti, ut versibus tuis illud, tanquam Mecœnatis alicujus, aut Pollionis præfixeris. Quod si ego forem atavis editus regibus, essem præsidium & dulce decus tuum. Interea perge Themidi jungere Apollinem, & Romanum jus legesque ornare Romanis leporibus & Musis: ita illæ minus erunt tetricæ, & hæ magis seriæ. Dicitur Socrates sapientiam è cœlo in domos familiasque deduxisse. Tu Poëticen è procelloso solo & cœlo in amœnissimos saltus Haganos deducis, & fori strepitus laudabili castigas otio. Cogeris ad præscriptum clientis loqui, cum causas dicis. At cum Poëta es, tui juris es, nec ex præscripto loqueris. In foro à partibus stas, cum Poëta esse vis partes nescis & neuter es. In curiæ atriis justitiam adspicis gladio terribilem. In Poëtarum atriis Apollinem intueris lyra amabilem. ut mihi videaris Jurisconsultus esse, cum prodesse vis; Poëta, cum delectare. Vtrumque ut facias diu, faxit Deus Opt. Max. qui juris studia tibi secundet ad usum, poëseos

ad

Digitized by Google

ad Iusum. Vale, vir doctissime & humanissime, & celeberrimum Graswinckelium, ubi occasio feret, officiose saluta. Amstelod. 3 Quinctil. 1637.

358.

PETRO CUNÆO.

Cognatorum charissime,

Septimanæ effluxerunt tres, ex quo me tertiana febris corripuit, non quidem exquisita, sed remissior. Ejus historia octo periodis decurrit, ut jam desierim febricitare: verum videtur natura victrix morbi reliquias febriles in utrumque pedem exoneravisse, quos mira habet φλόγωσις [*inflammatio*] cum pruritu intolerabili. Cum hoc mihi symptomate jam luctandum, & utendum topicis, quæ pituitam bilemve acerrimam castigent. Interea laborare eadem febre cepit filiarum aliqua, quam exquisitissima tertiana exercet. Ea jam sub Medicorum manu est, & venæ sectionibus, purgationibusque excarnificatur. Morbus iste hic ἐπιδήμιος [*communis*] est, & per universam urbem in quosvis sine discrimine grassatur. Doleo & filiæ tuæ male esse. Accepi eam pectoris oppressione, & tussi vehementiore laborare. Si temperantiam horum malorum caussam arbitraris, falleris: ab aëris intemperie hæc proficisci non negavero. Nihil setat ejusdem mali causas esse plures. De Bredæ obsidione optima auguramur. dispersas hostium copiæ. Eæ ut colligantur tempore

Digitized by Google

opus. Gallus opportune satis in finibus Artesiæ & Hannoniæ populatur. Castris nostris de commeatu abunde & commode prospici poterit. Quod si major vis inde Federatos depellat, erit nobis in proxima receptui locus. Faxit Deus, ut Patriæ & bonorum votis respondeant tantarum rerum eventus. Vale. 24 Iul. 1637.

359.

ROCHO HONERDO.

LEmma illud tuum, *Ad Casparum Barlæum læsæ ob silentium amicitiæ suspectum*, expungo clarissime Honerde. Non arbitror lædi amicitiam silentio inter amicos dispares: quorum inferiori facile est superiorem nimiâ loquacitate offendere. Alia Senatoris, alia Professoris dignitas. Alias Curia, alias Schola curas postulat. Scribendum tibi, sed rarius, ne te videar minus prudenter uti. Crabrones istos, quos in litteris tuis designas, non metuo. Sum enim & ipse, cum libet, crabro. Advocent venenum omne in aculeos. Etiam tunc pugnatur, cum

Stipitibus duris agitur, subibusve præustis.

Verum jam ante in animum induxeram, iis qui in arenam hactenus prodierunt adversariis non respondere. Non vacat veterem cramben reponere, & supervacaneum puto instare convictis. Injuriam mihi fieri persuasissimum habeo. Nullius mihi vel impietatis vel hæreseos sum conscius. Cetera homo sum, & humani nihil à me alienum puto. Hac fiducia susque deque habeo

Digitized by Google

beo lividas & atras voces, quas calumniandi ſtudium livorque authoribus ſuis ſuggeſſere. Tecum ſentio, vindictæ ſpeciem optimam eſſe contemptum. Maledicentiæ vis, ſi ſpernatur, deſæviet brevi. Non impetrabunt adverſarii, ut me ab amœnioribus ſtudiis avocent. Malim tecum, malim cum Hugenio, aliisque philoſophari, quam cum ſacris noctuis luctari. Novum forte carminis argumentum ſuppeditabit nobis Auriacus. Bella ò, bella, horrida bella, & multo video ſpumantem ſanguine Bredam. Faxit Deus Opt. Max. ut publicis votis reſpondeant ſucceſſus. Malim Principem caſtra figere in Brabantia, quam in Flandria. Transmarinæ expeditiones ex maris ventorumque pendent arbitrio. Quæ terra ſuſcipiuntur magis ſe conſiliis humanis regi ſinunt. Mitto Elegiam, nullo mihi labore natam. Scio te hac eſca delectari. Videbis facile æquam mihi eſſe mentem, & non prorſus exaruiſſe veteres latices. Vale, Vir ſpectatiſſime, & clariſſime. Si ita A. T. viſum, lectionem Elegiæ noli invidere nobiliſſimo Mylio, uti nec ampliſſimis Viris, Apollonio Schotto & Reigersbergio collegis tuis, quos à me plurima ſalute imparti. Amſtelod. 24 Iul. 1637.

360.

ARNOLDO BUCHELIO.

LItteras tuas exertiſſimâ manu accepi. Cum enim te videre liceat rarius, illas animi affectusque tui in me indices videre perquam vo-

Digitized by Google

lupe est. Fui non ita pridem Vltrajecti bis, nec substiti, abiturus ad Leccæ ripam, ut viserem prædium D. de Iaersvelt, quo me invitaverat filius, itineris tunc una cum aliis comes. Altius memoria tui animo inhæret, quam ut malevolorum hominum studiis odiisque evelli possit. Obitum cognati tui, Iosephi Vorstii ex animo doleo. Obiit cœlebs, ut desiderium sui nec conjugi nec liberis relinquat. Vir fuit indolis optimæ, erecti adhæc ingenii, & non minus exacti judicii. Non alia conditione, mi Bucheli, nascimur, quam ut moriamur, & cum omnes illa maneat ocyus serius, non est quod nos percellat vel amicissimorum mors. Me aliquot retro diebus exercuit tertiana, quæ post septimam accessionem ægro valedixit. Cum hujus adhuc reliquiis luctor. Vbi firmiore ero valetudine, firmiorem erga te aliosque amicitiam exeram. Memini me non ita pridem in climactericum tuum annum versibus lusisse: illis jam plures addidit Numinis indulgentia; & sane, quod gratulor, ætati par es animi constantia, vigore, prudentia. Si corpori decedit suum robur, animus à ratione majus capit, tantoque se sentit erigi altius, quanto ad vitæ terminum accedit propius. Versiculos hos lege, & in parte solatiorum habe. Scio enim gratissima tibi etiam illa esse, quæ nobis per incuriam excidunt. Vale. Amstelod. 25 Iul. 1637.

*361. COR-

Digitized by Google

361.

CORNELIO VANDER MYLE.

Nobiliſſime Myli,

Paulo ante ferias Caniculares corripuit me febris tertiana, quæ tamen poſt acceſſiones aut paroxyſmos octo deſiit redire. Verum, cum humor peccans in pedes decubuiſſet, luctatus ſui dies plurimos cum morbi reliquiis, ut vires priſtinas pene, non tamen prorſus recuperaverim. Fui per dies aliquot in prædio cognatæ D. Overbequii, quod Poelgeeſtam minorem vocant. Locus eſt vicinus plane ædibus Domini de Poelgeeſt. Illic ſenſi me non parum convaluiſſe ob aëris ſalubritatem, loci amœnitatem, Rheni & pratorum circumjacentium conſpectum jucundiſſimum. Singulis Mundi partibus affudit Deus vim vivificam, qua vivimus, refocillamur, recreamur. Aliis tamen majorem: ut delectu opus ſit, & Bajæ præſtent Minturnis paludibus. Quod de valetudine mea ſollicitus ſis, eſt hoc à tuo erga me amore, quem pluribus antehac indiciis oſtendiſti. Ego, licet jam ſcribam rarius, ſtudioſiſſime de valetudine tua & tuorum inquiro, ſi quando huc Hagienſium aliquis commeat. Te ſoſpite & Reipub., & mihi, & bonis omnibus gratulor, quos non uno beneficio obnoxios habes. Scripſeram ampliſſimo Honerdo, ut Nobilitati Tuæ copiam faceret eorum, quæ ipſius litteris verſibusque provocatus reſcripſeram. Invitat me in Diœceſin Ul-

Digitized by Google

trajectinam Dominus de Thienhoven. Sed quia feriæ excurrunt, non statui eo ire. Cras Muydam abeo ad Satrapam Hoofdium, omnis elegantiæ patrem. Doleo male esse Filio tuo, Gulielmopolis Gubernatori. Verum solet illud febrium genus, quas intermittentes vocant, esse periculi expers. Scripsi nuper versiculos in reditum Christophori Artisosky Brasiliæ gubernatoris. nescio an videris. Addo & illa, quæ in Tulparum fortunam lusi. Frater meus jam hic est, qui non semel salutem mihi tuo nomine denunciavit. Dignus est, quem ob probitatem, fidem, obsequium sui ament. Vale, Vir nobilissime & præstantissime; Dominam vander Myle, filiam, generum meis verbis saluta, etiam filium Gubernatorem, cui ut valetudinem pristinam reddat Deus Opt. Max. serio & ex animo precor. Amstelod. 24 Aug. 1637.

362.

EIDEM.

GRatissimus mihi fuit litterarum tuarum & adspectus & contactus: sed flagellavit gaudium meum filii tui Gubernatoris Willemstadii adversa valetudo. Impetrabit, meo judicio, à victus ratione, quod à medicamentis vix poterit. Patriæ universæ, & Celsissimo Principi gratulor illustris victoriæ laudem, publicis commodis conspicuam. Non defui meis partibus. Elapso die Lunæ proximo Orationem hic habui Panegyricam de Obsidione Bredana, qua tria

hæc

Digitized by Google

hæc exequor. Primo, comparationem instituo inter Principis nostri, & veterum Græcorum & Romanorum celebres obsidiones. Deinde Spinolæ obsidionem cum hac nostra, quam multis nominibus illustriorem esse contendo. Tertio inter se comparo Bredam captam à Mauritio æstu, à Frederico violento Marte. Hic illic in Hermannum Hugonem, scriptorem laudatissimum, incurro, & quas in Isabellam Spinolamque confert laudes ad Principem nostrum redire contendo. Acclamavit ille Isabellæ, ut matri castrorum: ego Auriaco, ut patri castrorum. Acclamat ille Isabellæ his verbis: *Vna mulier fecit confusionem in domo Regis Nabuchodonosor.* Acclamavi ego in Oratione mea Celsissimæ Æmiliæ: *Vna mulier vidit confusionem in domo Regis Hispaniarum.* Ingressa est Isabella (illius verba sunt) urbem Catholicæ religionis restauratrix: ingressus est urbem Auriacus Pontificiæ reformator. Hermannus Hugo prodigia & portenta plurima narrat, quæ obsidente Spinola accidisse memorat. Ego illi quatuordecim similis farinæ miracula repono. Forte salivam tibi moveo, quam discutiet Orationis, quæ jam sub prælo est, lectio. Vale. Amstelod. 23 Octob. 1637.

363.

CONSTANTINO HUGENIO.

NOn statueram tibi scribere, nobilissime Hugeni, nisi deditâ Bredâ, ut & lætior esset

Digitized by Google

scribentis dictio & legentis lectio. Celsissimo Principi ac Patriæ universæ gratulor illustris victoriæ laudem, gratulor tibi inter tot bellorum & castrorum incommoda incolumi. Expugnavit urbem Auriacus, quam Marchio Spinola ad deditionem compulit aliquot retro annis. Diversum utrique Duci consilium fuit, & vincendi modus valde dispar. Spinolæ Iulii Cæsaris institutum placuit, fame potius quam ferro urbem expugnandi. Auriaco Domitii Corbulonis, qui dolabrâ, hoc est, operibus hostem vincendum esse dicebat. Qui Auriaco placuit modus, majoris fuit animi, qui Spinolæ majoris patientiæ. Auriacum erexit fiducia aperto Marte vincendi; Spinolæ timor suasit cunctationem & moram. Ille audenti, hic timenti similior. Alterius obsidio Numantiæ ac Sagunthinæ similis, alterius Carthaginis ac Alexiæ. Auriaci obsidio minorum fuit impensarum, plurium funerum. Spinolæ minorum funerum, majorum impensarum. Spinolæ, obsessis non minus, quam obsidentibus tædium attulit. Auriaci subita fuit & ad miraculum brevis. Alter cum viris pugnavit & ad bellum admissis; alter cum famelicis potius stomachis. Hujus difficilis, ob brumam ad comportandum è longinquo commeatum difficilem. Illius difficilis, ob hostem animose pugnantem. Auriacus festinandum sibi rebatur, ob menses æstivos aptos quaquaversum auferendo bello. Spinola minus à mora sibi metuebat, ob hyemem & pluvios menses ineptos ad inferendam

Digitized by Google

dam vim. Alter brumam duravit, alter æstatem: alter oportuno tempore bellum gessit, alter importuno; ut alterius obsidio magis pertinaciæ affinis fuerit, alterius prudentiæ. Auriacus obsidione cœpta, & urbi institit à fronte, & hosti à tergo; Spinolæ nec cum urbe negotium fuit, quia pugnare cavit, nec cum hoste, quem non nisi sero habuit. Spinola potentissimi Regis, Asiæ, Africæque Dominatoris opibus vicit. Nos nostro, hoc est, benevolorum civium succo. Ille, ut tutam redderet obsidionem, auxilia ex Germania advocare necesse habuit: nos solito milite tuti minore motu vicimus. Illi cum pluribus præsidiariis res fuit, sed contra quam volebant, otiosis. Nobis cum paucioribus, sed pugnantibus & fortiter resistentibus. Auriaco Patria sua obsidionem imperavit ut Civi, Respublica ut Duci. Spinolæ peregrina tellus ut Duci quidem, sed alienigenæ: ut alter pietatis motu, alter regia solum authoritate rem tantam aggressus fuerit. De his aliisque fusius differit oratio nostra. Serius, quam volebam, excusa fuit, propter obitum uxoris Blaeuwii Typographi. Qui hactenus Panegyrica mea celsissimo Principi libens obtulisti, rogo, ut hunc quoque Panegyricum sermonem eidem submisse & reverenter offerre non graveris. Quamex se non meretur, à tuo contactu impetrabit gratiam. Vale, Vir nobilissime & clarissime, & tui amantissimum redama. Amstelod. 19 Nov. 1637.

Digitized by Google

364.

PETRO C. HOOFT.

EX urbe noſtra, Magnifice, præſtantiſſimeque Hoofdi, aut potius orbe, ſi me ſinas aliquid dicere hyperbolicũs, tranſiſti in oppidum, Batavi Principis fato, Velſii facinore, nec minus ſtudiis tuis celebre. Vbi illi & publicæ & privatæ calamitatis invenere materiam, tu famæ & immortalis gloriæ multiplex paras argumentum. Eadem ſedes autores illos habuit magnorum motuum, & te præconem & teſtem. Illi horrenda facere auſi, tu ſcribere. Non minor laus eſt, res omni ævo victuras poſteritati tradentis, quam eorum, per quos illæ primum geſtæ ſunt. Velſius Principem gladio ſuſtulit, tu utrumque grandi calamo extuliſti, & ſepulta dudum protuliſti in lucem. Ille quod fecit, minus laudabili auſu feciſſe putandus eſt. Tu quod aggreſſus es, omnium applauſu confeciſti opus. Habitas in ea arce, quæ ſpectaculum præbuit Batavis ſortis Principum, & divinæ tuæ mentis: quæ tanto Principum ſorte felicior eſt, quanto ab iſtis caſibus abeſſe gaudet longius. Quoties ſeceſſum tuum cogito, Muſarum ſubeunt latebræ & diverticula. Quibus gradibus ad illum indies aſcendis, aſcendis ad cœlos & ſumma omnia propius. Illic tua Claros eſt, & Patara, & Phocis. Illic Phormiæ tuæ, & Tuſculum, & nunquam bonis fatales Capreæ. Cœleſtibus adſueſcis, cœlitibus vicinior, & dum terras ex

alto

Digitized by Google

alto despectas, supra illas animo erigeris. Illic positus nec sapis cum vulgo, nec loqueris. Oratione sublimi res sublimes æquas. Quæ effaris magna, dicendo majora facis, quæ exigua, magna. Quanquam exiguum nihil sit, quod tractare in animum induxisti maximus. Principes canis, ubi nullus Principum fulgor. Regum vitas describis, ubi Regiæ majestatis ignota hactenus fuere & decora & imperia. Belli Belgici historiam contexis eo loco, qui tantarum rerum capax non est, ut major sis & eâ, quæ te habet, arce, & rebus, quas secundo toties pectore depromis. In otio tumultuaris, in pace præliaris: vastitatem facis scriptor inter agrorum culturam. Federa publica nectis, ubi absunt Federati. Rumpis eadem ubi nullæ sunt partes. Obsides urbes & capis, ubi nullus jam ab obsidente metus. Regis longius remoti iras & irarum causas narras, ubi irasci ob illas digne vix quisquam præter te potest, qui ea omnia ad animum revocas altius, quæ Reipub. nostræ olim incubuere gravius. De Albani dira severitate verba facis in lenitatis domicilio. Plectuntur capite optimates, cæduntur Belgæ, exulant cives, ubi litteris tuis & libris mitescunt omnia & feritatem exuunt. Quam feliciter migrasti, celeberrime Hoofdi, ex urbe strepera in eruditi silentii & beatæ tranquillitatis domum, ubi non Mercurio, sed Phœbo, non Divæ Monetæ, sed Palladi lites; ubi dum privata minus, ea magis curas, quæ omnium interest scire. Mutas solum,

Digitized by Google

lum, & constas tibi. Mutas aërem, sed non quo in amicos ferris, affectum. Opulentis Amstelodamensium portis egrederis, & minus opulentas Muydæ subis, ut & summæ fortunæ theatrum intueri te, sine morum noxa, posse ostendas, & minoris non adspernari. E domo tua in arcem transisti, ut longius arceas, quæ domi objiciebantur graviora agitanti impedimenta. Obis mœnia tua & mœnium ambulacra tacitus, ut mox Taciti tui præcepta efferas disertus. Flevo propinquior in ejus scriptoris intima admitteris, qui Romanorum fatis flebilem Flevum, ejusque proxima notat. Vixisti pridem, ubi aliorum imperio vixisti civis. Iam vivis, ubi tuo imperio legibusque vivitur. Hic illas accipere non indignum te credidisti, illic dare dignum Satrapa & Præfecto putamus. Inter alitum voces & linguas, quæ turres tuas circumsonant, humanam reformas, & dum illas pro oblectamento habes, Belgico idiomati & elegantiam & pristinum nitorem quæris, & invenis. Vocibus prudentiam ubique, & rerum peritiam addis. Levia ingeniorum minus æstimas, & quotquot animi tantum delicias sectantur, & λόγων, [*sermonum*,] ut, cum Euripide loquar, εὐμορφίας. [*pulchritudines.*] Ad Vechtam nunc sedes, nec minus doctrinæ tuæ radiis Amstelam & Yam cognata flumina illustras. Quas illi merces vehunt revehuntque precium à te non leve capiunt. Gaudet Typhis eo in portu explicare vela, ad cujus oram tragici poëmatis

vela

Digitized by Google

vela primus Batavorum explicuisti. Ædium raritatem supples non perituris ingenii tui monumentis. Et qui deest habitaculis civium tuorum decor, Musæ tuæ beneficio singulis confertur. Superbiunt villæ te præside, & humiles casæ te Prætore prætoria ipsa lacessunt. Portarum custodes dum urbi, dum arci invigilant, Batavi Apollinis securitati invigilant, & pro hostibus barbariem, ac recti ignorantiam exesse jubent. Prope exsuccas paludes eo doctrinæ succo abundas, quo adolescit publica salus, ne desint præsidia, quibus illa, quibus Muyda, quibus domus tua aliquando insistat. Scribo hæc, clarissime Vir, ut scribam, & horas fallam otio graves. Majoribus officiis tuum erga me adfectum probavisti. Ego meum erga te minoribus testari non possum, quam si rerum inopes epistolas mittam & canoras, ut ille vocat, nugas. Valetudinarium invisisti sæpius, excepisti humaniter, & cordata erexisti oratione. Quid rependam? verba & voces, sed eas, quæ te, quæ humanitatem tuam, & singularem doctrinam, quæ conjugis tuæ matronæ erectissimæ officiosam erga me comitatem grato pectori æternùm inscribent. Tibi, uxori, liberis, valetudinem solidam & diuturnam precor ab illo, qui largiri illam solus in manu habet. Vale. Amstelod. 14 Maji, 1638.

365. IOA-

Digitized by Google

365.

IOACHIMO VICOFORTIO.

POstquam hinc discessisti, dilectissime Vicoforti, discessi tecum. quæ te naves, qui te currus hinc abduxere, unà abduxerunt me. Feci cum corpore divortium, & comitatus abeuntem, non fui ultra hic, si quod sum eâ parte æstimes, quâ se Anaxarchus Philosophus, & Socratici omnes homines censebant. Negant Sapientes animam dividuam esse. Ego te absente falsum hoc comperio: nec enim totus vivo, sed portiuncula mei, ex quo tu animæ meæ & præsidium, & dulce decus à nobis abivisti. Scis triplicem esse animæ potentiam, eam, qua vivimus cum plantis; eam, qua sentimus, cum brutis, & eam qua sapimus cum intelligentiis & divinis mentibus. Nulla harum jam integra mihi superest. Vivo languidius, quia tu vitæ meæ fomentum eras potentissimum, ac vultu, sermonibus, officiisque pluribus, quæ referre non attinet, prorsus hebas dies minus subinde lætos, & afflatu tuo alebas vitalem flammulam. Diminutos quoque sensus sentio, quia quem videbam, audiebam coram; cujus dexteræ jungebam dexteram perlubenter, nec videre jam, nec audire, nec tangere conceditur. Et cum animalium sit loco moveri, ego remoto Achate meo penè plantanimal sum, & spongiæ similis adhæresco tenacius domesticæ rupi. Resecta est è ratione pars, quia tu bonæ mentis argumenta objiciebas

Digitized by Google

bas indies, nec sinebas marcescere intellectus vim, qui dum te absente feriatur nimis, desiderio tui carpitur magis. Voluntas, quæ omnium animæ facultatum maxime est divina & materiæ expers, vix jam sua, vix jam mea est. Periit illa, quâ te diligebam, amore, ut in scholis loquuntur, complacentiæ, qui circa bonum præsens est. periit illa, quâ inter honestissimos te, ut non fictæ & fucatæ honestatis exemplar, amplexabar quotidie. Desii velle jucunditatis & elegantiæ omnis patrem & arbitrum. Desii velle usibus publicis & amicorum natum, Gratiarum & Musarum corculum, in quo & antiquitatis studia veneramur, & quidquid inter nova sine affectatione excellit, stupemus. Adversus hæc abitionis tuæ incommoda remedium non aliud supereſt, quam ut absentem præsentem fingam. Est animorum nexus inter loco dissitos, & coalescunt illi sejunctis maximè corporibus. Sæpius opto, verum illud esse, quod Averroi verum videbatur: Vnum esse omnium hominum intellectum, ut tuus meus sit, meus tuus. Sæpius opto, veram esse illorum sententiam, qui corpus idem pluribus locis præsens esse contendunt, ob hoc solùm, ut tibi jungar propius. Sæpius me recreat illa cogitatio, terras omnes, si cum extremo cœli margine compares, centrum esse, & quantitatis expers punctulum, ne ulla sensibili diametro secludamur. Sæpius cogito avidius expeti, quibus ad tempus carere cogimur, & voto possideri longius

Digitized by Google

remota. Occurſat ſubinde illud, quod proverbio dici ſolet: amicus alter idem, ne ſi duo ſimus, ſejungi nos ac dirimi poſſibile ſit. Nec ignoras, mi Vicoforti, ſomnia fingere eos qui amant. quare ut ſolatia undique conquiram, fingo me Eurum eſſe, ut te ſequar per nubila: vel Solem, ut quavis te diei parte intuear: vel Lunam, ne de nocte me fugias: vel Oceanum, ut navigantem inſequar: vel Tritonem, ut valetudinis tuæ nuncium quaquaverſum ad amicos deferam. Quin ſexus immemor fingo me Berecynthiam eſſe, ut dum per turritas urbes veheris, rerum tuarum ſim conſcius: vel Famam, quæ non niſi vera, & fauſta omnia de te nunciet. Cum Scepticorum placita volvo, cuperem illud cum ratione aſſeri, non magis te abiiſſe, quam non abiiſſe. Cum Peripateticorum, cuperem illud mihi probari, intellectum fieri illud, quod cogitat, ut quoties menti objiceris, ab eâ arctius tenearis, idem, quod ille eſt, factus. Cum Pythagoræorum; vellem migrare animas etiam vivorum, ut ad tempus tu à meâ, ego à tua capiam Hæcceitatem, aut, ut loquar Latinius, formam ſingularem. Sed deſinam fingere paradoxa, & commentis indulgere. Redditus ſum mihi, & diviſam miſere animulam ſenſi redintegrare, ubi de tuo in Galliam adventu ſum factus certior. rediere ilicet vita, ſenſus, ratio. Maris & prædonum periculis, per Dei gratiam, ſubductus pedem jam incolumis fixiſti in ſolo, ubi ſtudioſiſſimos tui habes viros ſummos

Digitized by Google

ſummos maximoſque, qui operâ & conſiliis tuis uti in felicitatis ſuæ parte habent. Regem vides, quem juſti amor Deo, & ſubditis Belgis noſtris jungit. Ducem adis, qui Galliarum opibus, virtute ſuâ, ſtirpis avitæ & tot tantiſque majorum exemplis ſubnixus, labantem Germaniam novo Marte ſuffulcit, & ſalutare ſidus, turbulento hoc imperii ſtatu, pulſis afflictiſque populis affulget. Nos hic abſentem te proſequuti ſumus & proſequimur indies animo, votis, precibus, etiam, ut feſtivè verum dicam, poculis. Inter tot ſalutes & faventium tibi omina, non potes non eſſe ſalvus & ſoſpes. Non eſt locus morbis, ubi hos proſcribunt publica vota. Interfui cum uxore tuâ, matronâ ſupra ſexum ſagaci erectâque, nuptiis filiæ Pauli de Wilhem. Tuo (credas) ſtrepuerunt nomine menſæ: nec dubito, quin timierint tibi aures amicorum gratulationibus & benignis vocibus, quibus te non Fortunæ reduci, ſed Deo ſervatori, & tutori omnes & ſinguli commendavere. Vale, vir ſumme, & illuſtriſſimum Legatum D. Grotium, alioſque mei amantes reverenter ſaluta, etiam ampliſſimum D. Iunium, ubi Rhenum trajeceris. Duci Wiſmarienſi opto, uti ſicuti nunc eſt, præliis, bello pergat eſſe ſuperior. Tua, fratreſque omnes valent. Plurima te ſalute impertiunt Satrapa Muydenſis, collega meus D. Voſſius, Moſtartius, & liberorum meorum tui obſervantiſſima turba. Amſtelod. 16 Maji, 1638.

Digitized by Google

366.

EIDEM.

DVm tu Gallias felici itinere peragras, Vicoforti præstantissime, nos hic amicis vacamus, & feriarum dies domi transigimus non infelici quiete. Fuimus Pentecostæ festo Muydæ, unà cum lectissimâ tuâ conjuge, & amplissimo viro D. Mostartio, quò nos evocaverat Satrapa Muydensis, vir demerendis bonis natus. Etenim anni tempestas ea est, quæ occupatissimos à studiis avellere possit, & sibi totos vendicare. Illic cum essem, tibi absenti hos versiculos in convivas nostri hospitis inscripsi:

Tres sumus, hîc Muydæ, scriptor, tibi nupta, professor,
Expers ille suæ conjugis, ille suæ.
Nec patiens tibi nupta tui est. sine compare quisque
Ambulat & mediis solus inerrat agris.
It magno Leonora viro comes una, suisque
Hospitibus fato prosperiore præit.
Illa tamen nostræ dantur solatia sorti:
Tres sine conjugibus, tres sine lite sumus.

Muydâ domum reversus nuptiis interfui amplissimi viri G. Bartolotti, una cum Collega meo clarissimo D. Vossio. Invitata quoque fuerat uxor tua, sed absentia sua fefellit expectationem sponsi, sponsæque. Vis causam? non est illi plenum gaudium, te absente. Hæc nuptialis scena, si fuisses hic, & spectatorem te habuisset & actorem. Nunc magis seria tibi cordi, dum Principibus, summisque Ducibus adsuescis,

Digitized by Google

ſueſcis, quorum per Europam univerſam fama celebritaſque maxima eſt. Profecto digniore ſorte abes. Hic ſponſis fruimur placidiſſimis, illic tu bellicoſiſſimo Duce. Hic in Veneris arena caſtriſque ſtamus, illic tu in Bellonæ circo & pulvere. Hic privata amicorum res agitur, illic publica Chriſtiani orbis. Hic inter inermes convivas ſedeo, illic tu inter armatos & cataphractos. Hic de expugnandâ virginitate agitur, illic de expugnandis urbibus & caſtris. Hic Hymen lenioris belli facem ventilat, illic Mavors aſperioris & cruenti. Hic cythara, teſtudine, cantu animi manſueſcunt, illic tympanorum, tubarumque ſtrepitu & clangore ad ferociam excitantur. Illic morti præluditur quotidianis præliis, hic vitæ quotidianis oſculis. Ita diſpare fato vivimus mortales, nec eadem ubique omnes agimus. Fama eſt, Wiſmarium Ducem,

Succeſſus ſurgere ſuos, inſtare timenti,

quod de Cæſare Dictatore cecinit Lucanus. Hâc via calcat iter laudum, atque ipſis caput inſerit aſtris. Nos, licet longius poſiti, gratulamur victori & votis juvamus rerum lapſarum reſtitutorem. Nec quieſcunt Federati Ordines, qui dum Ducis tui felicitatem in lucro deputant, novâ expeditione Hiſpaniarum Infantem terrent. Auriacus jam movit. prope Sylvam Ducis copiarum coitio eſt. conſcribuntur naves vehendo militi. An in Brabantiam, an in Flandriam iturus ſit Gubernator noſter in incerto eſt. Gallorum exercitus Duce Chaſtillonio

Digitized by Google

Duyakerkam, ut ajunt, petit. ejus portum clausit Archithalassus Federatorum. Bella, ô bella, horrida bella. Sed Deo, & qui illi proximi sunt, Principibus hæc relinquo. Comes Henricus Bergius desiit vivere, & victima esse odii Philippici. Te vivere & valere cupio, & semper quo te cœlestis clementia duxerit, ire. Vale, amicorum ocelle. Salutant te amici omnes, & septenarius meus. Amstelod. 4 Iunii, 1638.

367.

PETRO CUNÆO.

ADventum tuum, & uxoris tuæ dilectissimæ per dies hosce festos avidè exspectavi, verum remoram illi injectam ab inopinato conjugis morbo, ex litteris tuis illubenter accepi. Ita facile humanis consiliis intervenit casus aliquis, & quæ proponimus facile mortales, vetat fieri μοῖρα. [*divina providentia.*] Illud tamen gratioris fuit commatis, quod desæviisse æstum febrilem scribas, & fractam morbi vim inducias dare laboranti. Eam prorsus jam convaluisse spero, & eo esse valetudinis statu, ut excurrere tecum ad nos possit, quò promissa exsolvatis ambo. Omnis ille dies festus mihi erit, quo vos videre & amplecti licebit, etiamsi nefastus maximè fuerit. N. N. in Gallias abiit, & salvus trajecit, inde ad Vimariæ Ducem profecturus, qui jam victor lapsas Germaniæ res aliquà restituit, & Austriacorum vires accidendo, Gallis nobisque non leves rerum gerendarum

Digitized by Google

rum occasiones submministrat. Donatus est N. à Rege ejus Ordinis insignibus, quem vocant S. Michaëlis. Nec petiit hos honores ambitiosè, nec oblatos ultrò repudiare prudentiæ credidit. Fui elapsis proximè feriis Muydæ unà cum amicis aliis, quo nos evocaverat Satrapa, *vir in* quo maximarum virtutum syllogen miror. Vale. 8 Iunii, 1638.

368.

JOACHIMO VICOFORTIO.

BInis te litteris à discessu tuo affatus sum, Vicoforti præstantissime, respondisti nondum. nec ægrè fero. scio pluribus tibi scribendum esse, & de rebus ejus argumenti, quod ad Philosophum non spectat. Et tamen toties te respondisse arbitror, quoties me uxoriis literis salvere jussisti. Ita perge. sufficit, si memoria mei curis tuis occùpationibusque subinde intercurset. Sic me tecum equitare, navigare, ire, prandere, cœnare fingo. Soleo diebus Sabbathis quibus tabellarius Gallicus se exonerat, domi tuæ esse, ut de te & valetudine tua reddar certior. ubi fausta omnia lætaque percepi, ridemus, gaudemus, plaudimus omnes, uxor, fratres affines, ego,

— *Amyclæis velut exultabit arenis*
Pastor, ad Idæas Helenâ veniente carinas.

Sequanam, Ligerim, Rhodanum, Rhenum, & quæ alia attinges flumina vel trajicies, pacata tibi & propitia optamus. Dignus es, cui obsequan-

Digitized by Google

ſequantur aquæ minores, & Oceani filiæ, qui Oceanum nuper conſcendiſti, ut terrarum Diis morem geras. Dignus es, cui montes, colles, rupes obviæ ſternant iter, quia nihil tam excelſum editumque, quod non modeſta animi tui magnitudo tranſcendere poſſit. Dignus es, cui valles omnes & depreſſa famulentur, cui nihil tam humile & ſubmiſſum, quod non virtutum tibi materiam uberem; & ſublimioris curæ ſuppeditet. Legiſti olim odam iſtam Horatianam: *Integer vitæ &c.* Iſtam jam tibi applica. Non eges cuſtode, cujus valetudini invigilat cuſtos temperantia. Non metuis tibi à latronibus, cui tutelare nomen eſt innocentia & probitas. Non opus jaculis, arcu, pharetrâ, qui pacis ſtudia bellis præfers, nec juſta ulla arbitraris, niſi quæ pro aris & focis ſuſcipi ſuadet imperatque neceſſitas. Comitem itineris (ita ſtatuo) habes Amp. D. Junium, & in illo comites tres, doctrinam, prudentiam, comitatem. Hæc poſtrema pro vehiculo eſt. Vectat te non ſemel equus veredus, ut celeritate caballi conficias iter, quod inſtituto jam abſolviſti. modò tolutim incedis, & ad numerum colligis equi ungulas, ut non Principibus ſolum, ſed & privatis lentè feſtinandum eſſe tuo exemplo doceas. Ita te mi Vicoforti, ſecurum tutumque præſtant viæ, comites, flumina, mare, montes. Cæterum publica quod attinet, non unius belli ſignum in Europæo Orbe erexit Bellona. In arenam prodiere magni actores, Auſtriacus, Gallus, Succus, Federati.

Digitized by Google

derati. Auſtriacus non uno Duce & loco pugnat, non uno Suecus. Gallus alibi duce Chaſtillonio, alibi duce Wimario victor pugnat. Hic poſtquam captivos abduxit Cæſareani exercitus Duces plurimos, urbes jam ſuas facit, & cladem Nortlinganam glorioſè ulciſcitur. Non poterat Gallus certius vincere, quam per Germanum Principem, nec illuſtrius, quam per Saxonum domo natum, nec fortius, quam per illum, qui Auſtriacorum terror, & fatalis tempeſtas habetur. Hic Auriacus noſter pergit ἀεισεύειν, [*optimè rem gerere,*] & grandibus auſis promovere res Federatorum. Exercitum navibus receptum ſecundo Vahali Bergas ad Zomam traduxit; partem ejus ſub moderamine Guilielmi Naſſovii in aggeres iſtos arceſque immiſit, quæ Waſiam tuentur. & jam fama eſt, quoſdam ex iis expugnatas nobis acceſſiſſe. Illud certum, S. Mariæ Caſtellum, quod aggeri *Blockersdijck* impoſitum eſt, à dicto Comite obſeſſum teneri. Timet ſibi Antverpia, timet Hulſta. Illam expugnari poſſe vix mihi ſit veriſimile, & tamen habet paradoxa ſua Imperator noſter, & res maximas præter omnium ſpem non ſemel confecit. Gallus ad Fanum S. Audomari caſtra poſuit, & mœnibus inſtat. cæſis aliquot Gallorum cohortibus urbi providit Hiſpanus à milite, pulvere tormentario & commeatu. Duynkerkam ſollicitè tuetur, ne tot noſtrorum ſpoliis famoſâ urbe excidat. Nondum inclinationem fecit Mavors, ſuſpenſo adhuc

Digitized by Google

belli eventu. ubi fecerit, gaudebo tecum aut dolebo. prius malim. Uti & hoc: Te valere & ampliſſimum D. Junium ſalvere. Salutant te conjunx tua, fratres, affines, amici complures, & inter hos liberorum meorum tui ſtudioſiſſima turba. Amſtelod. 18 Iun. 1638.

369.

PETRO C. HOOFT.

QUibus hactenus ſuperſedi, magnifice Hoofdi, jam ſtabo promiſſis. Scribam & quod non offertur ultrò, quæram argumentum. Dicam aliquid de lite tuâ, de bello noſtro, & ſtudiis meis. Naſcitur non rarò lis inter eos, quibus opes validæ ſunt, & qui de herciſcunda familiæ hereditate cogitant. Ideo Philoſophis hoc nomine pax eſt; nec Hagam excurrere neceſſe habent, qui omnia ſua ſecum portant. non male cum iis agitur, quibus Plutus forenſis controverſiæ materiam ſubminiſtrat parcius. Non opus Iudicibus aut Supremæ aut Provincialis Curiæ, quibus ſors obtigit infra mediocritatem, liberorum numerus ſupra eandem. nec citantur illi, nec citant; cauſâ nec ſuperiores nec inferiores ſunt. Te, maxime Hoofdi, invitum ſcio pertrahi in roſtra & forum, qui cum Muſis tuis loqui domi mavis, quam coram Themide de rationibus accepti & expenſi altercari. Sed his incommodis cauſæ primum bonitatem, inde patientiæ conſtans robur, denique ſpem facilioris à Curia pronunciati oppone. Bella noſtra

Digitized by Google

ſtra quod attinet, infelici nuper Marte pugnavimus. Eſt ſua judiciis & foro alea, eſt & bello, utriuſque jactus caſuſque anceps. prioris fortunam experiris privatus, poſterioris experimur omnes. Nec tamen in id diſcrimen adactæ res, ut locus ſit Lucani verſibus :

— Cadit alea fati,
Alterutrum merſura caput.

Novimus nullibi minus quam in bello reſpondere eventus. leviſſimo motu maxima cœpta eludi, parvis momentis in ſpem metumque impelli animos videas. Invaſit noſtros Panicus terror, & in fugam ſe recepere non fugati. Hæſit olim in Minturnis paludibus miles Romanus, noſter in Flandricis æſtuariis. Fatali iſta ripa non ſemel malè ſtetimus. Dixerim penè cum Polydoro :

Heu fuge crudeles terras, fuge littus iniquum.

Proverbio fertur : matrem timidi non flere, ſed hac clade multæ timidorum matres flent, ſive captivos flere libeat, ſive mortuos. Utinam per virtutem potius noviſſimum ſpiritum reddidiſſent, quam per ludibrium & contumelias hoſtium. Nunc noſtrum eſt, quæ inauſpicatò acciderunt, conſilio & prudentiâ flectere in melius. triſtibus pares quoque nos eſſe oportet, nec unius prælii eventu paveſcendum. Inter initia contra illos magis fuit, quos poſtremum reſpexit victoria. Mars communis nunc victum erigit, nunc adfligit victorem. Infirmi ingenii eſt, lapſu aliquo ſummæ rei diffidere. fortes

Digitized by Google

fortes & ſtrenui contra fortunam inſiſtunt ſpei. Quare nec exaggerari velim calamitatem noſtram, nec contemni. *clades ſcire qui refugit ſuas, Gravat timorem.* ſtulta diſſimulatione remedia potius malorum differuntur, quam mala. Tribus magnis urbibus ſimul inſtitit belli vis, Briſaco, Fano S. Audomari, & Antwerpiæ, ſed fruſtra. magnis auſis excidimus nos Galluſque federe promovimus parum. augurent alii alia. ego futurum ſpero, uti hæc clades acuat noſtrum fortitudinem, & quæ fortitudinis cos eſt, iram. quaſi in triumphum per Brabantiæ urbes miſſi captivi diſcent poſthac mortem præferre ignominioſæ captivitati. res ſecundæ negligentiam ferè, adverſæ curam creant & vigilantiam. Nunquam populo Quiritium plus fuit animi; quam cum plus eſſet periculi & malorum. Sed de his ſatis, ne ſutor ultra crepidam. Iam de ſtudiis tria verba. Nobiliſſimo Realio ſcripſi Epitaphium, flagitantibus id amicis. Sed tot tantiſque viri virtutibus non potui parem reperire orationem. Si quid minus placeat, aut frontem tibi corruget, mone & ſignifica. Te ſuaſore, mutabo quidvis. Vale, vir ſumme, & uxorem matronam ſpectatiſſimam, liberoſque patris matriſque ἐκτυπα [*expreſſas imagines*] & generoſum germen à me ſaluta. Amſtelod. 19 Iul. 1638.

370. IOA-

Digitized by Google

370.

IOACHIMO VICOFORTIO.

NVper in Gallias, è Galliis in Germaniam proficiscentem ad Ducem maximum, literis, animo, votis prosecuti sumus, Vicoforti præstantissime. Iam à Duce reducem indies exspectamus, & in iis terris coram videre & amplecti desideramus, ubi charissima habes pignora, Creusam puta tuam, fratres, & intimę admissionis amicum. Illa menses, dies, horas absentis mariti magnâ supputat curâ: & si benè calculum posui, vellet momento confici posse & negotia tua & itinerum spacia. Aliter amor, aliter Peripatus philosophatur. ille longioris moræ impatiens motum optat fieri in instanti: hæc fieri posse pernegat. Nec dubito, quin & te Belgii tui & Belgarum capiat desiderium, ubi bellorum omnis vis desæviit, & minore motu Mavors res suas agit. Post cladem Flandricam & frustrà tentatam Wasiam, nihil à nobis gestum illustre & laudabile, nihil ab hoste. Captivos nostros prętер militiæ morem durius habet Infans Cardinalis, ut plurimi mutato sacramento sub Hispano jam mereant. nec dimissurus illos creditur, priusquam apta bello anni tempestas transierit. Exasperabitur hoc exemplo Imperator noster, & de clementia fortè suâ, ubi similis casus manebit hostem, nonnihil remittet. Obsidionem Fani S. Audomaro sacri solvit Gallus, minus, ut ajunt, glorioſè. maluit lentè vinci & circumveniri, quàm non vincere citò.

Etiam

Digitized by Google

Etiam Brisaco à commeatu & armis prospectum esse per Cæsareanos constans fama est. In Insubribus Vercellas recepit Hispanus. Illud in tantâ malorum sylloge pro solatio sit, prædones Morinos in portubus suis contineri, ne grassari in inermes suo more possint. Summâ hoc agit sollicitudine Federatorum Archithalassus, ut navium, quæ in Flandrico hic illic sunt littore, egressum prohibeat. nuper aliquot egressum parantes laudabili facinore, in arenas & brevia egit, ut securus jam naviget mercator & navita nostras. In Novo Orbe Comes Mauritius insulis aliquot, quæ Portui omnium Sanctorum objacent, potitus est. Nec tamen spes est, futurum, ut Urbe ipsa potiatur, ob validum quo tenetur præsidium. Annonæ penuriâ vinci eam citius posse autumant prudentiores, quam armis. Ex Orientali India appulere naves grandiores septem, opimis mercibus onustæ. Hostem ubique invenit Hispanus vel militem nostrum vel mercatorem. bello atteritur, & mercatu. pugnat Respublica, pugnant privati, & quod publicis deest opibus, supplent civium ferè singuli. Goam Lusitanorum in Asiæ finibus metropolim classe clausimus, ne se Olyssiponem recipiant galeatæ naves. Felicius foris, quàm domi hac æstate pugnatum. non ubique pari nos vultu respicit fortuna. Illud audivisti, in Hispaniæ portu naves aliquot onerarias in potestatem Ducis Condæi cessisse, magnamque insuper armorum vim. Ita alibi de Gallo triumphat

Digitized by Google

phat Hiſpanus, alibi de Hiſpano Gallus, & diviſa belli ſorte ambo gaudent, ambo dolent. Nobis feriæ ſunt ob Caniculæ æſtum, quæ ſilere vult feſſas profitentium linguas. Hoc tempore modò in Bameſtræ agrum, modò Muydam, modò alio me ad amicos recipio, ut ab his impetrem hilaritatis pabula, quæ domi negantur. Vale vir ſumme & amiciſſime. Amſtelod. 28 Iul. 1638.

371.

PETRO C. HOOFT.

INcipiam à gratiarum actione, magnifice clariſſimeque Hoofdi, quam tuæ ac uxoris tuæ prolixæ, penè dixeram profuſæ, humanitati debeo. Solent ſaxis marmoribuſque inſcribi magnorum virorum laudes & merita. Ego recentis tuæ erga me benevolentiæ & benignitatis encomia inſcriberem iiſdem, niſi animo illa inſcripſiſſem, cujus cum immortalitate vivet in me æternum, vigebitque recordatio tantarum virtutum. Hæſi diutius apud vos, quàm oportuit. Sed detinuit me ſuaviſſima conſuetudo tot ſubeuntium in vicem amicorum; detinuit me candor tuus & inaffectata comitas; detinuit modulis ſuis, & non invita cantillatione Alcmariana Siren, aut ut magni Hugenii verſibus loquar:

Almerii ſaxque Pharoſque ſoli.

Cum Muydam irem, ibam ut eſſem lætior ſereniorque. Cum iſthic eſſem, factus ſum Aëtes alter

Digitized by Google

alter, & veluti recoctus visus mihi juvenescere. Domum reversus tot dierum felicitatem cœpi castigare curis domesticis & studiis, cum quibus in gratiam redire perquam mihi difficile est.

Non semper idem floribus est honos
Vernus, neque una Luna rubens nitet
Vultu.

Neque nos in illa suavitate & animorum diffusione semper esse expediat. Quare, reduxi me, & contraxi, contentus moderata sorte, quam Parca adsignavit. De Gelriæ obsidione nihil certi constat. Hæret in confiniis Princeps cum copiis. In exspectatione iterum tristium aut lætorum sumus. Præsidium Gelri intus validum habent, adhæc loci situs & vergens in Autumnum anni tempestas, difficilem reddent expugnationem. In Brasilia spes non levis nostros erigit, futurum ut urbe S. Salvatoris propediem potiantur. Sed hæc aliaque ex fastis hebdomadalibus intellexisti, chartulis tam ficti pravique tenacibus, quam veri nunciis. Scripsissem heri, sed non licuit per interpellationes amicorum. Vale, Vir maxime cum uxore & liberis præstantissimis. Omnes saluta, & clarissimam Tesselam, amœnissimi ingenii matronam, non unius lætitiæ datricem, discipulam meam suo tempore salvere meis verbis jube. Valete & vivite. Raptim Amstelod. 23 Aug. 1638.

Digitized by Google

372.

EIDEM.

Magnifice Hoofdi,

Iam audim ſcribere Gelriam obſeſſam eſſe ab Auriaco. hactenus dubiis ad nos rumoribus ea de re perlatum fuit. Solet fama ea quæ in votis habemus adſeverare confidentius, & quæ futura ſunt in vulgus ſpargere præmaturius. Hoſtis ad Venloam & Moſæ ripam copias colligit, ut Potentiſſimorum Ordinum & Principis noſtri cœpta turbet. Vt ſe res dant, poſſent committi exercitus, & Cardinalis priore victoria audacior prælio potius experietur, quam ut propugnaculum iſtud eripi ſibi ſinat. De Duce Bernardo ea perſcribuntur, quæ audimus libentius. Ego victoriæ momentum non ex cæſorum & captivorum numero, ſed ex ſucceſſu æſtimandum puto. Niſi Briſaco potiatur, non difficile erit Cæſari jacturam iſtam reſarcire. Scribit D. Vicofortius ex hoſtibus deſideratos mille quingentos, totidem captos & vulneratos. Inter captivos tribuni ſunt, & turmarum equeſtrium pedeſtriumque Duces plurimi. Belli ferè impedimenta omnia intercepta. Sed hæc ex litteris Vicofortii intelliges plenius & planius. Regina mater Hagæ eſt. Ejus in urbem hanc adventus in diem Mercurii aut Iovis expectatur. Redimicula & ſerta & corollas, aliaque ad ſpectacula requiſita jam confecere matronæ iſtæ ſorores, quæ à piſcibus patrium

Digitized by Google

nomen deducunt. Carmen meum, quod Tibi aliisque placuit, minus arridet iis, quibus arridere debebat. Malint Amstelodamum paupertatis suæ esse præconem, quam magnificentiæ & opum. Verum tueri me possum exemplo Iulii Cæs. Scaligeri, qui in Urbium encomiis, singulas ad eundem modum loquentes introducit. Noti sunt versus ejus in Antverpiæ laudem. Vellent DD. Coss. me aliquid scribere de Maximiliani corona, qua urbem hanc donavit. Sed longè petitum videtur hoc argumentum; nec convenientius præsenti rei excogitari posse puto, quam illud de Berecynthia. Vereor tamen ne in idem argumentum inciderint & alii, quos primùm adibit Medicea. Quidquid præter illud Epigramma conor scribere, invitâ omne Minervâ scribitur, & præ illo displicet. Vale, vir summe, cum uxore liberisque. Amstelod. Raptim 28 Aug. 1638.

373.

JOACHIMO VICOFORTIO.

Literas tuas Basileâ ad me datas accepi, Vicoforti præstantissime, veteris tui & sinceri erga me affectus testes. Ternas à me accepisse te scribis, cum præter illas miserim alteras & alteras. Scripsissem sæpius, sed excussit non semel manu calamum adversa belli nostri fortuna. abstinui à tristibus, cum quæ scriberem lætiora non suppeterent. adverso Marte nusquam non pugnavimus, nec favit hâc æstate cœptis exercituum

Digitized by Google

cituum Deus. ideo laborante publica fama, ſilui privatus. Didicimus, proh dolor, malo noſtro, Martem alium atque alium eſſe, nec victricem ſemper laurum ſuſpendere Federatorum vertici. Ita eunt res humanæ: caſtigantur ſubinde magni Principum ſucceſſus ſuis calamitatibus, ne humanis præſidiis fidamus nimium. Interim gratulamur omnes felicibus auſis illuſtriſſimi Ducis Viſmariæ, qui ſolus in Europæo orbe de Auſtriacis triumphat. Obſedimus nos Geldriam, ſed ſuperveniente ocyus hoſte ſolvimus obſidionem, capto Principis Portugalliæ filio. Venit in urbem hanc Regina Mater, Maria de Medicis, ipſis Calendis Septemb. ab ampliſſimo Senatu civibusque ea qua par eſt veneratione excepta. Obviam adventanti ivit equitum urbanorum turma, phaleratis equis decora & conſpicua. Nec enim ad pugnam ibat aut bellum, ſed ut dignis honoribus exciperetur auguſtiſſima magni Regis conjunx, trium Regum mater, è Cæſaribus maternum, ex Etruriæ Ducibus paternum genus ducens. Civium quotquot ſunt ſigna & centuriæ, in armis adeſſe juſſæ, intrantem proſecutæ ſunt. Exhibita ſpectacula plurima, erecti arcus triumphales, exploſa per urbem tormenta, quæ locis opportunis diſpoſita illuſtrem clarumque adventum fecere. Inter ſpectacula Berecynthia fuit Deorum mater curru vecta, nec non collatio Coronæ Cæſareæ, qua ex Maximiliani Imperatoris dono hæc urbs gloriatur. Neptunus adhæc

Digitized by Google

Nereidesque Reginæ in aquis adventum gratulantes : Nuptiæ insuper Henrici Quarti & Mediceæ, aliaque plura quæ longum foret recensere. Excepere eam rariore convivio Præfecti Societatis Indiæ, quæ ad Orientem mercatur. Pro ferculis fuere omnis generis aromata, quæ Aurora mittit, quorum alia sapore, alia odore, alia colore, alia omnibus simul placere poterant. Ego inter alios hunc strepitum edidi brevi Epigrammate, quod augustissimæ Reginæ, magni Henrici conjugi, trium Regum matri, Cæsarum & Etruscorum Ducum stemmate illustri inscribere ausus fui :

Qualis per Phrygias quondam Berecynthia portas
Vecta fuit, partu tot celebrata Deûm ;
Ingredere auspiciis nostram felicibus urbem,
Atque oculos per me fer, Medicea tuos.
Quos portus, quæ tecta vides, turresque ratesque,
Templaque, fortunæ sunt monumenta meæ.
Per terras fluctusque vagor : sua munera mundus
Mittit, & hic precio prostat uterque suo.
Cæsaream felix, abavo donante, coronam
Et decus à vestro sanguine grande tuli.
Ad te præteriti redeat nunc gratia facti,
Et non immemorem, maxima Neptis, habe.
Sic placui defensa tuo, Regina, marito :
Sic nato de Te Rege beata fruor.
Si majus genuisse Deos, Regesque, Ducesque,
Iam matri liceat tot placuisse Deum.

Reditum tuum exspectamus omnes exerto collo. Noli diutius nos mulctare absentia tua. Non

Digitized by Google

Non puto futurum, ut novis mandatis alio deflectas, priusquam domum veneris. Vocant te huc plurima tibi tuisque nota magis, quam mihi. Domi tuæ omnia salva. Salutant te amici omnes, quos plurimos habes & tui studiosissimos. Vale, mi optime, mi fidissime. Et *nil mihi rescribas, attamen ipse veni.* Amstelod. 16 Sept. 1638.

374.

CORNELIO BOYO.

NOn morabor tua tempora longa oratione, nam sponsus es, cui non vacat iis distrahi, quæ procul absunt à sponsæ gaudiis. Nuptias dignas te, dignas tuis virtutibus, summisque ingenii laudibus tibi gratulor, non minore aut minus sincero adfectu, quam tu amas amari à te digniſſimam. Gratum mihi fuit hoc intelligere, atque hoc unum inter tot tristia fere lætum. Debetur Iurisconsulto conjux, cui conjugum & conjugii leges probe notæ. Debetur Poëtæ; cui amor Venusque sæpius pro argumento est. Sed petis Epigramma in nuptias tuas, & ut impetres, meam in hoc officii genere facilitatem meis mihi versibus amice & suaviter objicis. Mitto disticha aliquot inter febris quartanæ, quæ me miserum habet, & glebæ Amstelodamensi affigit, symptomata nata. Ab illa si vitium labemque contraxere, contraxerunt autem maximam, tu malo vati & jam insuper male habenti imputa. Vidi & legi poëma tuum

Digitized by Google

de raptu Benjamitarum, arduum profecto & plenum majestatis. Peccatum in ordine. Nisi in Paradiso meo gesta præirent tempore, tuo poëmati primæ debebantur. In editione Cyprianicâ velim attendi ad illa, quæ correctione egere putavi. Scripsi amplissimo Catsio, quos versus & quomodo emendari cupiam. Iam vale, amicissime Boye, & sponsa tua felicissime fruere, cui ut clarissimi Iurisconsulti & vatis amores bene cedant, Deum obnixe rogo & precor. Magnifico viro, Blocklandiæ Toparchæ, socero tuo μέλλονλι [*futuro*] plurimam meis verbis salutem dicere ne graveris. Salveant quoque viri amplissimi, mihique conjunctissimi D. Sebastianus Franco Consiliarius, & urbis Dordracenæ Senator dignissimus Beverovicius. Raptim Amstelod. 6 Octob. 1638.

375.

IOH. ISACIO PONTANO.

Historiam tuam Gelricam, celeberrime Pontane, lætis ac gratis animis exceptam esse à Gelriæ Proceribus utique tibi gratulor. Digno profecto & honesto honorario prosecuti sunt labores tuos, si vera sunt quæ ex amicis accepi; licet tantæ industriæ tamque consummato operi vix respondere possit publica liberalitas. Me quod attinet, non merui exemplar, quod mihi destinas, pro misso carmine. Exoscŭlabor illud ubi miseris, & simul eruditionem tuam, & diffusa latè scientiarum spatia tacitâ

Digitized by Google

tacitâ animi veneratione recolligam. Fuit hic Henrici Quarti Galliarum Regis conjunx, Maria de Medices, magnifice & splendide à Magistratu excepta. Hanc pompam & festivitates publicas brevi historia superiorum jussu conscripsi. Mittam, ubi prælum effugerit. Ab ejusdem Mediceæ generosa humanitate fluxit, quod effigiem suam, cui pingendæ sedentariam moram rarissime commodat, Ampp. Coll. promiserit. Hæc ipsa jam imagini invictissimi Imperatoris Caroli V. Mariæ proavunculi, Provinciarum Belgii olim Principi, lateri in Senatoria domo æternæ memoriæ destinatur, cum hac mea subscriptione:

Sic ivit nostram grandis Medicea per urbem,
Sceptrorum mater suspicienda trium.

Vale, 10 Ianuar. 1639.

376.

CONSTANTINO HUGENIO.

HEsternam vesperam inopinato tuo adventu lætiorem mihi reddidisti, nobilissime Hugeni. Totam noctem dormivi securus, quam alias cum morbo & domesticis curis soleo dividere. Solis officium videris mihi præstitisse, qui Fovet & Discutit: quod Ducis Alenzonii fuit symbolum. Redeunt ad te versus tui graves, pii, eruditi, qui sacro clarissimi scriptoris operi facem præferent. Posui censuram, aut potius sententiam meam? dicam quod res est. In Epigrammate omnia sana sunt, argumentum,

Digitized by Google

dictio, numeri, genius. In censore laborant & vacillant valetudinis & ἐυεξίας [*bonæ habitudinis*] momenta penè omnia : actiones, partes, spirituum vis, sanguis, aliaque. In carmine tuus es, & recto stant omnia talo. Censor nondum suus languet, dum divinæ auræ particulam in societatem mali trahit febrile contagium. Vtar tuis verbis : Summa tua manus hic quasi prima fuit. Merum manna fundis, panem Cœli & Parnassi. Cœli, quia pia loqueris, & sanctitatis rore tinctos sensus effaris. Parnassi, quia poëticè illos ipsos effers, & Apollinem Musasque ea phrasi loqui facis, quam olim in mediâ Phocide ignoraverunt. Totus sacer es & minime plenus. Sudavit hic non minus pietas tua, quam in grandi opere magni Heyniadæ. Hoc est, mî Hugeni, convenientia scribere & apta τῇ ὑποθέσει, [*argumento,*] non delphinum appingere sylvis, aut fluctibus aprum. Valde apposite precaris, ne Zoili leonis ungues sentiat hic Daniel, plurium enim judicia experietur. Sed tutus est varia eruditione, & præsertim Græca Ægide hic Palladis alumnus. Et si bene calculum posui, non patietur se in speluncam Leonum vel à Regibus, hoc est doctorum principibus, detrudi, sed causam dicet teste die & sole. Nec desunt huic Danieli ungues, quibus se Leonum unguibus opponat, ut citius Samsonem futurum putem aut Herculem, leonum domitorem; quam Danieli isti similem, qui non nisi divina ope protegi potuit. Vale, vir maxime,

Digitized by Google

me, & Barlæum tuum constanter, ut facis, ama. Nobilissimos Dominos Mylium, Thienhovium, & Catsium, ubi occasio feret, saluta. Raptim Amstelod. 20 Ian. 1639.

377.

JOACHIMO VICOFORTIO.

PEdem unum in cymba Charontis habui, nobilissime Vicoforti, amicorum ocelle, è qua me præter spem retraxit divina clementia. Adeò me per quadrimestre afflixit & attrivit, gravissimis paroxysmis, pertinax quartana, ut fractis omnino viribus, plurium judicio deploratæ fuerim salutis. Sed erexit me inter febres & febrium symptomata & liberorum amor, à quibus avelli durum parenti videbatur, & perpetua tui memoria. Putabam enim injuriam mihi fieri à fatis, si ante tuum reditum hinc migrarem. Etenim longa tua absentia non solum conjugem tuam dilectissimam & fratres germanos mulctas, sed & me, qui pro adoptivo fratre haberi possum & cupio. Vide quales quantasque ex amicitia nostra colligam conclusiones. Scripsissem N. T. sæpius, sed lectulo diu affixus non fui par solitis officiis. Senas ad te dedi litteras; an omnes in manus tuas pervenerint, utique nescio. Nunc immunis à febre per Dei gratiam tibi litterulis meis iterum obstrepo. Ægrum adhuc & languidum traho corpusculum, ut non nisi tremula manu hæc ipsa scribam. Nondum progredior foras ob frigus & metum recidivæ. Gaudium ob ca-

Digitized by Google

ptam, post longam molestissimamque obsidionem, Brisacum, non Germanos solum & Gallos victores, sed & longius positos Batavos affecit, & inter hos me quoque, qui gratulabar N. T. ea te tempestate & rerum facie, Ducem maximum accessisse, qua virtuti ejus felicior fortuna respondit. Ingenti se gloria involvit, & totius Europæ applausum meruit, ut qui solus hac æstate belli famam cum laude sustinuit, & toties de hostibus suis triumphavit, idque exigua militum manu, qua potiores numero Austriacos exercitus contudit, fugavit, vicit, tandemque invictam urbem inter tot discrimina, post tot hostiles insultus, media bruma ad deditionem compulerit. Te, mi Vicoforti, tantæ victoriæ testem & nuncium ad Galliarum Regem ab addictissimo tibi Duce missum lubens intellexi. Hæc legatio uti tibi tuisque gloriosa est, ita, si bene calculum posui, honestis quoque te commodis beabit. Inter Musas & elegantiora studia enutritus prosecutus es Aquilas, belli præmia, & pacis Phœbique alumnus turbulenti Martis opima spolia suspendisti in templis. Quantum mutatus ab illo, qui mecum familiarius deambulare, & de studiis sermones habere solebas. Obiit ante sex hebdomadas Academiæ Leydensis grande decus & lumen D. Petrus Cunæus, cognatus meus, ex febre, quæ in Zelandia ipsum corripuit, & jam valetudini pene restitutum recollectis viribus exstinxit. Vxor simili febre correpta, & mœrore contabescens

hesterno

Digitized by Google

hesterno die mariti manes comitata fuit, & ingens sui desiderium apud quinam prolem reliquit. Inter hæc amicorum meorum funera, parum abest, quin & ipse funus fiam. Scripti historiam publicæ gratulationis, qua serenissimam Reginam, Mariam de Medices, excepere Senatus populusque Amstelodamensis. Ea sumptibus publicis, cum imaginibus & iconibus, apud Blaeuwium excusa jam jam lucem videbit. Exemplaria aliquot vestita magnifice in Angliam abeunt. Nec dubito, quin in Galliam quoque ad Regem & Cardinalem missuri sint Coss. nostri. Ego exemplar N. T. & illustrissimo D. Grotio mittam. Opusculum hoc invita Minerva, & gliscente indies febrili æstu scripsi, hoc est minus serenus. Itaque veniam dabis, si Reginæ causam & honores, minus erecta & sublimi dictione exequar. Scripsi rogatu eorum, quorum postulata sunt imperia. Vale, vir dilectissime, ac Barlæum tuum, dum isthic es, eorum favori insinua, quos humaniorum artium novisti esse præsidia & solatia. Amstelod. 20 Ianuar. 1639.

378.

ADRIANO PLOOSIO AB AMSTEL.

Nobilissime vir, Patriæ nostræ publicum, & litteratorum privatum decus. Tota hac æstate elapsa nihil ad te litterarum dedi, nihil etiam hac hye-

Digitized by Google

hyeme. Æstas, quæ lætitiæ mihi argumenta suppeditare solebat, tristibus tragicisque bellorum motibus funesta nobis fuit & feralis. Primum infelicius pugnavimus ad Scaldis ripam, mox cum Sicambris. Clade nostrorum dolui, nec concoquere potui, nostra magis negligentia vecordiaque victisse hostem, quam virtute sua. Levissimo motu magna cœpta eludi videmus, parvisque momentis in spem metumque impelli animos. Ea res mihi scribendi materiam subduxit, & animum pene expectoravit, ut officia, quæ amicis & præclare de me meritis viris debebam, intermiserim. Per hyemem vero, ob adversam valetudinem. Ex amplissimo viro D. Petitio cognovi filium tuum secundo genitum, magnæ exspectationis juvenem fatis concessisse in Galliis. Solatia vis suppeditem? ea à moriendi necessitate, à divinæ providentiæ arcanis consiliis, à resurrectionis spe, à vitæ hujus incommodis & tædio peti solere, non ignoras. Faxit Deus, ut quæ cum morte in illo exstimata sunt magnarum virtutum semina, in aliis filiis resurgant, & ad maturam frugem adolescant. Vale. Amstelod. 1639.

379.

JOHANNI UTENBOGARDO.

Reverende, doctissimeque senex,

Nescio an congruum tibi mittam munusculum, cum Mediceam Hospitem mitto: nempe discursus ludicri & festivitatis, ac pompæ

Digitized by Google

pæ triumphalis apparatus omnis ad te venit, una cum imaginibus & iconibus, quæ caligantibus tibi præ senio oculis graves fortasse erunt & molestæ. Debebam res sacras tibi mittere potius, & sermones legales vel Euangelicos, eaque verba apud te loqui, quæ senectutem Christianis solatiis suffulciunt, & fatiscentes ætate annos divinis meditationibus erigunt. Scio te talia meditari & scribere, & animæ tuæ medicinam petere à cælestibus eloquiis. Anhelat illa ad Deum, & Servatori suo Christo propius jungi desiderat. Quare dum moratur hic & adventum suum differt, tu orationibus piis & sanctis migrationis tuæ ex hoc vitæ curriculo moras lenis, & ævi hujus acerba edulcas Christianæ pacis monitis solatiisque. Quæ cum ita se habeant, illud rogo, ne hæc mea legas, nisi quando spiritus tristior egebit aliquo jucundiore diverticulo. Non est Deus voluptatis honestæ hostis, cui totum hunc Orbem & mille in eo modos aperuit. Et si Reges Reginasque suæ in terris potestatis gloriæque participes esse voluit, non erit à virtute & pietate alienum ea legere, quæ in gratiam Majestatis Regiæ S. P. Q. Amstelodamensis fecit, & publice visenda exposuit. Scio etiam non esse tibi morosam senectute, nec adspernari te subinde minus tetricas voces amicorum. Ideo audeo benevolentiæ tuæ hasce paginas inscribere, ne memoriam pristinæ tuæ erga me benevolentiæ & humanitatis exoleviſſe credas. Lege, & quæ displicent,

Digitized by Google

plicent, uti catapotia ſolent nauſeantes pueri, exſpue. Vale. Amſtelod. 1639.

380.

CONSTANTINO HUGENIO.

Literæ tuæ, nobiliſſime Hugeni, ipſo æquinoctio verno ſcriptæ, mihi traditæ ſunt ſole æquinoctium egreſſo. Nec enim ea parte cœli, quâ ſe mutuo decuſſant magni circuli & crucifigitur Phœbeia lampas, morari diu amat. Non poteras commodiore anni tempeſtate tam præclara ſcripſiſſe, nec ego tam chara ingenii tui pignora accepiſſe. Scripſiſti æquinoctio ea, quibus æquaris clariſſimis ſeculi noſtri ſcriptoribus. Scripſiſti æquinoctio, quæ noctem omnem & tenebras faſtidiunt. Scripſiſti æquinoctio, quæ raptæ in ſublimia, in Cancri chelas, & eccentrici Solaris evectiſſimum Zenith, mentis tuæ ſolſtitium arguunt. Æquinoctio Sol omnibus mundi populis lucem & tenebras pari menſura dividit. Hoc ipſo, tu Zulecheme, & luctus tui, quem tenebras voco, conſcia mihi mittis carmina; & ſimul ſolatiorum tuorum, quæ lucem interpretor, luculentos theſauros. Æquinoctio Sol veterem annum orditur. Tu hoc ipſo tempore veterem amicitiæ telam retexis, miſſis ad me eruditiſſimæ epiſtolæ ac optimi poëmatis radiis. Æquinoctio reficit Sol, quos afflixerat triſtior bruma. Me, quem maligna pertinaxque febris attrivit per hyemem, tu literarum tuarum verno tepore refocillas, & mortis umbræ

Digitized by Google

bræ ſubductum huic ipſi æquinoctio fovendum reddis. Aſcendit altius cum Ariete Sol, & tu cum Phœbo & Pallade. Piſcium madorem frigusque effugit idem; & tu in ſtellas cum Stella tua abreptus pituitæ frigorisque peſſimam χρᾶσιν. [*temperiem.*] Æquinoctio verno creatum mundum plurium ſententia eſt: & illo tu me cenſorem mundiſſimorum tuorum carminum creas. Tunc inter tot creaturarum exercitus creatæ ſtellæ. Nec alia tu anni parte Stellam tuam, ſidus tuum, cœlo locas. Sol caloris tunc incrementa capit, & tu novas validasque in carmina vires. Ille renaſci mundo videtur, & Tu poëtarum ordini. Æquinoctio Sol ſe medium inter Auſtrum & Septentrionem dividit, & tu hoc ipſo die inter aulæ & amicorum officia medius incedis. Inter Arietem & Taurum cornupetas gyros ſuos jam conficit Titan. Tu hoc ipſo tempore bella, quæ inter cornupetas Principes vigent, militem ex hybernis evocando promoves. Non poteram ego aptiore ſidere illa tua de Suſannæ ſidere accipere & legere; quàm quo medius inter decidentiæ & convaleſcentiæ (ut cum Medicis loquar) ſtatum verſor, uti Sol inter adſcenſus ſui & deſcenſus hemiſphærium. Sed ut cum Phœbo æquinoctio exeam; quam tu es mi Hugeni, rigidus nominum tuorum expunctor. Si ſic rationes ſuas ſubducerent mercatores noſtri, non frangerent rem, nec neceſſe haberet Horatii Damaſippus operam Sapientiæ ſtudiis navare, poſt opum ſuarum

Digitized by Google

ſuarum inſigne naufragium. Non vis quicquam mihi debere. Pro carmine carmen, pro epiſtola epiſtolas, pro libro libros poëmatum tuorum remittis, opera elaborata, ſeria, vitæ mortisque piè eruditæ paradigmata. Et hæc tu pro modeſtia tua paleam vocas & feſtucam Prætoris, & ea deprecias, quæ ut maxima admiramur. Qui ſtuporem aliorum animis inducit luctus, tuo facundiam extorſit. Qui ἐγκεκομμένοις ῥήμασι, ſive tertiatis verbis loquitur dolor, te ore rotundo loquentem facit. Egeritur tot linguarum, quas calles, præſidio mœror, quem lachrymæ in aliis explent. Nec debebat una lingua præfica eſſe matris tot virtutibus præditæ. Græca, Latina, Itala, Belgica, Gallica, maſcularum gentium idiomate cani à te meruit, tot maſculorum marium parens. Et horum ſchediasmatum, ut vocas, me cenſorem eſſe cupis, qui cenſuræ talis officio aliorum cenſuram incurrerem. Non opus cenſore, ubi ad amuſſim & normam omnia exacta. Et quis ille tuus calamus? qui & Martem ciet & Muſas, qui militem conſcribit & imbelles verſiculos ordinat ad cædes evocat cohortes & ad otia Phœbum. Dura loqueris & mollia, horrenda ſcribis & flenda, publica & domeſtica, Bellonæ juſſa & Palladis. Opera in dies præſcribis tibi & virtutum exemplo præis omnibus. Pharos es & cynoſura & Helice, quam ut ducem recti ſequi habemus. Velut Ariadnæ filo vitæ hujus labyrintho & erroribus nos expedis. Maxime Hugeni, talia ſcribendo patriam

Digitized by Google

patriam universam & quotquot pietatis ac doctrinæ sunt amantes, tibi devincis, & debendi reos habes, quotquot animas suas cœlo devovent. Redeunt ad Te Iambi tui diserti, faciles, eruditi, pii. Fulgebit iis Stella tua inter cœlites & nos inferos. Donas famæ immortalitate, quam vitæ beatioris immortalitate donavit creator Deus. Ad istam tuam Stellam ut serus accedas, neve te nostris vitiis iniquum ocyor aura tollat, faxit idem. Vale nobilissime, clarissime, & amicissime Hugeni, & valetudinis meæ eam esse rationem crede, ut lectionibus publicis sufficiam, aut scribendo carmini vel epistolæ, sed non palæstræ, non curriculo, non cæstui, non disco. Amstelod. 26 Mart. 1639.

381.

GUILIELMO BORELIO.

Amplissime Boreli,

Ex morbo per Dei gratiam convalescens, cepi cum Musis in gratiam redire. Primitias valetudinis Amplitudini Tuæ consecro; qui enim laborantem non semel invisere, qui Christianis solatiis, & vocibus insuper boni ominis erexisti languescentem, fructum jam aliquem refeci (si modo fructus dici possit officiosa Poëtæ loquacitas) humanitatis tuæ & officiorum, quæ immerito præsticisti. Vtinam in me dignum aliquid, tuisque virtutibus aptum reperire possim, quod devinciendo Tibi conveniens sit. Ab his bonis licet imparatus, testabor gra-

Digitized by Google

titudinem solâ tuorum erga me meritorum confessione, & quæ meæ sunt facultatis explicabo in Te, qui optimæ ac benevolæ voluntatis documentis pluribus me prævenisti, nec cessas eos mihi conciliare, in quorum manu privatorum positæ sunt fortunæ. Nihil dicam ultra, ne videar currenti calcar addere, & tuo in me affectui movere controversiam. Pauculos hosce jambos lege, & benigne interpretare. Aliis alia largitus est Deus, mihi pauperis Camœnæ tenuem spiritum indulsit. Vale, cordatissime Boreli, & sine ut in amicorum Tuorum coetu nomen quoque meum inveniam. Amstelod. 4 Non. Apr. 1639.

382.

PETRO C. HOOFT.

Nobilissime Hoofdi;

Hoc epitheto Te compellant intus literæ meæ, alio foris. Scio nobilitatis & quidem equestris insignia Tibi collata esse à Christianissimo Rege, ideo nobilissimum virtutibus & regali suffragio alloquor. Sed cum literæ hujus rei testes, una cum pendulo Michaële & Draconе nondum, quod sciam, in manus tuas pervenerint, nolui huic epistolæ recentem, ac insolitam summæ dignitatis appellationem foris inscribere. Ubi fidem rei fecerit manus regia, isto mihi & amicis omnibus nomine compellaberis, magna fiducia & propensissimo affectu. Pluribus iste honos splendorem adfert minus suâ luce splendidis. Quin gravis est iis Domi-

Digitized by Google

Dominis, quibus fortunæ magis felicitate obtingit, quam suo aut suorum merito. A te ordo equestris splendorem capit; nec gravis hic est viro, ob eruditionis, facundiæ, muneris, & parentum, suaque erga Patriam & Rempublicam merita illustrem. Accedit, quod Galliam universam & maximi Regis Henrici IV manes Tibi singulari scripto devinxeris, & immortali famæ donaveris Borbonicæ domus bellicosissimum Principem. Non fecit Te nobilem Gallia, sed declaravit. Fuisti dudum opere & studiis, quod nunc es Augustissimi Regis Lodovici testimonio. Mihi verò, Vir dignissime, tanto nobilior crederis, quanto pulchrius est, parari nobilem, quam creari:

— perit omnis in illo
Gentis honos, cujus laus est in origine solâ.

ait ad Pisonem Naso. Inito inter Franciscum I. Galliarum, & Henricum VIII Angliæ regem fœdere; Franciscus in Equitum aureæ periscelidis ordinem receptus est, Henricus in ordinem D. Michaëlis. Vt jam honoris hujus titulum communem habeas cum Regibus. Ita dum in aliis generis fulgor desinit, à Te incipit. Vnum peto, ut qui extra conditionem poneris civilis ac popularis fortunæ, amicos tamen & inter hos me, cultorem nominis tui ac virtutum serium, prioris fortunæ cancellis includas, & amare pergas ob candorem & literarum studia, qui N. T. ex animo hoc adblandientis purpuræ lenocinium gratulatur. Vide, quam captem,

Digitized by Google

mî Hoofdi, tibi scribendi occasionem. Dum nihil agunt Reges, Infantes, Celsitudines, Duces, in amicorum sortem & felicitatem privatam diffundo sermonem. Quem in adversâ valetudine sensi fidum, & in omne, quod ægro præstari potest, officium pronum; jam prosperiore valetudine Dei frueris beneficio, affari amo verbis non, ut ante, tertiatis, aut, ut Græci vocant, ἐγκεκομμένοις. Cognatus tuus nobilissimus D. Vicofortius è Westphalis salvus sospesque domum rediit. Hamburgo visendæ sororis causa venit soror uxoris D. Vicofortii. Arcem tuam Muydamque, superbi Ilii minus æmulam, ante abitum suum cum amicis videre cupit & gessit. Clarissimus Vossius collega meus, postquam febre tertiana ipsum expediit Deus & medicina, colico dolore miserè excruciatus fuit. Ab hoc immunis calculo renum laborare cœpit, tot eruditarum animarum domestico tortore. Iam meliusculè, per Dei gratiam, habet, & cum libris rediit in gratiam. In Daniam moderandis ac mitigandis, quæ exigit Septentrionis necessitas, vectigalibus abibit non Consul Bickerus, uti opinio fuit, sed amplissimus D. Albertus Conradi Burch, & Abelus Coenders Groeninganus. Princeps Auriacus exercitum propediem educet. Eduxit, aut in procinctu est ut educat, Galliarum Rex. Infans Cardinalis castra movisse creditur. Bella, ô, bella horrida bella! Dux Wimariæ sub communibus Galliæ Germaniæque signis, Ba-

Digitized by Google

Banierius sub Sueonum Leone feliciter adhuc militant, non invito me, nec Te invidente. Vale, Vir nobilissime, ac doctissime, & D. Hoofdiam filiasque, & filiolum honoris novi consortes ac hæredes à me saluta. Amstelod. 18 Maji, 1639.

383.
IOHANNI HELMONDO.

Præstantissime Helmonde,

Silui diu, quia loqui, nedum scribere vetuit pertinax quartana, quæ debita amicis officia malo more interrupit. Iam per Dei gratiam mihi restitutus, restituor tibi, restituor Musis, restituor Scholæ. Cum Lugdunum abires ad erectioris doctrinæ celebre forum, prosecutus sum te litteris meis, & ultrò properanti monitis suavibus subdidi stimulum. Nunc è carceribus Iurisprudentiæ missus stas in meta, ubi palma decernitur victoribus. Eruditionis tuæ ac virtutum præmia exspectas; nec fallet vota tua Senatus Academicus, tantarum rerum judex arbiterque. Tempus fuit, cum vix prætextam exutus ex ore meo penderes, Aristoteli & sapientiæ horas tuas locares, rationalem, naturalem, moralem Philosophiam omninò animo comprehenderes omnis disciplinæ capaci. Postea in Themidis adyta admissus, veteris ævi jura perlustrasti, per Imperatores, Instituta, Digesta, Codicem, Novellas cupidam veri mentem circumduxisti iis progressibus, ut jam de pileo

Digitized by Google

cogitet & modesta tua ambitio, & Iustitia ipsa, quæ suum cuique, etiam honorum insignia, distribuit. Dum ergo in procinctu es, ut publicè tibi applaudat Arausionum Schola, urbs tibi patria, consanguinei omnes, & amicorum quisque, nolui silentio solus in te peccare. Testis ero, quamvis fortè absens, tui & laboris & honoris. Versiculos lusi in futuræ promotionis publica insignia, tum ut animos tibi addam ad alta omnia contendenti, tum ut mei erga te tuosque affectus leve hoc documentum seponam, in id tempus, cum tempestivum erit illud depromi & legi. Vale, Iuvenis præstantissime & amicorum ocelle. Deus Opt. Max. ingenio tuo robur, doctrinæ incrementa, modestiæ, humanitati, & in me præceptorem amori vim largiatur. Amstelod. pridie Non. Iun. 1639.

384.

IOACHIMO VICOFORTIO.

Nobilissime Vicoforti,

Sto ad Rheni ripam, inter Romanorum castra & arces: illud sæpe cogitans, non minus regnis imperiisque, quam fluminibus sua esse divergia. Non idem ubique, qui fuit olim, Rheno est alveus, nec eadem hic imperii facies, quæ fuit sub Quiritium Imperatoribus. Ignota jam hic Romanorum nomina, & cum fluviis retracta & accisa, imò abolita illorum potestas dominiumque. Tenemus Ordinum titulo eas terras, quas alio possedit Latium. Fruor hic eo

aëre,

Digitized by Google

aëre, qui sereniori menti convenit, & nebulas animi discutit, & quidquid torpidum est ac segne & remissum erigit, excitatque. Fui Hagæ-Comitis, ubi, absente Domino, lustravi ædes Hugenii mei, ad Vitruvii leges exstructas. Vidi atria quadrata, gradus conscendi laxos commodosque, sphæras adhæc quatuor fumariis altè impositas, quibus fumum suum aulæ exprobrat industrius conditor. Vidi hortum, ob loci situm, in triangulum malè coactum, equorum etiam stationem, cellas promas & condas Cereris ac Bacchi, Musæum eruditæ pueritiæ sacrum, quibus visis dicebam mecum:

Hæc sunt Nassovii bene nata palatia Scribæ
Fultaque non unâ nobilitate domus.
Digere, Vitruvi, lapides & saxa; perennem
Quod facit hanc, in se maximus Hospes habet.

Etiam, cum isthic essem, conspexi surgentia culmina Comitis Mauritii, qui dum in Occidente militat, in Septentrione ædificat, & gloriæ suæ commodisque receptaculum parat illustre. Prætorium Principis, quod Ryswici est, vidi attonitus, & Arausionensis magnificentiæ monumentum grande oculis usurpavi. Respondet sumptibus opus, & operi sumptus, quæ virtutis istius prima & ultima lex est. Hinc digressus Lugdunum Batavorum, veterem Musarum mearum sedem, viros doctos compellavi, non unius illos indolis & genii. Exceptus fui magno apparatu à generosissimo D. Barone Kinsky, qui

Digitized by Google

in valetudinem tuam inquisivit studiosius. Volebat me prandii sui consortem, sed cum dentes addixissem alteri, dolui non posse me iisdem maxillis apud plures edere. Iam apud magnificum virum D. Schonckium versor, ubi cum arboribus & plantis incrementa capiunt prædia ipsa, & villæ magna accessione auctæ. Inter has voluptates, gaudia & festivitates, risus ac jocos amicorum, illud dolori est, quod tuo me adspectu mulctet presens fatum, & felicitatem meam flagellet amicitiæ tuæ dura ἐκλείψει. [*intermissione.*] Heri apud Amplissimum D. Surckium cum Satrapa Muydensi & D. Hoofdiâ pransus sum. Cras Illustrissimum D. Camerarium invisam, qui me Alphenum per filium humanissime invitavit. Sic postquam per omnium hominum ordines circumduxero feriantem animum & curis omnibus expeditum, ad lares meos & Te, virorum cordatissime, cum bono Deo sub finem hujus hebdomadis revertar. Habes periodum degressionis meæ, & itineris historiolam. Salutationum, quibus te hic illic salvere jubent viri gravissimi doctissimique, fasciculum explicabo coram. Vale, Vir nobilissime & amicorum ocelle. Raptim Coudekerckæ, 13 Iun. 1639.

385.

IACOBO MÆSTERTIO.

Clarissime vir,

Non alio fine filium meum Leydam misi, nisi ut ex ore tuo sanioris Iurisprudentiæ theses

Digitized by Google

theſes hauriret. Famâ quippe nominis tui & induſtriæ excitus, lectionum tuarum ac diſputationum accuratiſſimarum incredibili amore flagrabat: & ſenſit me hac parte facilem, cum Tuæ erga me humanitatis & erga plures benevolentiæ victus conſcientiâ, Tibi charum hoc mihi pignus conſecrare jam pridem in animum induxerim. Maximo viro D. Cunæo, cognato meo, ſucceſſiſti dignus Atlas, facemque præbes ad Themidis adyta ſtudioſæ juventuti. Tua laus eſt ἀεὶ ἀριστεύειν, [*ſemper bene rem gerere*,] non addam reliqua, ne modeſtiæ tuæ gravis ſim. Præveniſti me non uno beneficio, dum & filium ad lectiones tuas admittis ἀσύμβολον, [*nihil conferentem*,] & doctrinæ tuæ recenti fructu patrem filiumque beas. Mearum partium eſt cogitare, qua ratione tot me liberem nominibus: obſidem habes ſobolem, quæ dum ſub te proficit, patrem velut perpetuâ tibi obſtringes Emphyteuſi. Inſtitutionibus ſub doctiſſimo D. Corvino hic initiatus, togam ſub te affectat. Faxit Deus, ut quæ mediocria in illo ſunt bonæ mentis ſemina ad maturam aliquando frugem adoleſcant. A me vitæ hujus uſuram habet, à te melioris exſpectat. Nos quod naturæ eſt contulimus; tu culturam adde, & ſolidioris doctrinæ maſculam faciem. Ita tibi faveat clementiſſimum Numen, faveat erectior Aſtræa genius, & felix te præceptore juventus. Vale, Vir clariſſime, & me tibi addictiſſimum redama. Munus tuum exoſculatus ſum, & gratias tibi

Digitized by Google

maximas dici cupit Collega meus, clarissimus Vossius. Amstelod. 25 Iun. 1639.

386.

PETRO C. HOOFT.

ERysipelam tuam jam deferbuisse prorsus spero, celeberrime Hoofdi, ut purgato jam à biliosis succis corpore, valetudinem posthac Tibi solidam, & omnis noxæ nesciam polliceri audeam. Nec expedit profecto alium te esse, ut qui te totum amicorum officiis indesinenter impendis, qui uno ore omnes Te, ut alterum Romanorum Lælium, vel Atticum, viros χαριεντας, hoc est, gratiosos, amant & venerantur. Hæsit diu inter Typographorum, mox Bibliopolæ manus versio Mediceæ Vondeliana, ad quam etiam suffragium tuum, & Prætorias voces sermonis Belgici Dictator contulisti. Volebam exemplar hoc ipse tradere magnificæ tuæ heroinæ, cum hic esset, sed moræ operariorum impedivere, ne facerem, quod intenderam. Iam per nautam submitto munusculum chartaceum, quod ut benevolæ suæ manus contactu dignetur excellens matrona, supplex rogo. Non peto ut legat, ne nugis terat tempus, quod penatum sibi vendicat propior cura. Farre litant, mi Hoofdi, qui thura non habent. Quæ me valetudinarium & convalescentem, & pristinæ valetudini per Dei gratiam redditum invisit sæpius, fovit, & veluti mater sollicita nutrivit, sermonibus suavissimis, bellariis in gratiam

Digitized by Google

gratiam delicatioris palati, imo aulicæ culinæ invidiam conditis, totâ Pandorâ honorari meruit. Verum cum hæc Deorum munus sit, non hominum, do malè natum & inter febres scriptum libellum, quo festivitates Mediceæ describuntur. Has κτῆσιν [*possessione*] sibi habeat Leonora tua. Χρῆσιν [*usum*] filiabus suis, Susannæ & Constantiæ, lectissimis virginibus indulgeat. Abundant illæ otio, & dum hæc legent, ferias sibi indicent ab amasiorum attentâ cogitatione. Hesdinum in potestatem Regis Christianissimi cessit 29 Iunii. reperta in urbe tormenta bellica 54, dimissi præsidiariorum mille & quingenti. Rex ipse urbem tenet futuram belli sedem. Quæ inter Anglum & Scotum viguit sacra lis, composita est, maximi optimique Regis stupendâ facilitate. Actæ in templis Deo publicæ gratiæ. Vale, Vir clarissime & cordatissime, & me favore tuo & blandissimæ uxoris porrò involve. Amstelod. 9 Iul. 1639.

387.

Serenissime Principi

BERNARDO, SAXONIÆ DUCI,

Exercituum Federatorum Regum ac Principum, in Germania summo Præfecto.

FAcit rerum à Te gestarum magnitudo, Sereniſſime Princeps, ut etiam longius positi in laudes tuas abripiantur, qui Celsitudinis Tuæ fortitudini ac divinæ felicitati ex animo gratu-

Digitized by Google

gratulantur. Ad Rheni fontes bella moves, & eorum grandi fama Orbem Europæum imples. Nos circa Rheni ostia armorum Tuorum strepitu & clangore exciti, reflectimur in Te læta acclamatione. Idem fluvius & Te authorem habet maximorum facinorum, & me testem, Te victorem, me præconem. Vrbes capis, nos captas loquimur; arces expugnas, nos expugnatas prædicamus; regna imperiaque Austriacorum Tua facis, nos armorum jure tua esse publicè fatemur. Et quamvis perfeciſſe ea majoris sit operæ, quam celebrasse, tamen & suum est celebrantis Poëtæ momentum: & posteritatis interest, nosse majorum gesta, prælia, triumphos. Nulla secula virtutum suarum vatem sprevere. Modestas laudes Regum Principumque generosa magnanimitas admisit semper, & illa dici non ægrè permisit, quæ gessisse glorioſum fuit. Tuis bellis, Excelse Princeps, natalium Tuorum splendor, proavorum virtus & celebritas ingens adfert autoramentum. Qualis natus es, talis vivis. Origini tuæ respondes militiæ gloriâ, & Witikindi Regis infractum animum præstas Germanis tuis, quorum tutelam & vindicias, partes putas à summo Deo Tibi concreditas. Vrbem Brisacum aggressus es, opere, milite, loci situ munitissimam & oportunitate inter Elsatiæ primas. Aggressus es cum modicis copiis, & paucis mensibus claudis, oppugnas, capis. Quæ hæc vis animi, vel benignitas fortunæ? Vtraque adfuit, & illa ut auderes dedit, hæc ut posses. In

una

Digitized by Google

una ista urbe animos tuis sociisque addidisti, hostibus ademisti. Ex eo Burgundiæ urbes plurimas invasisti & pervasisti, & non audenda ausus Germaniæ margines latè tenes, ut in interiora hostium tutius penetres. Tibi, Dux consideratissime, hos lauros, hæc trophæa, poëticâ hac Panegyri suspendo, quam ut benignæ manus Tuæ contactu digneris, supplex rogo. Parem summis meritis orationem si non reperi, cogita, non semper Iovi hecatombas offerri, sed & gratum esse tenue libamen, ab humili paroque adfectu profectum. Faxit Deus Opt. Max. ut quæ bella inchoasti fortiter, indies promoveas alacriter, Christiani orbis ac præsertim Germaniæ Tuæ bono consummes feliciter, & quam poëtis pacem impetrare nequis, victricibus armis extorqueas, Ita vovet

Serenissimæ Tuæ Celsitudinis

cultor humillimus C. BARLÆUS.

388.

PETRO C. HOOFT.

Nobilissime Hoofdi,

Scripsi aliquando, Poëtices studium scabiem esse cum perpetuo pruritu conjunctam. Quid alii statuant, equidem nescio. Illud sentio, ut ut maxime velim Musis meis indicere silentium, loquacissimum tamen me esse, & nihil minus, quam Silentiarium. Si simiæ vel catellis pomum objicias, vel aliquid pilæ simile ac rotatile, accurrit animal quietis impatiens, & suspenda

Digitized by Google

penda agilitate movet se quaquaversum. Quoties illustre aliquod carminis argumentum mihi suppeditat publica felicitas, motus meos impetusque compescere nequeo, & volens nolens rapior in veterem insaniam. Superiore anno militavimus nos, sed sine gloria. Nec Gallo bene cessere sui conatus. Solus Saxoniæ Dux Bernhardus famam belli victor asseruit, & communem causam expugnatâ Brisaco valide suffulciit. Freno Rhenum coërcuit, Austriacis avitum peculium eripuit, & Germaniæ propugnaculo, situ, opere, ac præsidiis munitissimo Istri dominum exuit. Ad insignem animi fortitudinem accessit fortunæ benignitas, quarum illa ut auderet, fecit, hæc ut posset. Ego, cui nimia in poësin proclivitas vitio vertitur, tam illustris victoriæ testis & praeco esse volui; præsertim hortante illo, cujus apud me preces pro imperiis habentur. Moris mei est exemplaria hujuscemodi Poëmatum amicis impartiri, inter quos cum agmen ducas, rogo ut claudicantium hoc carminum agmen, favoris tui ac æquioris judicii tibicine erigas fulciasque. Cum erysipelatis tui incommoda oculis excusserit Salus, lege laudes maximi Principis, qui præliorum suorum ac Martii strepitus clangore orbem Europæum latè implet. Concessi hodie in agrum Bilemerium, ubi cum famem exemero prandiolo, circa vesperam ad meos revertar. Comes itineris est Amplissimus Quæstor Utenbogartius, cui Muydam proficiscenti ausus sui hanc Panegyrin

Digitized by Google

rin tradere, ut de manu Quæstoria in Prætoriam deponat Bella per Ellatiæ plus quam civilia campos. Ubi domum reversus fuerit N. Vicofortius, excurram ad tecum D. Mostartio, non ferculorum sed amicorum suavissimo condimento. Interea vale, Vir honoratissime, & consideratissime Satrapa, ac nobilem thori sociam, familiæque tuæ spes fœmininas submisso meis & liberorum meorum verbis saluta. Amstelod. 16 Jul. 1639.

389.

GERARDO NIENDALIO.

Amicissime ac disertissime Niendali,

Nolo de verbis tecum ultrà contendere. Ad rerum te provoco certamen, hoc est, amicitiæ, benevolentiæ, humanitatis. Tu signum tollis & me filiamque peramicè invitas. Et ut pertrahas, viduam juvenculam, vegetamque itineris mei vis esse comitem, me ducem. Non renuo, licet impare congressu lentum ac rude donandum amatorem, jungi cupias vernanti & integræ matronæ. Amicitiæ officia præstare illi possum, amoris minus. Scis Tu, quid scripseris nuper filiæ meæ. Vltrajectinum tunc amasium designabas & depingebas, communem nostrum amicum, cui rubentes malæ & calidus circum præcordia sanguis. Deducam illam ad vos, ut oculos pascat aspectu ejus, à quo amari pluribus creditur. Nundinas vestras odi cane pejus & angue. prævenire statui. Cupio tecum prandere

Digitized by Google

dere ad normam, edere ad amussim, bibere ad perpendiculum, ambulare ad numeros, & omnia agere ordine, pondere & mensura, planè ut philosophum decet & sobrietatis Professorem. Quare cave, ut culina tua majorem fumum videat. Curii dapes appone. Chamæleon sum inter amicos. fabulis, narratiunculis lepidis & honestis pascor, velut rore. Et ne sine munere ad Te accedam, mitto Panegyrin inscriptam maximo Duci. Exemplar unum tibi habe, alterum clarissimo Poëtæ fratri tuo trade. reliqua ad amplissimum doctissimumque virum D. Petitium deferri per ancillam cura. Apud te divertet vidua cum filia. Ego hospitis mei Petitii ædes invadam, non ut barbarus grassator aut Croata, verum ut mitioris genii Lepidus, vel Atticus. Illum ut & fratrem officiose saluta, sed ante omnes socerum tuum virum doctissimum gravissimumque. Amstel. 21 Iul. stylo Gregor. 1639.

390.

PETRO C. HOOFT.

Nobilissime vir,

Quem carmine nuper celebravi, cujus bellicæ fortitudini hederam suspendi, cujus trophæa & triumphos in Apollinis templo vates fixi, Serenissimus Saxoniæ Dux Bernhardus, Fuit. Triumphat de Principe mors, quem virtus sua felicitasque non sinit esse mortalem. Quem Austriacus horruit, timuit Saxo, minus amavit Gallus, obiit & abiit. Cessit fatis, cui flumi-

Digitized by Google

flumina, urbes, regnaque indies cedebant, gliſcente famâ, obſequente fortunâ, ſtupeſcente Europâ omni, & quotquot armis cauſſam Libertatis Fidei que aſſertum eunt. Deceſſit Neoburgi, quæ inter Briſgoviæ eſt urbes. Triduo mortis telam detexuit, non ſine veneni ſuſpicione. Moriturus Duces quatuor exercitui præfecit, uſque dum Sueciæ Regina dignum ſucceſſorem caſtris conſtituerit. Militibus ſingulis teſtamento bimeſtre ſtipendium ſcripſit. Quid animi jam putas eſſe Cæſari & Saxoni, ſublato hoc Induperatore? imo quid Celtæ? qui ſucceſſibus tantis creditur invidiſſe. Quam vereor, ne multi Duces Cariam perdant, & Germaniæ Principum æmulatione, magno labore & diſcrimine parta dilabantur. Iam in Philippicas artes incumbent, hinc Iſter, hinc Sequana: ut omnino metus ſit, urbem armis invictam, auro muneribuſque in alterutrius poteſtatem ceſſuram. Nobiliſſ. Vicofortius Hagam ab Electore Palatino evocatus conceſſit, reverſurus hodie. Litteras ipſe mortis hujus nuncias nondum accepit. Sed Francofurto, Argentorato, & aliis è locis fatales tabulæ advolant hujus rei uberrimæ teſtes. Inſignia tua & redimicula S. Michaëlis jam in manus cognati tui pervenere. Solennem horum traditionem interturbat & remoratur funeſtum hoc nuncium. Vſque adeò nulla eſt ſincera voluptas, ſollicitumque aliquid lætis intervenit. Nolui N. T. hoc ignorare, cum jam occupatiſſimus ſit cognatus tuus & vix ſuus.

Digitized by Google

Cras Vltrajectum abeo, manſurus iſtic, ſi benè calculum poſui, per octiduum. Vale, Vir nobiliſſime, titulo, virtutibus ac poëſios hiſtoriæque illibata fama. Dominam Hoofdiam, filiaſque generoſiſſimas, & filiolum, in tuas patriæque ſpes ſuccreſcentem ſurculum, ſaluta. Amſtelod. ipſis Cal. Sextil. anno 1639.

391.

Sereniſſimis Ducibus,

FRATRIBVS DVCIS BERNARDI.

Sereniſſimi Principes,

Mitto ad Vos Panegyrin hanc inſcriptam famæ laudibuſque Sereniſſimi Principis Bernardi, Fratris Veſtri; quem vivum dilexit Germania ſua, horruit Auſtria, ſuſpexit quaquaverſum Europæus Orbis. Maluiſſem eam ſuperſtite ipſo legi, quam mortuo, cum viventium encomiis applaudamus læti, mortuorum triſtes adflictique. Nunc, ita volventibus fatis, offero maximis Fratribus laudationem Principis, cujus virtutibus cum minor eſſet Orbis, recepit ſpatioſius cœlum grande illud depoſitum. Scio, Principes Sereniſſimi, non egere Poëtarum laudibus tanta belli fulmina, quæ luce ſuâ clareſcunt fulgentque: ſed nec faſtidit gratæ poſteritatis benevolas voces Principum Majeſtas. Amant in hominum animis memoriâ vivere, quos hominum, & publicæ utilitatis cauſâ terris dedit ſublimius Numen. In Fratre veſtro duo mecum ſtupuit univerſitas: vitæ innocentiam, & fortitudinem

Digitized by Google

tudinem militarem: quarum illa inter Principes rariſſima eſt, hæc gentis veſtræ propria. Laudum ejus faſtigia ſolum perſtrinxi; nec enim in iis ſingulatim enarrandis ſuffecerit nova Ilias. Rerum ab illo geſtarum magnitudinem, pondus, diſcrimina vix Hiſtoricorum annales, Oratorum ambitioſa oratio, nec Poëtarum grandiloquæ voces adæquare poſſent. Omnia minora ſunt quæ cogitamus, loquimur, ſcribimus. Ego, qui vatum ſtudia impenſius amplexus ſum, inter tot laudatiſſimi Herois applauſus partibus meis deeſſe nolui. Facile mihi vocem extorſit tanti Principis fama, quæ jampridem non privatis tantum Germanorum, ſed totius Europæ ſuffragiis fulta, mortalitatis terminos egreſſa eſt. Vtinam ab illis, quas lactanti Germaniæ commodatis curis, tantum ocii impetrare queatis, quod Poëmatis hujus lectioni detis. Non pœnitebit in compendio perſpexiſſe Fratris de Republica optimè meriti non unum facinus: quem dum lugemus mortuum, virtus ſua felicitaſque non ſinit eſſe mortalem. Quod ſi benigniore oculo hæc noſtra accipere & legere dignemini, non perierit labor vati. Hæc operæ pretium retuliſſe ſuffecerit, ſupereſſe Sereniſſimo Principi Bernardo Fratres, qui & condolere fatis Fratris poſſint, & laudum ejus teſtem favore ſuo irradiare non dedignantur. Valete Principes Sereniſſimi. Deus Opt. Max. Vos veſtræ & publicæ ſaluti diu ſupereſſe patiatur. Amſtelod. Aug. 1639.

Digitized by Google

392.

GERARDO NIENDALIO.

NOn tanto opus est apparatu, cordatissime Niendali, ut amicum è paludibus evoces in Trajectinorum Tempe. Iam pridem vidisses me, & dexteram dexteræ junxisses, nisi moras necteret dignissima vidua, cui gerendus mos & gratificandum. Obstrinxi me promisso, Dì cujus jurare timent ac fallere numen. Legisti proverbium, Mulier pudica non it sola. Comitem me itineris illi fore & dixi coram, & scripsi non semel. Eget custode, quicquid charum secretumque homines habemus. Mihi manda, si quid istius generis, vel sexus rectè curatum velis. Die Martis proximo hinc, Deo volente, Langherodam me conferam cum filia. Die verò Mercurii vel Iovis, si accinctam ad iter reperero testudinem illam domesticam, ad Te properabimus. Est hic Amplissimus D. Petitius Vltrajectum iturus jamjam. Sequar præeuntem. Hoc ago, ut declinem tempestatem vestræ solennitatis, & poculorum, quibus amicos excipere soletis, grandines ac imbres devitem. Mihi si Niendalius unum, Petitius alterum clauserit latus, & accumbenti & ambulanti benè erit; nec ultra quid posco. Fabis pisisque & lactucis instructam mensam præfero gallinis, & anseribus. Si lactis aliquid coagulati submministrent mensæ secundæ, non abhorrebit Peripateticorum sapientia. De itinere aut digressione potius

Digitized by Google

tius Amersfordiana coram deliberabimus. Noli novis literis me sollicitare, convivam facilem satis & obsequentem. Vbi venero diem unum aut alterum tecum dividam, & fruar sermonibus tuis, & orationum cincinnis, & comitate & festivitate, quæ omnia majoris facio,

Quam si me liquidus fortunæ rivus inauret.

Vale disertissime, & integerrime Vir. Salveant à me uxor, socer, fraterque. Te salutant mei & meæ. Amstelod. 2 Aug. 1639.

393.

EIDEM.

TAndem à dierum Canicularium cumulatissimis gaudiis domum reversus, mihi reddor, charissime Niendali, & simul tibi. Tu in feriarum promulside delicias mihi fecisti eas, quas nondum decoxi: ea præstitisti mihi filiæque meæ officia, ut majora exspectare vel à sanguine junctis non possim. Plurimas horas commodis tuis succisas mihi ocianti, & sine compare ambulanti impendisti. Risi tecum, philosophatus sum tecum, pransus sum tecum. Omnibus penè sensibus, si jocari libeat, lenocinia quæsivisti; non contentus picturis visum, ferculis palatum, floribus nares demereri, etiam aures stupendo Musices fascino deliniisti. Egi gratias coram, jam litteris absens eas repeto, & unum hoc rogo serio, ut mutuis dentibus ulciscaris impudentiam meam, quam in culinam tuam, in pernam, laridum, & sumen tuum exercui.

Digitized by Google

cui. Non præfigo tempus: tuum est illud, quod opportunum maxime erit rebus tuis captare. Omne sidus, quantumvis hybernum vel glaciale, arridebit tibi adventanti. Non minus focus quam umbra amicos conciliat. Ædes tibi aperio meas: sternam lectulum tomento mollissimam, sternam mensam philosophicam, non ferculis turgidam ac superbis condimentis crustisque, sed tenui salino & pisciculis, iisque dapibus instructam, quales Corvini & Fabricii esse solebant. Pro prunis, ecce poma aliquot citrea mitto, ut languidiores cibos acuas acriore succo. Vale, & conjugem saluta. Amstelod. 1639.

394.

REINERO NEUHUSIO.

IGnosce, doctissime Neuhusi, quod diutius exspectationem tuam moratus fuerim: ferias egimus, & ab amicis in vicinos agros invitati, valetudini quæsivimus lenocinia. Amat tenella juventus studiorum horas diffundere ludicris, quæ apud illam quantivis sunt; nec nostra, hoc est, Professorum gravitas ab istis vicibus abhorret. Domum heri reversus ex Bamestræ agro, revocavi ad animum promissi fidem, quâ me tibi obstrinxeram. Petiisti nuper à me carmen per litteras, petiisti coram, & humanitatem tuam erga me explicuisti prolixè & candidè: næ à gratiis omnibus alienus sim, si amico, si studiorum amœnissimorum consorti, si Viro ad elegantiam omnem & nitorem facto exile hoc

Digitized by Google

hoc officium, quod immeritis sæpius præstiti, denegaverim. Habe disticha aliquot, si elaborata minus, attamen ab animo tui studiosissimo. Scriptis tuis studiisque accommodavi orationem, & ea dixi, quæ scripsisti & scribis indies non sine genio & venere. Transiisti à Frisiis ad Frisios, à majoribus ad minores. Faxit Deus, ut minores hi majoris tibi & famæ & fortunæ argumentum subministrent, & desertis calcatisque non uno loco Musis, hospitium præbeant quale exoptas. Vale, Vir doctissime, & me, quem totum possides, ama. Tibi familiæque omni faveat rerum nostrarum Arbiter supremus. Amstelod. 1 Sept. 1639.

395.

PETRO C. HOOFT.

Nobilissime Vir,

Dum strepitus magnæ urbis & encænia aversor, secessi in Bameстram, ubi me prædio suo perhumaniter excepit Vir amplissimus Theodorus van Os, aggerum ibidem Præfectus. Ita transacta mihi feriarum tempora inter literata & faceta nomina, Hoofdium, Ossiumque, ad quorum memoriam mihi dextra tinnit auris, & lævæ mamillæ melior particula salit. Illic dum sum, & de die lenocinia quæro honestæ voluptatis, ecce, noctu ab insectorum genere volatili vexor lancinorque: ab animalculis inquam, quibus proboscis est minor elephanti, rostrum minus aquilæ, guttur minus sonorum famelici

Digitized by Google

bovis, corpus minus crassum quam Arcadico apro, pedes Colossi Rhodii pedibus graciliores. Volant, susurrant, sibilant, sedent, terebrant, bibunt, non missura cutim volucris, nisi plena cruoris. Memor ego culicum, quos Muyda tua per æstatem fovet, comparationem feci inter Muydenses & Bameestrios, & utrosque diris, pace tua, devovi. Qui feria tibi aliquando, jam etiam ludicra impartior. Facit amicitiæ nostræ fiducia, ut impunitatis spe audeam apud N. T. non audenda. Classem Hispanicam statio habet Britannica.

Illa per æquoreos numerosa milite fluctus
Ibat ovans, tristesque minas & bella ferebat,
Cui dedit exiguis sese manus obvia transtris,
Auspiciis quæ freta Dei, & cœlestibus ausis,
Disjecit toto volitantia carbasa ponto,
Inque Britannorum captivam trusit arenas &c.

Jam quinquaginta & ultra Federatorum navibus cincta, stat in littore certa futuræ mortis, & instanti fato servata ruinæ. Ita sperant, quotquot Batavi sunt, & spes suas erigunt hostium internecione. Si Regis Angliæ ratio habebitur, posset elabi: sin minus, præda victoris erit. Jus est in armis. amant istiusmodi controversiæ decidi, post prævaricationem, quæ, ut valde utilis est, ita patronos inveniet. magna facinora successus probat. minus mali habentur qui potentes peccant. placet quibusdam axioma istud: salvis auspiciis geri, quidquid pro patriæ salute geritur. Est exlex necessitas, & venia

Digitized by Google

nihil digna. Præstantissima Tessela Amersfortiam abiit cum sorore & affini ac fratre. Voluissem me illi præbere comitem, nisi ad labores redeundum fuisset. Te cum uxore & filiabus expectamus, ut perunctam fecibus ora Galliam loquentem audiatis. Cuperem tunc Nobilitati tuæ loqui ea fide, eo silentio, quo Pylades Oresti, Pirithoö locutus fuit Theseus. Vale doctorum ocelle, & amicorum cordatissime. Nobilissimam suo & tuo nomine Hoofdiam, filiasque tantis parentibus dignas, submisse, reverenter, ac vernante vultu à me saluta. Raptim summo mane 28 Sept. 1639.

396.

CASPARI BARLÆO.

LEgi cum voluptate maxima, poëtarum, oratorum, philosophorum clarissime, Mediceam hospitem, opus & tua eloquentia, & ejus quæ celebratur Majestate dignum. Simul, neque minore cum gaudio, cognovi ejus urbis, cui & respublica plurimum & ego non parum debeo, crescentem indies Magnitudinem, quam servet augeatque Regum, Reginarum, civitatum summus Arbiter. Delphinus, cujus augustum nomen felicem facit libri tui clausulam, nutrices non lassat tantum sed & lacerat. Ejus interim Avia Generorum terras perambulat, magno fortunæ, nihil à suo jure excipientis, documento. At tu.

Das solatia grandibus sepulchris.

Digitized by Google

Sepulchra dico, Laberiano illo ſenſu :

Sepulchri ſimilis, nil niſi nomen retineo.

Relinquat te intactum ventoſa illa Dea, &, ut ſuperba eſt, præteriens plana, in montes potius fulminet. Hoc tibi precor : te vero, ut ſæpe tua, id eſt, longe optima, dono accipiamus, legamus, laudemus. Lutetiæ, 27 Auguſti, 1639.

Virtutum Barlæanarum non ingratus æſtimator

H. GROTIUS.

397.

HUGONI GROTIO.

VIr maxime,

Miſi nuper Mediceam Hoſpitem, quam te accepiſſe & legiſſe gaudeo. Sed nimius es in exaggerandis authoris laudibus, quibus tanto eſt ille inferior, quanto tu omnium artium apices tranſcendis. Interim laudari abs te, mî pater, dicebat ille apud Comicum, maximum puto. Adſcriberem illud Horatii, *Principibus placuiſſe* &c. Niſi nimio uſu eviluiſſet jam dudum graviſſimi Poëtæ ſententia. Mitto jam Excellentiæ tuæ Briſacum captam. Quid alii de me ſentiant, ſcio & neſcio : at illud experior & ſentio ipſe; ut ut maxime velim, Muſas meas ἐχεμυθεῖν, [*ſilere*,] loquaciſſimum tamen me eſſe, nec quoties illuſtre aliquod argumentum offertur, motus meos impetusque compeſcere poſſe. Velim nolim, relabor ad veterem inſaniam,

Digitized by Google

niam, præsertim hortantibus amicis, quibus non obsequi religio mihi est. Superiore anno sine gloria militavimus non uno loco, nec Gallo bene cessere conatus sui. Solum Saxoniæ Dux Bernardus belli famam victor asseruit, capta urbe situ, opere, præsidiis munitissima. Ego, cui nimia in Poësin proclivitas vitio verti solet, tam insignis victoriæ testis & præco esse volui, memor istius: Non decere Principes sine vate trophæa suspendere. Non leget hæc ipse Dux, nec sivere fata publicæ laudis sensu frui præclare meritum de Reipublica Christiana Principem. Tibi, Vir illustris, Scazontes hosce transmittere minus horreo, cum propria hæc tua laus sit, in amicorum vitiis non cernere acutum; sed aspera plana, distorta recta interpretari, & quæ forte claudicant recto talo locare. Nobilissimus Vicofortius, quo amicius pectus non habet Amstela, etiam clarissimus Vossius Idololatriæ gentilium scriptor gravissimus valent, & te in Batavis circumfusum amicis videre malunt, quam eminus, & te longinquo alienis in terris tibi gratulari. Amstelod. 30 Octob. 1639.

Digitized by Google

398.

C. BARLÆO H. GROTIUS S.P.D.

Vir eximie,

Res illustrissimi Saxonis, tanto dictas spiritu quanto gestæ sunt ab ipso, legi cum dolore quidem, ob ereptum nobis tantum Principem, cum solatio tamen cum video gloriam ejus tam feliciter ad omnia sæcula propagari. Epithalamium autem legi cum solida voluptate, tum ob summam carminis venustatem, tum quod amo & honore prosequor plenas omnium virtutum domos, unde sunt novi mariti & eorum uxores. Et ipsis & tibi tuisque si omnia è voto succedant nulli id hominum quam mihi erit lætius. Scribebam Lutetiæ 22 Octob. 1639.

Vidi & de Bameſtra carmen, dignum loci amœnitate & juſtiſſimam de Culicibus ultionem, ſpicula pro ſpiculis.

399.

CONSTANTINO HUGENIO.

PUgnavimus, vicimus, triumphavimus, clarissime Zulecheme. Arenæ Martis arenæ Britannicæ fuere; causa libertas; partes Hispanus & federatus Belga; modus certamen navale, commissis inter se classibus & veliferis arcibus; vindex fautorque noster Deus. Succubuere Belgarum signis Dî hominesque, vel sacris vel profanis appellationibus clari. Teresas, Polonias, Fortunas, Famas, Orpheos, Petros, Jaco-

Digitized by Google

Jacobos, Michaëles, Alexandros, &c. mersimus, exussimus, cepimus. Totius victoriæ momentum in duobus positum est. Primum illud est; quod paucis navibus potentissimam & numerosissimam classem invaserit imperator noster, & in casses truserit. Alterum illud: quod nullo navali facinore major dignitas & reverentia Reipublicæ nostræ accesserit, quam hoc ipso. Dum alii civium domi gaudent, alii minus φιλοπάτρωες [*Patriæ amantes*] dolent, alii festis ignibus lætitiam testantur, ego ad exemplum celebris Cynici, triumphantibus ob similem victoriam Athenis, literarum mearum vascula, quæ quotidie pauper inhabito, per ora civium non indoctorum pergo volvere & rotare, ne publica gaudia fastidire videar, & tacita morositate damnare aut vilipendere Superûm favorem. Elocutus sum ea, quæ scio, & quæ eloqui posse volupe admodum mihi fuit. Siniſtra quippe silemus libentius, quam fatemur. Circa prospera facundi sumus, & ab argumento eloquentiam mutuamur. Scripsi Orationem, quam habui publice, præsente Venetorum Legato, qui tum temporis nuptiis intererat Papenbroeckii filiæ. Cumque viderem omnes gratulantium voces in Trompium dirigi, Auriacum meum non in laudis partem pertraxisse putavi satis, sed ut victoriæ authorem præcipuum, imperio maritimo, ac autoritate maximum prædicavi, & poëmate, uti meus mos est, celebravi. Tu, cum non nisi literatis doctorum asellis & mullis

Digitized by Google

mullis elegantiarum veſci ames, nec niſi conditos aromatibus, & ſeſamo adſperſos carminum globulos emunctis naribus adhibeas; nihil quoque contingere cures, niſi planum, floridum & vernans; nihil audire, niſi harmonicum & concentibus conſpirans: veniam peto obſecroque, ut orationem tumultuarie ſcriptam, & Poëma inter deliberationes eroticas natum, mitiore cenſura diſtringas. Obſtrepuit ſæpe poëtico furori Cyprius, & quia bonam mentem non ejuravi, volui & amator eſſe & vates, Cirrham & Paphum, Parnaſſum ac Cythæram concutere. Accipe, Amicorum illuſtre ſidus, exemplar unum tibi, altero ſe oblectet in patrias artes erudiendus Conſtantinus junior. At illud auratis lineolis fulgens Celſiſſimo Auriaco pro me offer. Si modeſta prædicatione illud Patriæ Patri probaveris, reliquis hoc ipſum tuis erga me meritis attexam. Vale, præſtantiſſime clariſſimeque Hugeni, & me quod facis conſtanter ama. Decemb. anno 1639.

400.

JOACHIMO VICOFORTIO.

ITa eſt, mi Vicoforti: publico hoc Patriæ gaudio, ob natum Principi Principem, non difficile mihi erit publicum lætitiæ, ut ſcribis aptiſſime, teſtimonium à Muſis meis impetrare. Poſt gratulationes Illuſt. D. D. Ordinum Legatorum, etiam ejus, cujus mentionem faciunt litteræ tuæ; poſt ingenioſiſſimum diſertiſſimi Braſetti

Digitized by Google

Braſetti commentum, accipe Epigrammata duo ſummo mane ſub diluculo nata. Prius mihi vendico, poſterius Braſetti eſt, ſi materiem ſpectes; ſi numeros & verba, Barlæi tui. Utrumque exoſculare, ut ſoles me. Nolo eruditiſſimo Braſetto, invito Domino, ſuffurari inventum ſuum. Verum ſi transactione illud meum eſſe velit, vel emptione, vel mutuo, vel commodato, vel donatione inter vivos, ſubjungam illud Poëmatio, quod in victam Hiſpanorum claſſem ſcripſi. Si emptione meum eſſe patiatur, redimam optimi viri indulgentiam alio, cum res feret, Epigrammate. Si ex velleris aurei eſſem ordine, glomos pretioſæ iſtius lanæ transmitterem. Nunc repertum iſtud aureum redimam Muſarum opibus, & officioſa gratiarum actione: cui ſi, humaniſſime Vicoforti, gratiæ tuæ nonnihil adſperſeris apud agentem res Galliæ, compos voti fiam, præter votum. Cupio te videre ad undecimam in ædibus pictoris Baudringenii, ut videas qua fronte, qua patientia premam pictoriam ſellam. Adeo ad vivum expreſſit vultus meos, ut dubitem, an prototypum ego ſim, an tabula. Vale amicorum cordatiſſime, & me ama. Amſtelod. 4 Non. Decemb. 1639.

401. D. JU-

Digitized by Google

401.

D. JUSTINIANO,
Venetorum Reipublicæ Legato.

Illustrissime Domine,

Cum nuperrime de victâ Hispanorum classe verba facerem, velut salutare quoddam ac fastum sidus illuxisti. Etenim illustri tua præsentia non mihi solum peroranti animum addidisti ac fiduciam, verum etiam toti auditorio ac Reipublicæ nostræ splendorem decusque non leve contulisti. Equidem apud tantos viros loqui in felicitatis parte putant, qui in umbra dicunt. Ego, quod feci coram, jam per litteras quoque gratias ago, quod vacivas aures concesseris Academicæ declamationi. Et cum ingrata non possit esse lectio eorum, quæ volupe fuit audire, mitto exemplar Orationis, cui Poëmation subjunxi; ut utroque orationis genere animum Patriæ felicitatis sensu explerem. Vale Illustrissime Domine. Amstelod. 19 Dec. 1639.

402.

JOH. MAURITIO,
Nassaviæ Comiti, Brasiliæ Præfecto.

Illustrissime Comes,

Dum in novo Orbe Hispanum oppugnas, & mœnibus suis castrisque exuis, nos in Veteri eundem hostem nuper pari animo fiduciaque per cognati sanguinis Principem oppugnavimus.

Digitized by Google

mus. Ut illustrissimæ tuæ gentis familiæque virtute potentissimo Hispaniarum Regi terribiles sint Federati Ordines. Vicimus, cum vix ulla esset victoriæ spes: paucis navibus aggressus est maris nostri Vicepræfectus Trompius numerosam Hispanorum classem, & minoribus longè majores fabricas & stupendas moles exussit, mersit, cepit. Hujus rei testes mitto Excellentiæ Tuæ hasce paginas, quæ quia Patriæ & ejus parenti Auriaco inscripti, operæ precium me facturum putavi, si Tibi longius adversus eundem hostem bella gerenti, hæc publici nostro Orbe gaudii documenta transmitterem. Videbis victoriæ hujus momentum in duobus positum. Primum illud est: quod exigua navium vi hostem validissimum invaserit Trompius: Alterum illud, quod nullo facinore navali major dignitas famaque accesserit huic Reipublicæ quam hoc ipso. Didicere Philippi jam altera vice infeliciter ab ipsis subiri angustias Britannicas. Sane levius hinc vobis erit bellum, quod in Brasilia geritur tuo ductu & moderamine. Nec enim metus erit vobis à Galeatarum navium insultu, quas noster hic maris Dominus Arausionensis ferro ignique subvertit. Vale, Comes Illustrissime, & egregium hunc virum, qui Orationem hanc meam Tibi tradit, favore Tuo ac benevolentia complectere, nec minus me, nominis tui & famæ Nassoviorum studiosum, impensè. Amstelod. 15 Decemb. 1639.

Digitized by Google

403.

GERARDO NIENDALIO.

Dilectissime Niendali,

Tu leporem mihi misisti hirsutum, ego tibi galeatum remitto, hoc est Ducem timidum. Ocquendum dicere volo, quem galea ducem facit, fuga leporem. Non dubito, quin publicæ felicitati mecum gratuleris. Ego gaudia mea oratione & poëmate elocutus fui. Vtriusque Te compotem facio, cujus humanitati, & candori omnia summa debeo. Verum ut ad leporem tuum revertar, scis quale quantumque mihi miseris munus? Si nescis, misisti animal, ex cujus esu vultus formosiores reddi dicebat Martialis Gellia. Si nescis, misisti Terentii jocum, Lepus es & pulpamentum quæris. Felicitatis rusticæ partem misisti, teste Horatio, pavidumque leporem, & advenam laqueo gruem, jucunda captat præmia. Sapientiæ culinariæ argumentum mihi donas, juxta eundem Flaccum:

Fœcundi leporis quis non sectabitur armos?

Quam lætor me Iudæum non esse, cui leporem edere nefas. Licet enim ruminet, ungulam bifidam non habet. Non edi leporem tuum solus, sed cum amicis magnis & intimæ admissionis. Nunc periit victima nil miserantis Orci. Tibi gratias habeo & ago, & si precium tanti animalis non æquem chartaceo hoc libello, cogita mercaturam quotidie vel ementis, vel vendentis damno contrahi. Vale charissimum pectus, & con-

Digitized by Google

conjugem liberosque non sine osculo, meo rogatu (si tantam rem impetrare dignus tibi videor) saluta. Socerum quoque fratremque salvere jube. Misissem & illis exemplar, sed summa eorum penuria laboro. Vbi legeris, lectionem illis noli invidere. Nihil decedit illi, qui de lumine lumen accendi patitur. Amplissimo Consiliario Strateno me totum trade, & libellum hunc, proni in ipsum animi & debitæ reverentiæ testimonium, exhibe. Iterum Vale. Amstel. 24 Dec. 1639.

404.

IACOBO CATSIO.

QUod benignis animis Panegyricum meum exceperint Potentissimi Ordines, à tua est suffragatione, nobilissime Catsi. Honorarium mihi decretum magnificentiæ magis quam liberalitati affine est. Illud quantivis est pretii, quod non displicuisse intelligam Patriæ Rectoribus studium meum, & pronam in publicos Federatorum, prosperosque successus benevolentiam. Posuere Te eo loco fata, & ingentia tua merita, in quo non Rempublicam solum tibi quotidianis officiis devincis, verum etiam favoris tui & generosæ humanitatis radios, in amicos quaquaversum diffundis. Hoc est non sibi soli natum esse, sed & aliis. Inter hos tuo beneficio censeor, qui hominem complecteris & diligis, tua amicitia & familiaritate potius, quam suis bonis amabilem. Vt infimæ sortis homi-

Digitized by Google

nes sibi & aliis crescunt, ab alloquio & comitate regum: sic nobis fit, cum Te admoves propius; & esse aliquid videmur ab æstimatione vestra. Vsu, mancipio, jure omni tuus sum, clarissime Catsi. Impera, quod voles. Quidquid mearum erit virium, in N. T. id omne explicabo officiosissime. Vale, Vir maxime; & annum hunc quem jam ingredimur, felicissime & glorioſissime decurre. Amstelod. 3 non. Ian. 1640.

405.

IOHANNI BEVEROVICIO.

Amplissime Beverovici,

Vti per brumam ceu mortui latent ranarum exercitus, caloris & vigoris expertes, ita scriptoribus Belgis; cum adversa & minus glorioſa fluunt tempora, fortiter silent mortuis similes. Vbi vernum tempus & genitabilis aura Favoni aquas terrasque pervadit, prodeunt è latibulis canora animalia. Nec minus rebus prosperis excitati omnes, quibus viride est genu, loquimur, scribimus, cantillamus in fossulis quisque suis, & publicæ felicitati pro modulo suo applaudit. Ego à plaudente Republica inter coaxatores primus conscendi suggestum, & in Hispanum pro victoribus declamavi, satis audacibus, quales victorum esse solent, buccis. Rupturam fortè passus fuissem, nisi eloqui licuisset conceptum ex prosperis & grandibus patriæ successibus gaudium. Hoc fœtu liberatus

Digitized by Google

tus melius habeo & detumui. Vidi quoque cantus Mattiacorum in victam Hiſpanorum claſſem, & Kinſchotii junioris erectum carmen, etiam Xerxen tuum Cantabricum. Vt credas verum eſſe, quod jam dixi; plus laxari fibulam, poſtquam Trompius in Ocquendum felici Marte detonuit. Ego meos tibi mitto ſtrepitus. Videbis in easdem cogitationes non uno loco nos coincidiſſe. Feci & ego comparationem inter Xerxen & noſtros, ſed brevior fui, cum hanc unam proſequi tui fuerit inſtituti, mei plures. Miſiſti ante hac libellos tuos eruditos, ſuccinctos & ſolertiæ tuæ teſtes. Pro omnibus accipe Panegyricum, mole exiguum, argumento maximum. Ego Hiſpano maledicere auſim domi, & eminus lingua ipſum ferire, quam cæſim ac punctim in Dunis Britannicis pars eſſe belli, ubi deſinunt eſſe, qui fuere. Vale, ampliſſime Vir, cui ut leniter fluat, quem exorſi ſumus, annus Deum precor. Amſtelod. 7 Ian. 1640.

406.

GUILIELMO BORELIO.

Magnifice Boreli,

Diſtrahimur ſinguli in curas varias, nec idem ſemper agere libet aut meditari. Me modo Schola illuſtris poſſidet, modo domus, modo amici. Schola doctorem, domus patrem, amici amicum agnoſcunt. Iam apud te poſterius hoc ago, ut qua poſſim demerear mihi addictiſſimum pectus. Notus tibi eſt mercator

Digitized by Google

apud nos celebris artis suæ peritus N. N. vir multum terris jactatus & alto, qui utriusque fortunæ remediis instructissimus res Serenissimi Daniæ Regis hic agit, in cujus fragranti dicitur esse gratia. Sagacitate sui ordinis homines vincit, comitate neminem non in amorem sui pellicit. Habet quod petat ab Amplissimæ Reipublicæ hujus Coss. quorum cum sis os & interpres, voluit se honestis verbis tibi tradi. Causam ignoro, nec scire satago. Illud peto, ut si quod apud Te est momentum nostri, obsequi velis hujus desideriis, quoad honesti ratio, & Reipublicæ, cui te totum vovisti, tranquillitas feret. Ni fallor, cum Imperatore magno judicas diem te perdidisse, quem non impendisti amico. Vale. 7 Mart. 1640.

407.

CORNELIO VANDER MYLE.

VEhementer me perculit, nobilissime Myli, triste nuntium de obitu nurus Tuæ. Luges uxorem filii, matrem nepotis tui, eamque recens puerperam. Non decessit ingloria uxor, quæ Gubernatori gubernatrix nupserat. Non decessit ingloria mater, quæ peperit sæpe. Obiit puerpera, postquam de filiolo, patriarum virtutum & nominis hærede, prospexisset Reipublicæ & familiæ tuæ. Debuisset longiore vita redemisse partus dolores, nobilioris vitæ & masculæ prolis parens. Ita querimur nos, quoties humanitati supra modum indulgemus. At cum

in

Digitized by Google

in divinioris ſapientiæ ſacraria imus, illud omne probamus placidi, quod cœlo probatur. Adverſus privatas tuorum calamitates, rectæ rationis Ægide munitus, patienter fers, quæ ut feras, fata imperant. Non unius funeris dolore tangeris. Decoxiſti majores & propius ad animum admiſſos. Poſſem accuſare minus ſalubrem & mari proximam urbem. Sed

Nullo fata loco poſſis excludere, cum mors
Venerit, in medio Tybure Sardinia eſt.

Poſſem incuſare Poëtarum more præcipites & crudeles in juvenculam conjugem Parcas. Verum:

Hæ magnos parvosque terunt, quin fortibus æquant
Imbelles, populisque Duces, ſenumque juventæ.

Græcus ſenarius eſt: ὃν γὰρ φιλοῖ Θεὸς, ἀποθνήσκει νέος. Quem diligit Deus, moritur juvenis. Et qualis vixit illa? pie, caſte, prudenter. Pie Deo, caſte marito, prudenter liberis domeſticisque. Talis conjunx terræ ſatur alia loca, alias ſedes cogitat, & à vitæ hujus ærumnis ac catenatis laboribus expedita, beatorum ſedibus debetur. Venimus huc, ſed ut abeamus modò. Moramur aliquantiſper, ſed ut moriamur. Hoſpitio excipimur, non æternis carceribus includimur. Solatia hæc animæ ſunt, corporis ergaſtulo dimitti captivam. Nurus tua illic habitavit, ubi Hannibal ad portas fuit, ubi adverſus hoſtem vigilandum & excubandum. Iam malorum omnium ſecura, dicit:

Digitized by Google

—Spem, vota, timorem
Læta parens placido fine relinquo aliis.

Est Batavorum, est Mattiacorum præsidium Guilielmopolis. At defunctæ jam arx cœlestis pro custodia & tutiore est munimento. Non jam turbido mari pulsatur, nec nubilo aëre involvitur tenella. Vbi nunc est, halcyonia sunt & malacia, & sempiternæ felicitatis præsens facies. Si Te, si maritum affligit fatale divortium, corporis illud solummodo est, non animorum. Sequimur animam animo, & ubique mens est, quæ Deo, Angelis & beatorum sedibus adesse amat. Non divellimur toti, sed parte tenus. Perdimus, quod caducum est: servamus, quod perire nescit. Accedit beatæ resurrectionis spes & fiducia. Hæc mortem nostram peregrinationem brevem putat. Præimus solum alii aliis, secuturi serius, ocyus. Imus omnes ad metam. Cave revoces eam, quæ ad metam pervenit. Malus & præposterus athleta est, qui athletas ipsos, non metam spectat. Hæc nobilitati Tuæ, hæc Filio jam viduo, & mihi, pro dolor, consorti scribo. Condoleo vobis omnibus jam atratis, qui lætis candidisque malim gratulari. Sed in utramque fortunam præparandus animus, cordatissime Myli, ne vel dejiciamur arduis, vel efferamur insolentius secundis. Ego illud singularis tui erga me adfectus testimonium interpretor, quod in partem doloris tui me quoque admiseris, & consolationem exspectes ab eo, quem stupenda humanitate Tibi tuis-

Digitized by Google

tuisque obnoxium habes. Vale, nobiliſſime Vir, & hæc ſi leges mente & oculo, lugebis minus & minus dolebis. Filium Willemſtadii Gubernatorem meis verbis ſaluta & ſolare, etiam Dominam Myliam, filiam generumque. Amſtelod. 10 Mart. 1640.

408.

EPHORO MEGAPOLENSIVM DVCVM.

Doctiſſime vir,

Quæ in laudem noſtram cumulas magnifica verba, modeſtè prætervehar. Quod urbibus, regionibus, ædificiis accidere ſolet, evenit literarum & humaniorum artium ſtudioſis. Abſentia nec viſa unquam, veneramur & miramur, faſtidimus præſentia. Omnium rerum major è longinquo reverentia eſt. minuitur coram conſpecta res, quam remotam ex oculis fama claram facit. Illud auſim profiteri, me benevolentiæ & humanitatis ſtudiis concedere nulli, doctrina & eruditionis typho cuivis. Petis, ut Methodum ſtudiorum tibi præſcribam, qua inſtructus viam monſtres Principibus tuis, quos in patriæ ſuæ totiuſque Germaniæ ingentem ſpem educas & præformas. Non dubito, quin ritè noris illa, quæ ſcire à me exigis, nec alio fine hæc exigere te arbitror, niſi ut videas, quam idem tecum ſentiam, quo majore fiducia, aliorum ſuffultus ſuffragio, aggrediaris rem glorioſam tibi & Megapolitanis Ducibus perutilem.

Digitized by Google

Præscribi potest methodus Principi, quam communem habeat cum studiosis quibuslibet, etiam infra Principum fastigium & majestatem positis. Præscribi potest & altera, quæ illorum propria sit. Sunt enim in lectione & prælectione clarissimorum autorum quædam cum delectu notanda, quæ Principes potius, quam vulgares animas tangunt. Ego communem ita persequar, ut Principes tuos juxta defigam in eorum contemplatione, quæ Principatum maxime decent & illustrant.

Scribis tyrocinia linguæ Latinæ addidicisse Illustrissimos Adolescentes, & Grammaticorum pulpæ saturas mentes, ad altiora & edita Sapientiæ templa contendere. At eundum illis recto calle, ne per ambages errent & circumduci se patiantur per flexus & mæandros, cum compendio ire præstet, & plana eligere, ne inter prærupta & fragosa artium hæreant.

Magna superiorum sæculorum veneratio fuit, ideoque per veterum vestigia eundum potius, & celebratissimorum autorum monumenta, quam per posterioris & languescentis ævi minus erecta & solida commenta. In illa collimare fas est posteros, quia de assequenda majorum perfectione desperamus nepotes. Post Grammatistarum ergo carnificinas & carceres, manumittendos suaserim Iuvenes præclustres in Ciceronis Familiares Epistolas, ob dictionis nativam & minime fucatam elegantiam, ac juxta in Terentii comœdias, tum ut suavitate rerum

Digitized by Google

rum tenellæ mentes edulcentur, tum ut mores veteris ævi civiles domesticosque addiscant, maxime ut purissimi ævi cupediis, & delicatioribus dicendi floſculis adſuescant. Adjungerem & Plautum, ob facetias & ingeniosissima responsa. hoc tamen delectu, ut ex epistolis Ciceronis, Plauto & Terentio ea excerpas & inculces maxime, in quibus Principum & rectorum reip. virtutes vitiaque notantur. His enim observationibus imbutus à teneris animus, servat diu, quæ adolescens imbibit. Exempli gratia, in Terentio notetur Thrasonis audacia, in Plauto Miles gloriosus, aut in Amphitruone Dialogus Iovis & Amphitruonis de rebus in exercitu & bello præclarè gestis, victis hostibus, vulneribus acceptis & inflictis. In Pænulo Actus secundus, ubi colloquuntur Lycus & Anthemonides miles. In Truculento Stratophanis militis colloquium. In Bacchidibus Cleomachi loquentis verba. In Epistolis Tullii observent, quam sine fastu & procul omni adulatione scripserint Cæsar Ciceroni, Cicero Cæsari, Brutus Cassio, Atticus Ciceroni, cum ignota essent amplissimorum, nobilissimorum, doctissimorum, prudentissimorum vocabula & superlativi.

Post hos prælegerem Cæsaris Commentarios, cum perpetua rerum militarium lectione excitetur generosa Principum indoles, & orationis Romanæ minimè affectatum leporem spiret maximus Imperator. Vnus quippe semper

Digitized by Google

per habitus est, qui eas res gesserit, ut à quovis scriptæ essent, admirationi hominibus futuræ viderentur: unus qui ita scripserit, ut quibuscunque de rebus scriptam historiam reliquisset, maxima voluptate legeretur.

Curtius, Salustius, Iustinus, Florus gravius & magis elaboratis verbis loqui amant. Itaque hos cuperem submitti prioribus. ita tamen, ut seligantur Orationes Charidemi ad Darium, ex libro tertio, Legatorum Darii ad Alexandrum lib. quarto, Alexandri ad milites lib. sexto, & lib. nono. Philotæ libro sexto, Hermolai & Callisthenis libro octavo.

In Salustio advertere velim Principes tuos ad nefandas artes Iugurthæ, & laudatam severitatem Catonis, in puniendis Catilinæ conjuratoribus. Legantur studiosius Orationes Catilinæ ad conjuratos, adversariæ C. Cæsaris & Porcii Catonis, super captis & convictis perduellibus, Oratio Micipsæ regis ad Iugurtham. Oratio Adherbalis à Iugurtha regno pulsi. Oratio Marii ad Quirites de expeditione Africana. Omnium gravissimè & sententiis, ad argumenti majestatem ad miraculum compositis, maximas res effantur Livius, Suetonius, Tacitus. Hos dum legunt Principes tui, attentius ipsos advertere velim ad Romani imperii incunabula, simplicitudinem, fortitudinem, alienos ab ambitione, avaritia & luxu Consules. Inde ad crescentis & adulti imperii vitia, seditiones, tumultus, parricidia & causas malorum, ambitionem,

Digitized by Google

tionem, avaritiam, adulationem, tyrannidem, luxuriam. Seligantur è Livio Orationes hæ: Lucretiæ de violatione. Legatorum ad plebem de reditu in urbem lib. tertio. Valerii Consulis hortantis ad pugnam, ibidem. Camilli ad pædagogum Falisconum lib. quinto. Oratio M. Valerii Corvini ad seditiosos milites lib. septimo. Fabii Maximi ad populum de deligendo imperatore libro vigesimoquarto. Scipionis reddentis sponsam lib. XXVI. Oratio Annibalis ad Scipionem de pace, & Scipionis ad Annibalem lib. XXX. Oratio Philippi Regis Macedonum de regni hæreditate lib. XL. In Tacito diligentius expendantur Orationes Germanici Cæsaris l. I. Senecæ ad Neronem, & Neronis ad Senecam l. XIV. Peti Thraseæ lib. XV. Galbæ imperatoris ad Pisonem l. XVII. Othonis ad milites ibid. Cerealis lib. XX. Agricolæ in vita Agricolæ. In Flori historia notetur dictio elegans, & florida, & ut nullibi ferè non poëtam agat historicus. Iustinus res Græcas Latino sermone compendiosè perstrinxit, maximi scriptoris Trogi Pompei abbreviator. Illud quoque perutile fuerit, Principes tuos ob oculos sibi ponere ideam vitæ Imperatorum, ex Epitome Sexti Aurelii Victoris a Cæsare Augusto usque ad Theodosium. Is enim scriptor, uti est multo jucundissimus, ita nescio, an ad vitam bene instituendam Principi ulla magis narratio conducat.

Nec dissuaserim in Ciceronis libros de Officiis,

Digitized by Google

ciis, de Amicitia & Senectute illos dimitti, etiam in lectionem orationum Ciceronis, præfertim earum, quæ vel ob dicendi vim, vel ob rerum sententiarumque momenta, vel ob oratorium artificium præcellunt. Tales sunt Oratio pro Archia poëta, quæ poëtarum & literarum laudes habet: pro lege Manilia, quæ Imperatorias virtutes recenset: pro M. Marcello, quæ de Clementia differit: in Catilinam, qua in proditores & perduelles invehitur: pro Milone, qua docet vim vi repellendam.

Quin illo, quo jam sunt, ætatis curriculo, maximorum Poëtarum lectione illaquearem Principes pueros. Eclogas Virgilii, præsertim illam, quam Sicelidum memoriæ inscribit, memoriæ mandare pulchrum fuerit & perjucundum. Exordia itidem augusta librorum Georgicorum. Ex Æneide Neptuni Æolum increpantis stupendam invectivam. Æneæ de Trojano excidio narrationem coram Didone. Hujus amores pathetice libro quarto descriptos, ejusdem fulmina & diras in abeuntem Æneam. Anchisæ de Platonica philosophia perorantis orationem libro VI. Romanarum rerum seriem scuto Æneæ insculptam libro octavo. Digna hæc sunt carmina, quæ Principes tui perpetua versent agitatione. Ex Metamorphosi Ovidii librum primum de Creatione mundi & diluvio, nec non secundum de Phaëtontis temeritate & lapsu, legant sæpius. Narcissi quoque sibi placentis descriptionem, & Orationes adver-

Digitized by Google

adversarias Ajacis in Ulyssem & Ulyssis in Ajacem, super armis Achillis. Has enim posse recitare juniores Principes excellentius puto, quam si majorum genealogias ab Ænea vel Antenore aut Heraclidis arcessant. Ex Tristium libris Elegiam secundam & tertiam libri primi, ex secundo libro Elegiam secundam, ex Fastis operis procœmium ad Germanicum memoriter discant.

Post hos legatur Horatius. nec pudeat heroicam sobolem in succum & sanguinem vertere ex libro primo Carminum Odam primam de variis hominum studiis, & duodecimam de laudibus Deorum & hominum, & decimamquartam de turbatæ Reip. statu, & trigesimam quartam de providentia & numinis reverentia, & vigesimam secundam de vitæ integritate. Ex libro secundo Carminum pro melle sit Oda secunda adversus avaritiam, pro nectare tertia de servanda mediocritate in rebus secundis & adversis, pro ambrosia Oda prima libri tertii, de beatitudine. Oda secunda & tertia ejusdem libri Principum propriæ sunt. Agunt enim de fortitudine militari & recti Constantia. Augusti laudes & Attilii Reguli virtutes Oda quinta deprædicat, populi rectoribus in exemplar & virtutis incitamentum. Oda decima sexta auri vim exponit, & moderatam ejus cupidinem probat. Harum gravitatem diluet Oda nona procantis Horatii, qua nihil suavius & festivius scripsisse Flaccum testari solebat I. Scaliger.

Laudes

Digitized by Google

Laudes Druſi magnifice exequitur Oda quarta libri quarti Carminum, nec poſſunt non erigi ejus recitatione bene nati juvenes.

Vitæ ruſticæ laudatio Oda ſecunda Epodon, ruris interdum licentiam Principibus facit, ne foliis vitæ Aulicæ beatitudine inebriari ſe ſinant, ſed à ſtrepitu urbium remoti dulci ruris otio & ſimplicitate caſtigent aularum murmura & fulgorem.

Libri de Arte Poëtica omni auro cariores eſſe debent erectis Principibus, quibus non eſt ſatis tribunali & foro jura dicere, ſed & in poëtas cenſuram ſtringere, & Dictaturam exercere in illos cives, quorum propria laus eſt eruditis commentis & prodeſſe & delectare.

Ex Satyris cupiam placere Satyram primam lib. 1 Sermonum ad Mecœnatem, *Quis ſit Mecœnas*, &c. & ſecundam ex libro ſecundo, qua luxuries traducitur & frugalitas commendatur. Ex Epiſtolis primam, & ſecundam, ob ſummam operum Homeri, nec non primam libri ſecundi ad Auguſtum, ubi de ſcriptorum antiquitate & novitate ſententiam fert.

Quin & illud minime negligendum, ut Principes tui graves vernanteſque ſententias per univerſum Horatium ſparſas, referant in libellum & familiares ſibi illas reddant. Nam in quotidiano ſermone & litteris ſcribendis pro floſculis erunt & mellitis globulis & orationis condimentis. Nec inutilis fuerit opera, ſi in aliis poëtis idem faxint.

Mox

Digitized by Google

Mox Seneca tragicus ob sententiarum gravitatem, & poëmatis sublimitatem, & argumenti majestatem, Principes ad sui amorem lectionemque invitat. præsertim ad Troadis lectionem, ut regnorum inconstantiam & victoris hostis efferam insolentiam mature animo præconcipiant. Dignas imperantibus voces audient in Thyeste: quales sunt: *ubi non adest pudor, Nec cura juris, sanctitas, pietas, fides, instabile regnum est.* in Hercule furente, *rapta, sed trepida manu, Sceptra obtinentur. omnis in ferro est salus. quod civibus tenetur invitis; scias, Strictus tuetur ensis. alieno in loco Haud stabile regnum est.* & ibidem: *Ars prima regni est, posse te invidiam pati.* in Thebaide, *Qui vult amari, languida regnet manu. Invisa nunquam imperia retinentur diu.* in Octavia, *Decet timeri Cæsarem, at pius diligi.*

In Lucano dum morari libet, devorent imperatrices animæ Orationes hinc Cæsaris, hinc Pompei, & Bruti pro libertate Patriæ alloquentis Cæsarem. In Claudiano versantibus pudor fuerit non addidicisse excellens illud & vere divinum Exordium in Ruffinum, *Sæpe mihi dubiam*, &c. aut non lectitasse bis terve vitam succrescentis in maximas spes Honorii, cantatam magnificis versibus libro de Consulatu Honorii tertio. Ex libro de Consulatu ejusdem Honorii quarto, reciter grandibus alumnis Chiron aliquis Principis officium:

Hoc te præterea crebro sermone monebo.
Vt Te totius medio telluris in orbe

Digitized by Google

Vivere cognoscas. cunctis tua gentibus esse
Facta palam. nec posse dari regalibus usquam
Secretum vitiis. nam lux altissima fati
Occultum nihil esse sinit, latebrasque per omnes
Intrat, & abstrusos implorat fama recessus.
Sis pius imprimis. nam cum vincamur in omni
Munere, sola Deos æquat Clementia nobis.

Et post:

Tu civem patremque geras, tu consule cunctis,
Nec tibi, nec tua te moveant, sed publica vota.
In commune jubes si quid, censesque tenendum,
Primus jussa subi. tunc observantior æqui
Est populus, nec ferre vetat, cum viderit ipsum
Auctorem parere sibi. componitur orbis
Regis ad exemplum. nec sic inflectere sensus
Humanos edicta valent, quam vita regentis, &c.

Quid scire, quid decere oporteat Principem, quomodo in Philosophorum libris versati, docet Claudianus exemplo Mallii Consulis, in Panegyri de Consulatu Mallii. De bellicis & politicis virtutibus differentem audiant in laudatione Stiliconis. Ab his patiantur se deferri ad lectionem Epithalamii in nuptias Honorii & Mariæ, & Palladii ac Serenæ, ob carminis amœnitatem, & poëticæ artis facundiam & suavitatem argumenti, quod alienum minime est à Principibus. quia interest ipsorum, dignis connubiis jungi. Illa cum legent,

oliscent primæ sub pectore flammæ,
Et poterit placuisse Duci, Dux femina regni.

Qualis vero uxor Ducibus ducenda, docet laus Serenæ,

Digitized by Google

Serenæ, uxoris Stiliconis. Ex Epigrammatibus Claudiani maxime placeat illud, de cryſtallo & Sphæra Archimedis.

Ubi è Latio in Græciam migrare lubebit, poſt perceptas Grammaticæ Græcæ regulas, legant Duces tui Novi Teſtamenti Scriptores ſacros Græcè, & ſpeciatim cap. 13 ad Romanos. Iſocratem ad Demonicum. Epicteti enchiridium, & Cebetis tabulam, Lucianum ob facetias & erudita dicteria, Xenophontis Cyropædiam ob Atticiſmum, non quod ad hiſtoriæ fidem ſcripta ſit, ſed ad effigiem rectè imperantis. Maxime vero volvant & revolvant Plutarchi Moralia, ob omnigenam & confertam doctrinam. Excerpendus hic Commentarius, *Cum Principibus maxime debere Philoſophum ſermocinari.* & alius, cui lemma: *Ad indoctum Principem.* nec non ille *de inſtituendis liberis.* & iſte, *Quomodo audiendi poëtæ juvenibus.* & ſimiles.

In Poëtarum Græcorum ordine familiam ducat Heſiodus, Phocylides, Theognis, inde Homerus, cujus Ilias *Stultorum regum & populorum continet iras.* Odyſſea vero, Quid ſit *pulchrum, quid turpe, quid utile, quid non, Plenius ac melius Chriſippo ac Crantore dicit.* Theocritum, Sophoclem, Euripidem poſtea legendos ſuaſerim. Atque hæc quidem linguæ Græcæ vel mediocris cognitio Iuvenes Principes populo & doctorum vulgo ſecernit, & fontes monſtrat, unde omnis in Latium dimanavit Sapientia. Etenim

Digitized by Google

& philosophia universa, & historia, & Medicina, & artes Poëtica & Oratoria, Græcos primum Scriptores agnoscit.

Philologiæ studium licet minus necessarium Principi, tamen ex Plinio, Plutarcho, Gellio, Macrobio, præclara multa posse recitare, generosum & illustre. Hac doctrinæ parte in pretio habeantur Chiliades Erasmi, opus infinita scaturiens eruditione. Seligantur Adagia, quæ Reges Principesque concernunt. qualia sunt: *Regis cerebrum, Regia vaccula, Regum offensæ vitandæ, Regum aures atque oculi multi, Regum manus longæ. Quidquid delirant Reges, plectuntur Achivi. Multi Duces Cariam perdiderunt. Bellum dulce inexpertis. Imperator bonus & idem miles. Aureus pons sternendus hosti. Pax redimenda*, &c. Nec in hoc studio destitui eos cupiam à Calepino, qui de quovis argumento breves discursus facit, nec à Thesauro linguæ Latinæ H. Stephani, nec à Græco Lexico Constantini vel Stephani: uti nec à doctissimis libris Rhetoricorum Cl. Vossii, ejusdem Historicis Græcis & Latinis, & de Arte Grammatica.

Logicis exercitiis nolim Principes diu detineri. Suffecerit terminos artis Logicæ, Prædicamenta, Prædicabilia, doctrinam de Interpretatione, Sillogismi conficiendi, ac Definitionis, Divisionis, Methodique regulas in compendio didicisse. Atque hæc ex Aristotele haberi possunt & debent.

His *παιδείας* [*institutionis*] studiis defuncti, Philo-

Digitized by Google

Philosophiam ipsam adeant, & primo Mathematicam; tum puram, Geometriam & Arithmeticam; tum mistam, Astrologiam & Opticam. Etiam Chronologiam & Geographiam, ob historiarum intelligentiam, cui illæ facem præferunt. Geographia namque locorum, regionum, urbium situs, & in iis portus, flumina, montes aperit. Chronologia seriem temporum exponit, & velut terminis quibusdam finit imperia, bella, eventus.

Adhæc Naturalium rerum scientia imbui Principem perquam necessarium, ut discat, quomodo & ipsis Regibus Ducibusque imperent astra; & terris hominibusque non unius indolis, diversissimi temperamento Principes. Harum arcana ex Physicis Aristotelis petantur.

Metaphysicam scire Duces, præsertim ubi de Deo, Angelis, & statu animæ separatæ & corpore disputat, prorsus γενναῖον [*generosum*] est. Reverenter illum discent habere, cujus unitatem, simplicitatem, omnipræsentiam, omnipotentiam, æternitatem, omniscientiam, bonitatem, justitiam naturalibus rationibus evicerint.

Moralem Philosophiam & Politicam ex libris ad Nicomachum & Politicis Peripateticis hauriant, & capita illa de triplici regimine eique oppositis vitiis addiscant non segniter. Nec grave sit Ducibus, Politica Iusti Lipsii perlegere sæpius, ob dispositionis artificium & sententiarum cumulum & authoritatem. De hac Philosophia loquitur Plato, cum pronunciat beatas

Digitized by Google

fore Reſpublicas, in quibus imperarent Philoſophi, aut qui imperant philoſopharentur.

Hoc philoſophorum circo incluſis, Senecæ & Plutarchi lectionem unice commendo, ſive de moribus ſevere judicare, ſive de Natura ſubtiliter pronunciare cupient.

Tum ampliſſima Hiſtoriarum ſpatia ſe Ducibus pandunt. Diſcant hic, Hiſtoriam vel Divinam eſſe, vel Humanam. Divinam, vel Iudaicam eſſe, quæ è libris ſacris, Ioſepho & ejus interprete Hegeſippo eſt haurienda: vel Chriſtianam, quæ ex Novi Teſtamenti libris & Hiſtoriis Eccleſiaſticis Euſebii, Sozomeni aliiſque petenda. Humana, præter prudentiam & rerum peritiam, *Virtutum ſtimulos & ſemina laudum, Atque exempla dabit.* Si publica ſcire deſiderant, Orientalem, Græcam, Romanam, Barbaram hiſtoriam legant. Orientalis, res Iudæorum, Ægyptiorum, Syrorum, Perſarum exponit, quæ noſci poterunt ex Iuſtino, uberius ex Herodoto & Diodoro Siculo. Græca Spartanorum, Athenienſium, Thebanorum, & Macedonum res geſtas recenſet, authoribus Thucydide, Plutarcho, Arriano, & è Latinis Q. Curtio. Romana, vel vetus eſt, vel media, vel recentior: Vetus ab urbe condita ad Auguſtum excurrit, illuſtris Scriptoribus Græcis & Latinis, Dionyſio Halicarnaſſeo, T. Livio, Polybio, Plutarcho, Appiano, quibus addi poſſunt compendia Vellei, Flori, Eutropii, Oroſii. Media, Tacito & Suetonio ſuperbit, aliiſque Auguſtæ hiſtoriæ Scri-

Digitized by Google

Scriptoribus, è Græcis, Dione Cassio & Herodiano. Recentiorem scripsere Zonaras, Zosimus, Procopius, Agathias, Nicephorus, Gregoras, Græci.

Barbaram historiam voco, quæ scisso fractoque imperio gesta, cum major pars ad Gallos, Germanos, Turcas ivit, enarrat. Scriptores sunt, Iornandes, Procopius, Agathias.

In harum lectione dum versantur, seligant, & transferant in libellos, res maxime memorabiles, ritus & consuetudines gentium, sententias, exempla tum virtutum, tum vitiorum.

Theologia licet ad Theologos spectet, tamen dedecet Principem Christianum ignorare Fidei Christianæ capita, ne in regno suo quasvis dissensiones schismatum esse argumenta sinat, aut quosvis errores nimis tepido religionis amore ferat ac foveat. Occurrit his malis lectio Scripturarum, quæ hæresin à leviore errore discernunt, etiam receptæ inter Protestantes Fidei formulæ, neq; non Patrum in Fidei fundamentis consensus.

Ad horum omnium scriptorum lectionem animum Duces tuos adferre velim alacrem & defecatum. Conferent illum, si studiorum temporibus interponant dilucida intervalla. neq; enim tetricos istos & rigidos Ephoros amo, qui heroicas mentes horis & clepsydræ alligant, tanquam mercenarias & servas. Ludant, saltent, equitent, currant, canant, venentur, horas eligant, quibus maxime ipsis animus le-

Digitized by Google

gendi scribendique. Nutriuntur à Jove teneriùs Principes, & ab aura cœloque foventur propius. Hoc cum serenius est, vel studeant, vel se recreent, cum nubilum magis, exercitio honestiore serenent mentem. Extinguuntur generosiores ingenioli confertis studiis, & uti vascula angustioris orificii superinfusum copiosius humorem respuunt, nimio lectionum numero obruitur avidissima sciendi æras. minus quoque proclivi ad meditationes sunt animo, qui invitis temporibus student. Exercetur tyrannis in viros à male imperantibus. exercetur quoque à præceptoribus in discipulos. blandos vult esse Doctores Flaccus, & pueris crustula dare, elementa velint ut discere prima. Vti corporum nervis robur accedit ab ætate, ita judicii, memoriæ, phantasiæ, ingenii organis. hæc fatigata intempestivè, languent citius, & spem solidæ & maturæ eruditionis incidunt. Herbas vide & olera, quæ sub initia veris ab avaris colonis fornacum calore & fimo fervidiore tepefacta germinant ocyus, at mox adultiora deficiunt & exarescunt. Est illud seculi nostri cacoëthes. gloriamur parentes, si videamus præstare posse puerulos, cruda adhuc ætate, quæ non possunt alii annis aliquot majores. ideoque atteri patimur ingenia & spirituum fontes exsiccari per pædagogos, ac affligi rationales potentias, quæ, ubi adoleverint illi, marcent & stupent, attrita ad perpetuarum & crebrarum lectionum cotem ingenii acie. Caveant ergo

ante

Digitized by Google

ante omnia prudentiores Ephori, ne memoriæ Principum graves sint, & addiscere illos memoriter velint prosa oratione scripta. Carminum alia est ratio, quæ ob connexionem & pedum vincula facilius se ingerunt.

Præterea, dum legunt, ad manum sint codicilli & adversaria, in quibus phrases sententiasque elegantiores transcribant: aut ad finem librorum, quos legunt, inseri curent pagellas aliquot puras, & in illis & paginam libri, & argumenti alicujus nobilioris caput notent. Sic, cum opus erit, ad chartas illas recurrere dabitur, tanquam ad locos communes.

Insuper styli exercitiis quotidie aut alternis diebus incumbant. Latine scripta vertant in linguam vernaculam, hac scripta in Latinam vel Græcam. Cum scribenda erit Epistola, Ciceronis pro paradigmate erunt. Inde salutandi, gratulandi, condolendi, gratias agendi, hortandi, dehortandi formulæ petantur. Nec Senecæ aut Plinii legi dissuaserim, ob rerum gravitatem & usum. In scribenda Oratione, præeat iterum Cicero, hinc Livii, Salustii, Curtii masculæ & erectæ orationes. Interdum velim solos singulosque ambulare per Musæum, per hortum, per agros, & meditari orationem vel Epigramma. Sic sine subere discent natare, & à se quidvis impetrare, ac propriis ingenii viribus fidere, qui aliorum hactenus succo, & veluti præmansis buccellis victitarunt.

Latine semper loquantur, præsertim cum doctiori-

Digitized by Google

ctioribus. imperandi jussa Principem accipere ab inferiori nefas, at loquendi scribendique flosculos fas omnino.

Denique quibus curæ sunt Duces, inter deambulandum, ex iis, quæ oculis sensibusque aliis se offerunt, occasionem captent docendi & quærendi, modo de Sole, Luna, stellis fixis, cœlorum magnitudine, figura, motu, incorruptibilitate, operationibus, modo de elementis, de metallis, stirpium & animalium natura, Solis accessu & recessu, dierum noctiumque incrementis ac decrementis, Eclipsium Solis & Lunæ causis, de animæ facultatibus, &c. Etiam vicinorum Regum ac Principum studia, molimina, successus prosperos adversosque recitent, ut à teneris assuescant ea cogitare, quæ agere viros oportebit.

Quod si forte Ducibus ad exemplum Augusti, Germanici, Mecœnatis, Ciceronis, Neronis, Adriani, animus sit, non in castris solum & bello, sed & Parnassi vertice lauream mereri & vatibus inseri, hanc, qua ad Carmen itur, viam insistant:

I. Poëtam faciunt, Natura, ars, exercitatio.

II. A natura duo sunt: Inventionis facilitas, & impetus sive furor dicendi poëticus.

III. Inventionis facilitas & felicitas ab imaginatione est. Cum enim poësis naturæ sit imitatio, poëta imitator: oportet eum naturas rerum cœlestium & terrestrium, adhæc affectus amoris, odii, iræ, metus, & quæ his sunt simi-

lia,

Digitized by Google

lia, animo circumferre, & phantasia agitare.

IV. Quicunque ergo imaginatione valent, aptiores sunt per naturam ad pictoriam artem & poësin.

V. Furor & impetus poëticus itidem à natura est, & calidiore spiritu & sanguine. qui uti incitatur facile, ita præcipitat venam poëticam, ut expeditius fingat mens, quæ & sunt & non sunt in rerum natura.

VI. Idem furor versuum copiam suppeditat, sicut copiosius fluere solent aquæ, quæ impetu feruntur, juxta illud Horatii: *Monte decurrens velut amnis, imbres. Quem super notas alluere ripas, Fertur, ingenſusque ruit profundo Pindarus ore.*

VII. Ad artem, præter præcepta Grammatica, de syllabarum quantitate, & pedibus, utile erit ex Scaligero discere diversa carminum genera, & genium singulorum. Quid nempe proprium sit Heroici aut Epici carminis, quid Elegiaci; quid in Iambico, Scazonte, Hendecasyllabis, Choriambico, Sapphico sit maxime observandum.

VIII. Quid differant carmen Tragicum & Comicum, quibus legibus Tragœdia, quibus Comœdia scribi debeat, quid sit carmen Lyricum, quid Satyricum, &c.

IX. Necessum quoque est ad artem poëticam, lectitare poëtas clarissimos, Virgilium, Horatium, Ovidium, Senecam, Iuvenalem.

X. Virgilium, Lucanum, Claudianum imitandos

Digitized by Google

tandos censeam in Epico carmine, Horatium in Lyrico, Ovidium in Elegiaco, in Comico Terentium, in Tragico Senecam, Satyrico Iuvenalem.

XI. Hoc etiam agendum, ut unum aliquem è multis poëtam familiarem nobis reddamus, eumque velut in succum & sanguinem convertamus. Ita fiet, ut impressa menti optimi carminis idea, habeant quem in scribendo imitentur.

XII. Opus insuper est cognitione aliqua universali rerum naturalium & moralium, avium, quadrupedum, piscium, arborum, fluviorum, montium, silvarum, regionum, Deorum, & Dearum. Faciunt enim illa ad elegantiam carminis, & locuples argumentum suppeditant vatum commentis.

XIII. Plura præcepta ad Artem poëticam pertinentia, petere licet ex eruditissimo libello Horatii de Arte Poëtica.

XIV. Denique exercitatione opus, sine qua nec natura nec ars quicquam laudabile præstare valent. Itaque crebro scribendi versus. nec tam laborandum ut multos scribant, quam ut bonos. Quare premendum est poëma, & sæpius ad incudem revocandum.

XV. Eligenda etiam materies apta poëticæ commentationi, ut bellum, pax, tempestas, Aurora, Vespera, Meridies, Ver, Autumnus, Virtutes, Vitia, &c.

XVI. Vbi versus aliquot scripserint, paulisper deambulent, & spiritum recolligant; quo alacrio-

Digitized by Google

alacriores redeant ad intermissum opus, & veluti novo perciti œstro.

Interdum adsuescant scribendo Epigrammati: quoties enim lepidum quid, aut memorabile accidit, quodque acumen ferre possit, districha duo aut tria meditentur, &, quod proprium est Epigrammatis, acute & nervose concludant.

Hæc de formandis Ducum Tuorum studiis dicenda habui, non ut Te, doctissime Vir, docerem, sed ut videas eadem me dicere, quæ tu facienda sentis. Præscripsi normam, non fixam & immobilem, sed Lesbiam, quæ accommodari debet genio, captui, indoli discentium. ut enim cuivis pedi non quadrat quivis calceus, ita nec eadem methodus cunctis conveniat. Vti æger à Medico, animus à præceptore curandus. ætatis, temporis, temperamenti habenda sollicita ratio. Nec est, quod deterreat Duces tuos autorum multitudo & discendi labor. sunt in flore ævi, & ut corpus labori, mens ferendæ intentioni par redditur. Non est quod cessent iter doctrinæ & honoris ingredi,

dum res & ætas & sororum
Fila trium patiuntur atra.

Nihil tam arduum, quo non penetret studiosa & fervida animi vis. quisque dies opus suum probat. proficimus indies tacitis incrementis, ut herbæ & virgulta. mox profeciisse nos sentimus, & cum Sole progressos esse progressus nostros. Adsit tenor & constantia. & si à Sapientiæ

Digitized by Google

tiæ omnes autore Deo ingenio vim, moribus & affectibus moderationem petent, rem factam habebunt optimi Principes. Non poterunt non excellere scientia Duces, religione, pietate, & tot heroicis virtutibus præparati. Scripsi hæc rogatu tuo, ob singularem, quo in Duces Megapolenses feror, affectum. Debent Maximis Principibus istiusmodi officia, quorum quoque interest, ut regnorum rectores sapiant, per quos non imperiis solum, urbibusque, sed & humanioribus litteris earumque professoribus, suus constat honos, dignitas, & excellentia. Vale Vir doctissime & amicissime. Amstelod. 1640.

409.

CONSTANTINO HUGENIO.

Nobilissime Hugeni,

Mitto tibi exemplar Methodi, quam rogatus præscripsi Ducum Megapolensium studiis. Ea Germanorum indoles est, amant & efflagitant methodos, quia artem longam esse prudenter judicant. Ideo student compendiis, & integras artes non addiscere sensim, sed devorare cupiunt, quas Dii non nisi magnis laboribus vendunt. Non volo hæc te legere. Legat Constantinus tuus, qui licet Megapolensium Dux non sit, dux tamen est sui ordinis, hoc est fratrum, inter quos ἀριστεύς. [*optime rem gerit.*] Est jam Delphis amatorum Tessela facta pila, cujus soror Anna Te vitri stupenda inscriptione beavit. ego meum exspecto, cum hoc elogio:

Digitized by Google

elogio: *Ungula vatum.* Percussis enim à Liberi patris Lyncibus, uti à Pegasi ungula Parnasso, scaturiunt uberius poëtis carminum fontes. Tu, ut audio, ad castra & bella abis. abeunti prosperrimos precor, ut & Patriæ, eventus. Vellem glorioso Marte, magnis commodis, at pauco sanguine juvari posse Rempub. & incruentis sacrificiis redimi Federatorum libertatem. Hic terræ motu quassatæ ædes & in ædibus supellex mira portendunt. Porrexit se σεισμὸς [*motus*] iste Coloniam usque, & ultra. Quæ causa? An quia apertæ, verni caloris vi, telluri & in vapores resolutæ supervenit nuperum gelu, egressumque vaporibus præcluſit, qui exitum molientes terram magnis occultisque insultibus concussere? An quia novam Orbis Europæi concussionem minantur fata? Tu rerum divinarum & humanarum conscie, judica. Vale, Amicorum corculum, & Tesselam meis ac tuis verbis saluta. Raptim Amstelod. 13 April. 1640.

410.

DANIELI SCHONCKIO.

Nobilissime Vir,

Quem dolorem meum coram testatus sum verbis, jam scripto pergo profiteri apud plurimos. Debui hoc officium dilectissimæ tuæ conjugi, partim ob veterem amicitiam, partim ob perpetua & nunquam interrupta humanitatis officia, quæ erga me ambo profusissime explicui-

Digitized by Google

plicuistis. Non loquor ad os; illud affirmo serio, amisisse Te, aut potius præmisisse honestissimæ exactissimæque conjugis ipsissimam ideam, quæ morum facilitate, modestia, fide erga maritum, erga amicos benevolentia, & quod potissimum est, pietate se erga Deum & parentes probavit quam maxime. Beata est, quia in Domino mortua. Sed ô cladem alteram, & vulnus vulneri superadditum morte filiolæ unicæ! Vide quam Te diligat ter Maximus. exercet Te adversis, ut servet; invisit paterne, ut creatoris jure plura ipsi in te licere discas. Ego solatia omnia non repetam, nec in unum congeram: Poëmate meo fusius illa exequor. Non sufficiunt illa ad explendas conjugis laudes, sed temporis angustia intercluso non licuit mihi esse prolixiori. Exequiis Leydensibus interesse non possum, sed sistam me, si Deus volet, Ultrajecti, ut postrema illic justa persolvamus. Vale. Amstelod. 3 Iun. 1640.

411.

PETRO C. HOOFT.

INvitas, Hoofdi nobilissime, magna nomina, Vicofortios & Coymannos, una cum uxoribus virtute ac forma eximiis. His me socium adjungi vis, ut illorum splendor meæ tenuitatis ac deplorandæ orbitatis conspectu illustrior sit. Solent hoc factitare pictores; vultum deteriorem inserunt tabulæ exquisitissimas formas exhibenti, & loripes Vulcanus jungitur Veneri, ut

Digitized by Google

ut appareat ingens amantium discrimen. Diem Jovis mensæ tuæ fatalem destinavere omnes, nisi grandis causa impediat. Venirem ego lubens una, nisi Dialectici & Peripatetici mei Auditores prohiberent, veriti ne malo ad pigritiam ipsis exemplo præirem. Die Solis domum reversus sum à funere nobilis & eximiæ matronæ Catharinæ Overbeequiæ, quæ Domino Schonckio minoris Poelgeestæ Dominæ nupserat. Extincta est optima mater anginâ, quam ejusdem fati consors triduo post secuta est filiola unica. Ille calamitate tanta perculsus stupet, & num superis an mortalibus accenseri debeat, dubius hæret. Ego Sisyphi jam saxum post longas ferias volvere occœpi, & de Temperantia verba facio, cujus nomen monet, ut voluptatibus, quas Muyda profuse promittit, fruar parcius. Non est viri temperantis ejurare lepores & honesta ærumnosæ hujus vitæ condimenta. sed & obvias non semper amplecti, officii quoque sui esse putat. Alias contabesco & desiderio loquendi tibi, & iis sermonibus pascendi animum, quibus per te ad sapientiam, comitatem, urbanitatem, & nullam non ὁμιλητικὴν [*civilem*] virtutem præformamur. Cuperem videre florentem hac anni tempestate acanthum, & spinosa ista mœniorum tuorum arbusta. attraherem odores in intima cerebri, in ipsos ventriculos spirituum animalium capsulas & focos, ubi Poëtarum animæ simili aura nutriuntur. Si adesset Tessela, impatiens

Digitized by Google

moræ accurrerem, ut aures meas cœlesti harmonia permulceret cœlestis femina. nunc Caucaso alligatus, sino, ut cor meum exedant Aristotelici vultures, & me objectamentis suis lancinent Socratici juvenes. At quam tu graviter de militantis Europæ laboribus sententiam pronuncias, & in Principum arcana penetras judex serius. Magna omnes moliri video, agere nihil. Heri litteræ à Consiliario D. Brederodii transmissæ nunciant, Principem exercitum omnem lustrasse, & ut se moveret quisque jussisse. Circa vesperam accepi, Auriacum reflexo cursu trajecisse, desideratis suorum pluribus, Leyam, & in Wasiam, relictamque malo fato Calloam, cum exercitu omni magna celeritate contendere. pugna ad arcem S. Donati, alterius expeditionis πρόφασις [prætextus] fuit. Certiora exspectamus, & in majorum omnes spe sumus. Vale, Vir maxime, & uxorem dignissimam, filiasque meis verbis saluta. Amstelod. 12 Jun. 1640.

412.

DANIELI SCHONCKIO.

NOn ita pridem per omne honestissimarum voluptatum genus me circumduxisti, nobilissime vir. Piscati sumus, & pisces cepimus: venati sumus, & cessere in prædam lepores: aucupati sumus, & sturnos glande è quercu dejecimus. Quin toto Rheno nos non una voluptate adsperst Nayadum & Dryadum vicinarum

Digitized by Google

rum hilaritas. Ita per jocos & facetias periere dies Caniculæ. Statueram omnino serio apud te agere, & describere mihi meditata: sed non est tua domus severitatis & Philosophiæ tetricæ sedes, verum amœnitatis omnis, & comitatis, & suavitatum locuples domicilium. Illud sane ad gravitatem facit, quod primus me docueris baliſtam explodere, & pulverem nitratum flammasque circumfusas capiti non exhorrescere. Hactenus imbellis fui civis, & parum vehemens Patriæ assertor. Iam possem non versibus solum, sed & pilis ferreis in Hispanum detonare, quanquam metus non sit ne mea manu pereat hostis. Pro his officiis tantum tibi debeo, quantum mihi roboris, animi, vigoris & boni spiritus addidisti. Nunc fatur voluptatum vultum, vocem, manum, & calamum compono ad Academicas exercitationes & desuetos labores. Illud doleo incidisse in hæc feriarum tempora infamem istum casum convivarum quatuor, quibus repulsam passis famendum erat, nisi per socrum tuam famelicis stomachis consultum fuisset. Vale. Amstelod. 1640.

413.

PETRO C. HOOFT.

Nobilissime Hoofdi,

Cum me nuperi itineris turbonem & festinantium matronarum virginumque remoram tuis ad nobilissimum Vicofortium literis incessis;

sis; tanto æquiore animo hæc tua maledicta fero, quanto tu minus iniquo ista scripsisti. Opus est Davo, non in fabula solum, sed & in mensa, & lecto, & itinere. Languet sine tumultu vita humana. excitandi interdum fluctus in placido mari, ne dormiamus nautæ. Matronas virginesque quod attinet, servavi invitas. dum enim abiturientem modeste simulant, mea importunitate detentæ fuerunt non male. Ex quo à vobis discessi, epulati sumus opiparè ego & cognatus tuus cum Andromache sua in Lacubus Diemensi & Bylmensi. Iam nova audi, ut credas mihi ferias esse, & indulgentiam magni otii. aliena negotia curo, excussis propriis. Appulere, uti audivisti ante, naves onerariæ octo ex Oriente, totidem ex Occidente, aliæ è mari Mediterraneo, pretiosissimis omnes mercibus onustæ. Mihi quanquam ex tam immani messe spicilegium nullum reliquum sit, meo tamen gaudio juvo patulas fauces multa petentium; gallis gallinaceis similis, qui ubi ova peperere gallinæ, nec ipsi, nec sibi, sed domino ingenti cantu & strepitu insolentiore gratulantur alienæ felicitati. Utinam exoticæ istæ merces culinarum solummodo essent solatia, non avaritiæ, superbiæ, luxusque nostri scelerata materies. In Insubribus pergit Gallus & Hispanus gloriam ex hominum laniena quærere. Hostes sumus humani generis, quotquot flocci facimus hominem, mundi imperatorem, Dei Opt. Max. artificiosissimam fabricam. Venetus

suo

Digitized by Google

ſuo more ſpectatorem agit, ne partes offendat. Banirius grandem exercitum non armis, ſed fame atteri dolet. nec hoſtem habet, quem prælio aggredi poſſit miles, nec quod mordeat. Ratisbonæ de Imperii rebus concilia habentur, majore, ut auguror, apparatu, quam rerum ſucceſſu. Wimarienſium aliquot copiæ, amiſſo Duce Bernardo, degeneres, ob ignaviam alicubi vapulavere. Gallia & Hiſpania concuſſis certatum viribus de Atrebato dimicant. Longæ Gallorum moræ ſuſpectæ prudentioribus. Intereſt Cardinalis Hiſpani, ne urbs illa liliis coronetur. Forte & hic, ut noſtrate proverbio dici ſolet, magnam controverſiam dirimet μάγειρος. [*coquus.*] Imperator Ottomannicæ portæ vivere deſiit, ne putes Mahometem dare poſſe ſuo ſucceſſori, quod nequiit ſibi. Britannus terret, & terretur. Niſi egeret æris maximus Rex, poſſet diffringere adverſantium portas, & montes ſylvasque Caledonias penetrare. Nunc nobiscum paciſci cupit, ut litem veterem redimant Societatis Indiæ opulenti negotiatores. Sclopeto ictus Gubernator Neomagenſium, ſenſi, nullo fata loco poſſe excludi, & in medio etiam Tibure eſſe Sardiniam. Auriacus altero molimine fruſtratus, tertium jam non minore animo audet. Belli incerta, prudentia, mora, occaſione reguntur. Auſim nobis adhuc polliceri facinus tanta indole dignum. Vale cordatiſſime & ſuaviſſime Heros, & ſyllogen hanc publicæ & privatæ fortunæ argumentum crede indubium

Digitized by Google

bium oſcitantis & ſomniculoſi ſcriptoris. Salutant Te, Dominamque Hoofdiam, non Hoofdii, & propagines veſtras filiæ meæ filiusque. Amſtelod. prid. Cal. Sextil. 1640.

414.
JOACHIMO VICOFORTIO.

Obiliſſime Vicoforti,

Magnam hujus ætatis partem tecum in amœnitates diſtribui. Dum belligerantur purpuræ, nec finibus ſuis contenta ambitio regna urbesque patulis faucibus devorat, nos contracto cupidine ea voluptate fruimur, quæ Deorum felicitatis æmula eſt. Legiſti puer apud Homerum, Iovem à mundi curis feſſum ſubinde ad Afros & Æthiopas commeſſatum deflectere. Legiſti, eum modò in Cretam patriam ſuam ruſticatum abire, modò Iunone ſpreta in Theſſala Tempe ad Penei fluminis ripam ſecedere. Quod ſi hæ voluptates Deos capiunt, quid ni nos homunciones, quorum gaudia tot calamitatibus indies flagellantur, quorum ſanguini admixtus eſt ſuccus iſte nigræ loliginis, eos captabimus locorum ſeceſſus, in quibus nec de nummi valore controvertitur, nec quid diſcrepet à Stoâ Peripatus, à Socratica barba palliolum Cynicum, anxie disquiritur. Fui tecum Muydæ, ubi Hoofdius, Leonora, Suſanna, Conſtantia, egregiis exemplis magnarum virtutum documenta nobis dedere. Equidem in Hoofdio præter facundiam, prudentiam, comitatem, admiratus

Digitized by Google

miratus semper fui priscam illam morum simplicitatem, nec fluxos hujus seculi ritus, quibus vicina Gallia Batavorum constantiam expugnat, & in Proteos transmutat. In Leonora, tanti viri conjuge, Cornelias, & Sempronias, & Placidias, & Flaccillas, & Serenas adspicio; hoc uno ab illâ dispares, quod à magnis virtutibus secreverit grande supercilium, nec pro dote triumphos numeret. Susanna comis est sine fuco, diserta sine arte, modesta sine affectatione, sine ostentatione sciendi avida. Constantia primam virtutem putat, omnes complecti posse, & dissimulare singulas. Postea in villa Domini de Tramâ combussimus dies aliquot, ambulando, ridendo, edendo, bibendo. Memini, cum nos exciperet Beverovici facetiarum pater P. de Wilhem, & in agro Dimerio Breenius, ubi in cerasis hæsimus oculis, manibus, dentibus, totaque epiglottide. Iam, pro dolor, à te, mi Vicoforti, divortium feci & aliis amicis. permistus in Rheni ripa, alium aërem haurio, alium succum bibo, alias terras calco, aliis ignibus ustulor. De aëre concedes facile, eum hic puriorem esse vestro, qui paludibus stagnisque Amstelæ gravis incubat. Succus, quo hic vivo, mere Rhenensis est, & quidem Moguntiacus, interdum Hispaniensis, interdum è Cypro aut Candia Malvaticus. tuus rubet; & cruento colore terret imbellem philosophum. Terras hic calco non sabulosas, sed glebosas prorsus, non arborum fruticumque va-

Digitized by Google

cuas, sed frondosas undique umbrosasque. Quod si de ignibus sciscitaris, oberro hic inter desertas Creusas ἄγαμος [cælebs] Professor, & dum plures adspecto, dum precia singularum expendo, & velut ad stateram argentariam suspendo, hæreo anceps animi, nec quam fugiamve petamve, aut quo me vertam, nescio. similis iis, qui in trivio constituti, stant, nec pergunt. modo formosissimam saluto, sed juvenculam nimis, cujus amoribus vix Leander suffecerit aut Pyramus. Modo quinquageniariæ arrideo, sed quam circumstrepunt pueri innuptæque puellæ, quas si meis accenseas, imperator ero grandis & numerosæ Reipublicæ. Est & alia, quæ me reverenter procantem non dedignatur, verum advocatis caussidicisque fervent limina & porticus. Inter has sollicitudines positus nullum ego colorem imbibo, & oculis meis impero, ne videant vanitatem. Non displicet tibi hoc amici tui sapiens decretum, nec Annæ tuæ, nec Leonoræ Hoofdiæ, quæ amica conspiratione in secunda vota mea conjuravere. Mihi nobilissimus Schonckius plenis modiis omne officiorum genus exhibet, cujus ego recentem & crudum adhuc dolorem Philosophiæ seriis monitis, etiam jocis non illepidis, & prorsus ineruditis, castigo & lenio. Interea de Atrebatensi obsidione læta inaudivimus. Habet Gallus miles quod edat, quod bibat, quo bellaces manus in hostem exerceat. Victoriam magnam in spe magna habet. nec-

dum

Digitized by Google

dum tamen victor est. nondum inclinationem fecit Mavors. Quam multa inter calicem supremaque labra cadant tot veteris tot recentioris ævi exemplis didicimus. Nescio, an Gallorum sit, lentè festinare. Sed videbor Tibi fortè nimis βαρυκέφαλος, [*ponderosi capitis*,] & sententias eloqui ultra crepidam. Vale, suavissime amicorum, & magnum Hoosdium saluta, at ante tori tui consortem incomparabilem. Poelgeestæ ad Rhenum, 12 Sextil. 1640.

415.

GUILIELMO BORELIO.

Illustrissime Vir,

Quod abeunti non præstiti officium valedictione, jam reduci præstabo benigna gratulatione. Ivisti trans maria & terras, & altius elevari illic Vrsam vidisti, quam in Batavis. Informe illud animal est, & efferæ indolis; non tamen efferi quotquot sub illo sidere degunt. Oxensternios, Gabrieles & Schuttos salutasti, doctrinæ, humanitatis, & civilis prudentiæ patres proceresque. Horum prudentia monstrat, summos sæpe viros, & magna exempla daturos, agresti in patria crassoque sub aëre nasci. Iam ad tuos reversus causas perspexisti, cur finibus suis olim egressi Gotthi Vandalique in australes terras concesserint, quamque amœnior hic sit habitatio, & natalis soli dulcis fruitio præ exterarum gentium terris moribusque. Sueciam nunquam vidi, nec videre valde gestio. Habet

Digitized by Google

Batavia noſtra quos veneror & colo, quos in oculis & pectore gero, quibus me debere fateor plurimum. Inter hos Tu es, maxime Borelli, cujus facundia Batavi domi foriſque clareſcimus, & Federatorum cauſſa ſummis Regibus principibusque probatur. Fruere hac felicitate, & legationis tuæ fulgori ſine intermicare amicitiæ noſtræ radiolum. Heri dum obverſabaris meditanti, luſi diſticha aliquot, quibus redeuntem ad nos exoſculor. Ea benigno & placido vultu, quo adſpexiſti Reginam & Borealis oræ dominos, lege. Vale.

416.

CONSTANTINO HUGENIO.

Nobiliſſime Hugeni,

Torporem meum in perſcribendis literis excutit ſæpius perpetuus ſcriptor Vicofortius. Iam Tu verſibus tuis, velut alter Miltiades, ſomnum mihi adimis. Religio eſt ſilere, te præcinente. Liberis tuis maſculis graviter & ingenioſe, tuo more, gratularis. Sequor & ego, verum ut patrem apud inferos ſequitur Claudius, non paſſibus æquis. Parentas Didenii heroïs manibus validis epigrammatibus. ego unicum ſcripſi, cum ad plura non ſufficiam. Ad effigiem tuam & dilectiſſimorum pignorum ſuaviter, nec minus doctè, alludis. ita, ut à novercante thalamo tibi videaris metuere. Ego & Tibi & mihi ἀπὸ τῆς μητρυιᾶς [*à novercâ*] timui ſemper, ob lapſam aliquando in privigni caput

Digitized by Google

caput mortuæ novercæ ſtatuam. Ita eſt in Græco Epigrammate :

Στήλην μητρυιῆς μικρὸν λίθον ἔστφε κοῦρος,
ὡς βίον ἠμάχθαι, κ᾽ τρόπον οἰόμενος.
Η᾽ δὲ τάφῳ κλιθεῖσα καὶ ἐκτανε παῖδα πεσόντα.
Φεύγετε μητρυιῆς κ᾽ τάφον οἱ πρόγονοι.

Cippum novercæ ſaxum non adeo magnum coronabat juvenculus
Exiſtimans ut vitam ita mores eam commutaſſe :
Ille vero in ſepulchrum inclinatus ruina ſua puerum extinxit.
Fugite vel ipſum novercæ ſepulchrum, ô Privigni.

In hunc diem ſteti ἀμετάπλωτος [*immutabilis*] & τετράγωνος, [*quadrangularis*,] neſcius tamen fati ſortisque futuræ. Interea γυμνασίας ἕνεκα [*exercitii gratia*] ſecundas nuptias verſibus & dialogis propugno. Sunt inter Epigrammata tua apud nobiliſſimum Vicofortium, quibus Lydiam & Pollucem, & Mæviam, neſcio quam, exerces. Cum legeret iſta incertus author, feſcennina quædam repoſuit. An concoquere has pernas poſſis, non facile dixero. Si nauſeam pariant, exſpue, uti catapotia ſolent pueri. Sed quantis, Zulecheme, conjugiis erigitur Federatorum fortuna & Auriaca domus. Num canendum propediem :

Conjugio Anchiſa Veneris dignate ſuperbo ?

Quantis contra motibus concutitur Auſtriacæ dominationis apex, & ἐυρυκρείων [*late imperans*] Hi-

Digitized by Google

Hiſpanus. Quam diverſis ſtudiis ſurgimus nos, premitur ille. alia nuptiarum, alia rebellionum indoles. illæ nectunt, hæ diſſolvunt federa, juramenta, populos, ſceptra. Nos hic nuper anniverſario feſto Nobiliſſimi Satrapæ Hoofdii interfuimus, cui jambis aliquot applauſi, quos mitto. Aderat Teſſela. Adfuiſti & Tu, ſed uti adſunt abſentes, qui bibunt alienis faucibus, ne de hoſpitis intemperantia querantur. Vale, Vir ſumme, & Conſtantinum tuum mone, ut ſubinde mihi ſua impartiat. volo enim de ipſius progreſſibus eſſe certior. Amſtelod. 30 Ian. 1641.

417.

CORNELIO VANDER MYLE.

Nobiliſſime Myli,

Iamdudum ſcripſiſſem ad Te, ſed recente adhuc, ob filiæ obitum, luctu, nolui unguis eſſe in ulcere. Diſtuli ſtudio, quæ dicenda erant; ne dum ſolatia conquiro, refricem intempeſtivè eorum cauſas. Fatale nuncium jam ad me pertulerat Nobiliſſimus Vicofortius, quod non minus me affecit, ac ſi ſanguis me Tibi, proſapiaque junxiſſent. Vir Maxime, quantum liberorum tibi deciditur, tantum repetitur bonorum, quæ indulſit antè divina clementia. Et vult Deus in uno filio reſiduam tibi eſſe ſpem nepotum, qui nomen Mylium propagent, ne inter plures degenerem fortè aliquem reperias. Periit puerpera, nec diſceſſit, niſi ſuffecta in locum ſuum, prole. Non habet ergo viventium minus,

Digitized by Google

minus, aut hominum mundus, etiamsi è terris migraverit filia. Vivit proles, & in illa mater; uti exarescente flosculo superstites sunt bulbuli. Dolendum utique puerperam mori, avelli à matre, à nutrice sua sobolem, nec educari posse ab ea, cui nascendi proxima debet principia. At quid facias? Inter Homeri eloquia sententiasque grandes, illa prima est: Διὸς δ' ἐτελείετο βουλή. [*Iovis autem perficiebatur consilium.*] Cum Christo, cum Ecclesiæ Christianæ insertus esset partus, illa dimitti cum Simeone in pace voluit, postquam oculis vidisset infantem, quem salvum faceret suo sanguine Iesus. Vix abluta per Baptismum fuerat infanti primæva labes, vix recepta erat in gratiam peccatrix animula, cum matrem à sordibus mundi ablutam purgatamque in gloriam recepit, qui creaverat. Si à marito divortium mortua fecit, capiti suo Christo unitur. Si liberis educandis non vacat, Angelorum familiaritate lætior fruitur. Si Te, si matrem invisere desiit, at Dei Opt. Maximi ora intuetur propius. Quanto ab aula Hagiensi abest longius, cœlesti vicinior est. & parentis terreni alloquio ac convictu destituta, summi patris intuitu beatissima gaudet. Vixit probè filia, virgo, conjux, mater. sexus sui partes explevit omnes. & virtutibus sui ordinis cessit nulli. Quanta hæc solatia sunt, Myli præstantissime, quæ repetere me nec necesse est, nec nocet. Tales genuisse & naturæ & divinæ gratiæ est. Tales pietate moribusque sanctissimis imbuisse

Digitized by Google

buisse, & gratiæ & curæ tuæ. Ego orbitati tuæ condoleo ex animo, dives liberorum. & si simili fato premerer, à Te patientiæ & fortitudinis exempla peterem. Neque enim hæc scribo, ut animum tuum muniam præceptis, sed ut quomodo erga Te affectus sim, pro officio meo, exponam. Pro versibus B. gratias N. T. debeo. quanquam à longo tempore non viderim jambos minus concinnos, & magis distortis incedentes pedibus. Sed hæc soli tibi, Vir maxime, scripta sunto. Equidem doctissimorum virorum hallucinationibus veniam dare, si quisquam alius, paratissimus sum. Audio clarissimo Salmasio in Galliis doctrinæ præmia tanto viro digna à Rege offerri, coronatorum millia duo, annuatim. Creditur vacillare, non in fide, qua se Deo obstrinxit, sed qua Vobis. Sed agendum hoc sedulò, ut quæ de primatu Papæ scripsit, edantur in lucem, ne dum valde placet Gallis suis, fortè per humanam infirmitatem, minus velit displicere Tarpejo patri. Vale Vir summe. Nos per Dei gratiam valemus. Salveant Domina vander Myle, & Filius gubernator. Amstelod. 16 Febr. 1641.

418.

CONSTANTINO HUGENIO.

VAlde me recrearunt Epigrammata tua, Nobilissime Hugeni, nec minus Constantini tui. Totis mihi modiis admetiris versus, toto me cœlo & meteororum omnium ingenti congerie,

Digitized by Google

gerie, domesticâ adhæc suppellectile donas. quæ dum in argutos singula sensus contorques, imperium mihi in superos inferosque exercere videris. Vapulant tibi Sol, Luna, pluviæ, grando, nix, cometæ, fulmina, ignes fatui, totusque exercitus imperfectorum corporum. inde ex suppellectile Satyram contexis, & acum, pectines, specula, forfices, forcipes, dentiscalpia, & nihil non istorum impedimentorum, tanquam stultitiæ nostræ argumentum, traducis. Expendi cum nobilissimis doctissimisque viris, Satrapa Muydensi & Vicofortio, acumina tua & subtilissimas cuspides, in quas desinunt Epigrammata. Multa sunt, quæ ipsam Bilbilim obtundunt. Sed hoc unicè velim, ut istius generis poëmata omnia colligas in unum;

Ne turbata volent levibus ludibria ventis.

Magnam vim habes hujus annonæ. collecta ede in lucem. erunt pro acetariis fastidientibus stomachis, & lactucæ, malvarumque officium præstabunt Sophronistis. Meditationes tuas de Organorum in templis usu & abusu, legi non oscitanter. Est Peripato suum Organum, est Ecclesiæ. Illud procul à fano, hoc fanorum proprium. Illud rectæ rationis regula est & norma, hoc voces cantusque nostros moderatur. Illud in scholis, hoc in templis sonat. Illud sapientiæ præludit, hoc pietati. Prius ignorantiæ & errori, posterius tristitiæ ac dolori medetur. Templorum Organa digiti pedesque movent ludentium. nostrum Organum doctæ

Digitized by Google

doctæ profitentium & docentium voces. Illa ventus inflat & subballio ædituus; hoc noſtrum Simplicii, Philoponi, Ammonii, Aphrodiſæi, Averroës, magna nomina. Ut prærogativis non levibus præcellere videantur Peripateticorum Organa, Triplici delectamur Muſicâ. eâ, quæ vocis eſt: eâ quæ pedum eſt, ad numeros ſaltat: & eâ, quæ Organica eſt, numerosque inſtrumentis, tibiæ, citharæ, teſtudini, cymbalisque applicat. Hæc poſtrema in templa irrepſit; ſed malo apud plurimos more. etenim, quæ non niſi ſacra loqui debebant, profanos ſubinde & laſcivos ſenſus auribus oggerunt. Et licet nulla ſoni, in non viventibus, ſit impuritas labesque, hoc tamen illa peccant nomine, quod memoriam injiciant rerum minimè cœleſtium, vocibus ad numeros eosdem factis expreſſarum. Clamant paſſim Organa, dum abitionem è templis paramus, dum garrimus ſaturi ſacræ auditionis, dum de prandio vel cœna cogitamus, dum ambulationibus diem horamque dicimus. Hæc aliaque plurima correcta cupis, aut ſaltem, ut corrigenda, indicas. Omninò tecum ſentio; non abhorrere pietatem à cantu & luſu. Vetus illud eſt; Deum canere fidibus & citharâ. non eſt ſuperioris ſæculi inventum tertia hæc Muſicæ ſpecies. Antiquiſſimus organorum inventor Iubal fuit. Noachum & Iapetum antevertit hæc hominum ſolertia. Eget animus adminiculis quibus ad Deum ſe & cœleſtia erigat, humo aliàs affixus & languens. Facit

Digitized by Google

cit hoc Musica, quæ dum aërem percutit harmonicè, percutit illum, qui aurium anfractibus continetur, illisque vernaculus est. Hic spiritus afficit, quos animales vocant, animæ operantis proximum instrumentum. Hi animam movent, & eam maximè vim, quæ concupiscibilis dicitur, ubi gaudium, lætitia, amor jucundi & tristium fuga odiumque stabulantur. Et quia gaudio hoc fruitur attenta imaginatio, gaudet imaginatione delectabili ipsa ratio & intellectus. Hic dum numeros accipit sanctioris cantilenæ aut poëmatis, quod de Deo, vel Angelis, vel Christo & salutis nostræ mysteriis loquitur, excitatur & erigitur horum cogitatione mens, & animali gaudio succedit spirituale & verè divinum ac cœleste, quod nos subductos humo, Deo propius jungit, & velut ecstasi quâdam abripit mentem, & cœtibus, (dixissem penè Dis) miscet Superis. Quæ cum ita sint, pessimo divortio ab Organis attentionem, ab attentione pietatem & rerum divinarum seriam meditationem separamus. Tu, mi Hugeni, medicinam publico errori quæris & invenis. Nec dubito, quin admissuri illam sint, & amplexuri sacrorum antistites. Ea quippe observas, quæ & caveri debent religiosè, & fieri minus superstitiosè. Scribis te aurium apostemate laborare. non debebas sanè, ut qui crassas & Batavas habuisti nunquam. aperto absceſſu auribus eris purgatissimis, uti naris es & fuisti emunctissimæ. Certè olfacere potuisti tot organorum apostemata,

Digitized by Google

& attendere ad illa, quæ in eorundem in templis usu inconcinna prorsus sunt & dissona. Valetudinem tibi quâvis corporis parte validam ex animo precor. Filiorum quadrigam saluta. Constantino respondebo intra dies pauculos. Mira scribit Adolescentulus iste, ætate puer, prævenit arte senem. Nec à te degenerem se præstat Christianus, qui licet à fratre secundus sit, non vult esse secundus. Vale, vir maxime, nec odisse velis unquam, qui te deperit & virtutes tuas pro interula habet:

Pectoris illa tui virtus candorque fidesque
Proxima Barlæi tangit operta tui.

Amstelod. 26 Feb. An. 1641.

419.
CORNELIO VANDER MYLE.

Obilissime Myli,

Cum nuper Leidæ essem, intellexi professionem linguæ Græcæ in Academia ista vacare. Decreveram jam tunc N. T. commendare D. Iohannem Brosterhuysium, à multis mihi annis ab egregiis virtutibus notum. Verum Amstelodamum reverso occurrit frater, & se à Sparta ista alienum non esse significat. Quin literas commendatitias efflagitat, quas illi ut negem, ipsa pietas vetat. Studuit sub clarissimis viris D. Vossio Dordraci, D. Bertio Leidæ, in Illustrium Ordinum Hollandiæ Collegio Theologico, ubi, Te Curatore, ad Senatus Brielani delignationem Philosophiæ primum, inde Theo-

Digitized by Google

Theologiæ operam dedit. Hinc exacto sexennio dimissus, in Galliis Generosissimo Domino de Langerack, apud Christianissimum Regem Legato, à concionibus fuit, annos octo & ultra. Inde in patriam reversus, oblatum ab Amstelodamensibus Conrectoratum arripuit. Quo summa cum laude functus fuit annos duodecim. Latinas litteras & quæ ad Romani sermonis puritatem & elegantiam faciunt, probè novit. Græcis non tinctus, sed imbutus est. Epigrammata Græca scribit non sine genio. Quin & cum necesse est, Græcè loquitur. Vitæ est inculpatæ. Indole & moribus placidissimis, & ad omnem humanitatem modestiamque comparatis. Non dicam plura, ne à fratre profecta videatur commendatio. Hoc ausim dicere, non noviſſe me alium isti professioni idoneum magis. Faveo ego Academiæ vestræ, in qua aliquando docui, & è qua invitus dolensque abii. Honori ejusdem consultum volo, si quisquam. Non ambit professionem hanc frater meus, ut luculentiore fruatur stipendio, habet hic non minus luculentum. Verum labores scholæ redemtos cupiat faciliore provincia, & horas plurimas unius lectione; præterquam quod honoratius sit profiteri apud Academicos, quam inter pueros cum barbarie & petulantia luctari. Vale Vir nobilissime & præstantissime, & has ipsas literas nobilissimo D. Catsio, aliisque ad quos hæc res spectat, prælegi non ægrè feram. Scriberem Domino Catsio, sed scriben-

Digitized by Google

da essent eadem. Orationem meam, quam de Christo patiente habui, mittam proxima hebdomade, ut & Venerem Britannicam in Nuptias Domini de Heenvliet, &c. Circa nuptias Celsissimi Principis Auriaci jam ungues mordeo & pluteum cædo. Amstel. 7 April. 1641.

420.

JACOBO VANDER BURGH.

LItteras tuas ad sororem datas vidi non semel, quibus in amicorum censum etiam nomen meum adscribis, & me salute impartis. Hoc nomine gratias me tibi debere fateor, & te non immemorem esse mei non illubenter cogito. Sed quam tu jam in beatitudinis humanæ stas apice, ut qui à Principum aulis in Regum palatia transflatus es, & eos scribis articulos, quos ego me ignorare non doleo. Satis mihi est Principis nostri celsissimi germen iis sponsalibus innexum, quæ ipsi gloriam, imperio munimentum, & Patriæ universæ maximam securitatem parabunt. Est profectò, quod sibi gratulentur Federati Ordd. qui tantis præsidiis insistentes minus jam ab Hispaniarum Rege sibi metuere habent. Federe, nuptiis, religione jungimur. Primum illud vinculum disjungi non patietur secundum: secundum disjungi non patietur tertium, quod dissolvi non patitur Ecclesiæ Anglicanæ status & Parlamenti sedula cura. Commovit aliquando similis tempestas Belgium hoc nostrum, quæ jam Britanniam & Scotiam.

Digitized by Google

tiam. Emerſimus nos, emergent etiam per Dei gratiam Britanni. Humana ſunt quæ aguntur, quanquam & divina. Excitat è veterno Deus Eccleſiam, ut commiſſam contentionibus exerceat & probet. Ego mentionem tui apud tuos facio ſæpenumero. Viximus unà, riſimus unà, verſus ſcripſimus una, ſerios jocoſos prout ſe res dabat. Hæc vita noſtra eſt, vander Burghi, quaſi teſſeris ludas: hoc jactu gaudemus, illo dolemus. Mihi illa placet, quæ à morositate eſt aliena, & à ſycophantiis. Sed ecce filium meum inter Britannos. Cum enim in Britanniam transiret Princeps juventutis Batavicæ, & ſecum traheret magnum nobilium ſyrma, volui eum inter umbras eſſe, non ut aliorum ſplendori aliquid detraheret, verum ut majores ſorte & purpurâ ſuâ illuſtraret humilitate. Si quid tibi dulce meum eſt, talem te illi præſta, qualem te mihi præſtitiſti ſemper. Vale, & ſi me odiſſe potes, ego me ulciſcar majore tui amore, & benevolentiâ. Amſtelod. 11 Apr. 1641.

421.
CORNELIO BOYO.

ITa eſt, clariſſime Boye, fui Haghæ, nec reperi te. Iunxiſſet nos mensâ nobiliſſimus Catſius, qui juncti animis ſtudiiſque ſumus. Sunt inter nos litterarum & carminum commercia, ſed alloquiorum & confabulationum & leporum nulla hactenus fuere. Exſpecto ut aliqua occaſio nos ſociet: exigam hinc rationem Epi-

Digitized by Google

grammatis, quod in effigiem meam ſcripſiſti. Si Batavus mihi ſubdit Homerum, ego illum Batavum in alios iſtas laudes congerere malim, quàm in me. Plurimum illæ poſſunt ad conflandam invidiam homini minimè præfidenti, & ſibi Suffeno. Mi Boye. novi amicos, quibus oculi ex humorum illapſu cœcutiunt. An non Tibi idem accidit, iſta cum ſcriberes? cujus mentem propenſior fortè in me adfectus velut denſa nube occupavit, ut, refractis benevolentiæ radiis, minima maxima tibi appareant. Satis fuerit, ſi inter Bavios & Mævios cenſeri merear, quorum in Bucolicis mentionem facit Maro. Effigiem iſtam meam, quam te vidiſſe ſcribis, non vidi. cuperem illam habere. Delineavit me ante ſemeſtrem pictor aliquis Leydenſis, verum non noveram me ex iſtis lineamentis. Mitto aliam ante plures annos ſculptam. Deſidero videre tuam, cui hoc Epigramma ſubſcribam:

Qui Themidi loquitur Phœbus, vateſque tribunal
Concutit, & trepidos aſſerit ore reos;
Talis Boyus agit. Wulachrum cui fluctus & undæ,
Et patriam dulces dant Heliconis aquæ.
Exuvias hic Vatis habes. nihil adſpicis ejus.
Mentitur verum tota tabella virum.
Sed Rhodopen, raptaſque nurus, Silenque pererra.
Non alibi Boyum cernere, Belga, potes.

Vale, vir præſtantiſſime, & maximo virorum D. Catſio me officiaque mea omnia trade penitus. Amſtelod. 27 Apr. 1641.

422. IA-

Digitized by Google

422.

IACOBO CATSIO.

Obſ. ſſime Catſi,

Miſi nuper N. T. Poëmation in Nuptias Celſiſſimi Principis Guilielmi, ut illud Ill. Præpot. Hollandiæ Ordd. Delegatis offerres. Tu, quo es in me affectu, ut illuſtrior eſſet offerentis gratia, toti Ordd. Hollandiæ Conſeſſui illud exhibuiſti, ut me favore publico totum involveres. Eſt quod hoc nomine Tibi æternum debeam. Fateor ingenuè, non tam mihi gratum fuit iſto Fortunæ rivo inaurari, quam intelligere, communibus omnium Civitatum ſuffragiis in me defluxiſſe illam liberalitatem. Tu Intelligentia illa es, quæ orbem iſtum rotaviſti, & Planetas Reip. noſtræ feliciſſimâ coitione mihi conciliaſti. Quid rependam? memorem tantorum beneficiorum animum εἰς τοὺς αἰῶνας. [*in ſecula.*] Si quid porro à me officii N. T. præſtari poſſit, id omne Tibi militat uni. Impera, & manda, meque peculium tuum habe, & vadimonio nunquam redimendo obſtrictum. Summum hoc ſtudiorum & Muſarum mearum ſolatium eſt, Tibi placuiſſe. Vtinam ea à me proficiſci poſſent, quæ exacta judicii tui vis, ingenii ſolertia, facundiæ torrens probet. Annitar ut talia ſint, & conabor Te illis aſtris quavis occaſione inſerere, ubi Mecœnates, & Attici, & Lælii habitant. Vale, præſtantiſſime Vir, penè dixiſſem, mî Catſi; niſi veritus fuiſ-

Digitized by Google

sem, ne amicitiæ & benevolentiæ vox muneris tui & virtutum splendori obstreperet. Amstelod. 17 Iun. 1641.

423.

CORNELIO VANDER MYLE.

Nobilissime Myli,

Dudum est, quod fratrem meum tibi commendaverim, ut ea professione potiri possit, ad quam totus factus est. Non video, quid in illo desideret quisquam, quod ad honorem & decus Academiæ vestræ spectet. Ætas illi justa & matura est annorum 48. A studiis divortium nunquam fecit, nec per intervalla cum iis rediit in gratiam. Ex quo Leida juvenis discessit, Theologiam concionator professus est, & in Galliis linguam Græcam excoluit sedulo, ut sæpe mihi tum temporis Epigrammata Græca transmiserit, quæ D. Cunæo p. m. cognato meo perplacebant. Gallia relicta, ubi per annos novem vel decem Illustri Legato Potentissimorum Ordinum à concionibus fuit, Scholæ hic conrectoratu functis est, summa cum laude, D. D. Consulibus, Curatoribus, discipulis suis charissimus. Cum peritia linguæ Græcæ junxit Latinæ & Gallicæ & Italicæ linguæ studia. Et si pacis esse studiosum & alienum à simultatibus ad tranquillitatem & gloriam Academiæ vestræ facit, certè in ipsam incidistis lenitatem & modestiam. Quanquam de fratre loquar, vera tamen sunt, quæ dico. Docet adhæc feliciter, quod

Digitized by Google

quod in professore primum est. Non satis est, novisse multa. Professoris est eloqui illa posse, quæ scis, ut ex te sciat & discat alter. Quamobrem non petam à N. T. ut in veteris nostræ amicitiæ & ejus reverentiæ, qua N. T. colui semper, gratiam, suffragium commodes fratris desiderio. Verum ut ea examinentur, quæ professionis istius propria sunt & οἰκεῖα [*peculiaria*] decora, rogo. Vale Vir maxime, & me, quod feciſti constanter, ama. Amstel. 18 Iun. 1641.

424.
CONSTANTINO HUGENIO.

Nobilissime Hugeni,

Cum aquæ in euripos & cataractas magno impetu irruunt, sisti eas hinc inde objectis valvis portisque necesse est, ne mole sua obruant vicinas terras. Mihi tanta rerum scribendarum moles incumbit, ut punctis mille & commatibus & parenthesibus singultientibus opus sit, ut scribenda determinem, & suo singula ordine efferam. Ex quo Haghà cum Principe abivisti, ego individuum vagum fui, modo Poelgeestam, modo in Bamestræ agrum, modo Muydam, mox Beverovicum & Alcmariam abreptus. Vbique inter meos tuos quoque amicos repperi, quibus benevolentiæ tuæ & comitatis characterem impressisti. quam ob causam meminisse tui amant, sive sicci seria agant, sive adspersi Libero Saliaribus dapibus ornent Deorum pulvinaria. Poelgeestæ apud cognatum tuum, D. Schonc-

Digitized by Google

kium censum inivimus tuarum virtutum. verum hoc unum in vitio posuimus, quod cum omnes devincias tibi, argumentum invideas & bonas occasiones demerendi te. Debere tibi nos mavis, quam debere nobis, & corporibus Diisque cœlestibus similis inferioribus te tuaque donas, at accipere quidquam à sublunari mundo nescis. Bamestra Riccios, Ossios, Ranstios mihi obvios cum pilentis & quadrigis objecit, quibus regaliter vectus accessi Tessalam, cui epistolæ tuæ partem prelegi, quæ de rivalibus agit

Illa suos prudens mecum suspendit amores,
Et solum Veneris nomen, siccosque poëtas
Sicca colit. neque tota gelu. blandissima posset
Basiolis & versiculis matrona resolvi.

Ab ejus facundia est carmen hoc, quod mitto, inscriptum albo Nobilissimæ Virginis Trajectinæ Ogel. Beverovici apud amicos te totum Parisinis uvis immersimus, & ibidem in prædio Coymannorum asparagos non una tibi paropside sacravimus, optavimusque omnes, ut quam cito illi crescunt, tam cito te incolumem videamus, & victorem Auriacum. Quod interpretem te præbueris Veneris meæ Britannicæ apud Celsissimum Principem, est quod Tibi æternum debeam. gratiores sunt aulicis chirothecæ, quibus iridis pulverem adsperserit artifex. gratiores quoque fuere versus mei, quibus tu scholiis tuis, velut myrothecio, fragrantiam addidisti. Cogita, mi Hugeni, grandi te munere functum, cum ista ludicra interpretaris. Est quippe

Digitized by Google

quippe inter Deos Ἑρμῆς, [*Mercurius*,] interpres Deorum. Vivat Princeps in Musarum solatium, & μέγα πένθος Ἴβηρες. [*magnum luctum Iberi.*] Vivas & tu, qui Celsitudines facundia tua & exaggerationibus argento emungis in amicorum gratiam. Nobilissimus Vicofortius in Hagiensi agro habitat. Ego tanto amico orbatus erro, velut viduatus compare turtur, & Pylade Orestes. Commutavi jampridem cum filio tuo Constantino epistolas & versus. Obiit Trajecti ad Rhenum pictor celebris Iacobus de Gheyn, & vander Burghium nostrum perditum ivit legato octo mille florenorum. Gaudet simili beneficio soror vidua, exactissimæ matronæ exemplar. Eidem Gheynio hoc distichon meum suspenderunt in Trajectino templo amici:

Praxitelem Xeuxinque duplex discriminat urna,
Hic unâ Xeuxis Praxiteleſque jacent.

Scripsit jampridem Parisiis Nobilissimus Stella ad D. Vicofortium, Eminentissimum Cardinalem Richelium unice optare, ut versibus meis dici posset. Est is Stella in flagranti apud Richelium gratia & mihi addictissimus, nuper legatione functus apud Brisacenses, nunc ad Helvetios missus, aut mittendus. Ego, ne videar deesse votis tam clari Ducis, meditor Panegyrin de ejus laudibus. Redeunt ad Te Epigrammata tua doctissima & acutissima, quæ gradibus iterum distinxi, ut qualitates primas solent Physici. Si malus fui censor, expecto,

ut

Digitized by Google

ut mihi accidat, quod Tireſiæ aut Marſyæ. De nova Poëmatum tuorum editione velim ſerio cogites, præſertim Epigrammatum, quibus ſalivam moves omnibus, adde & ſplenem. Erunt pro acetariis faſtidientibus ſtomachis, & ſunt inter illa plurima quæ Bilbilim obtundunt. Vale, nobiliſſimi Hugeni, & me, quod facis, ama conſtanter. Amſtelod. 9 Iul. 1641.

425.

JOACHIMO VICOFORTIO.

DUm tu, mi Vicoforti, amœnitatibus prædii tui frueris, ego abſentia tui mulctor crudeliſſime. Quod malum nunc me coquit & verſat ſub pectore fixum. Quid agam? hæc Philoſophiæ lex & vis eſt, poſſe frui, poſſe carere ad tempus amico. Concoquendus mihi fuit & eſt etiamnum acerbiſſimus viduitatis dolor: concoquam & hunc. Nec dubito, quin & tibi moleſtum ſit, non accingi enſe Vondeliano, quem me tibi eſſe finxit allegoricus & hyperbolicus poëta. Diſcam ego & aſſueſcam ferre abitum tuum, qui ferre deberem obitum. Nec abes prorſus, quem præſentem, ſcribentem, jocantem, prandentem, mecum ambulantem animo circumfero. Noſti illud poëtæ magni:

Abſens abſentem auditque videtque.

Si oculis te non aſſequor, adſequar literis, quæ pro alis mihi erunt, quibus ad te transferar. Scribebat olim Tullius ad Quintum fratrem

Aſiæ

Digitized by Google

Asiæ proconsulem : Cum tua lego, te audire; cum ad te scribo, tecum loqui videor. Nescio an Athenis, an alibi fuerit Epicurus, cum ad amicum scriberet : sic fac omnia, tanquam spectet Epicurus. Certe in Campania erat Annæus Seneca, cum ad Lucilium in Sicilia degentem scribens, eum hortatur, ut secum studeat, secum cœnet, secum ambulet. Quod facere nec ille aliter quam animo potuit, nec ego facio. Nonne absentem Balbum in oculis gerebat Cicero, quamvis ille in Gallis sub Cæsare militaret? Absentibus Evandro & Pallante, canit de Ænea Virgilius,

— Pallas Evander in ipsis
Omnia sunt oculis.

Dicam & ego, Vicofortius hisce hæret adhuc absens oculis. Ruri habitas, sed ad aulam factus. In agris ambulas, sed Principum negocia curas. Viridariis delectaris, sed aliter, quam Tiberius suis Capreis. Honestas voluptates capis inter ruricolas Melibæos & Damœtas, quod & fecit Scipio Africanus princeps ille Romanus. Inter arborum quincunces & hortorum quadras & pulvillos incedis, quod & fecit in Tusculano suo Arpinas : ubi vel Philosophiam meditabatur, vel ob patriæ statum lætum tristemque gaudebat vel dolebat. Nec dubito, quin idem hoc facias tu : licet de philosophia suavius cogitare possis, me præsente, cui ex hoc succo vivendum est. Amas illic videre armenta gregesque. Sed aut male ego calculum posui,

Digitized by Google

posui, aut amicum me videre malles, quam cornutas bestias. Simia illic gaudes, vel cercopitheco. Sed cave, ne osculantem te videat conjugem: nam imitari amat ingeniosissima bestiola, quidquid videt. Pavonem forte alis, avem visu pulchram, sed tartareâ voce horribilem. Piscinas tuas laudas: laudabo & ego ubi pisces esse licebit. Vtinam illæ ostrea alerent, uti alebat in vivariis suis in Bajano littore dis Lucullus. Aves cantillantes audis, sed non cantillantem me, sive epos mihi pangere libeat, seu Lesboüm digitis tendere barbiton. Nutris gallinas & gallinarum pullos, quorum generatio debetur gallo. Vtinam tu pullos aleres tuo de sanguine natos. Hoc futurum spero, quia columbis illic affluis, quæ tibi perpetuis osculis inspirant mollem per pectora amorem. Sed desinam suavissime nugari & jocari; quia nescio, an supercilium sumpseris ex Curiæ utriusque & tot aularum vicinia. Interea me & D. Satrapam expecta, ubi amicis tuis fratribusque litaveris. Væ cerasis tuis, væ pyris, væ pernis, quanta sumini erit ægritudo, quanta pestis larido, quanta piscibus tempestas, ubi venerit ad te famelicus Barlæus. Fac me participem rerum novarum, si placet, tribus verbis, præsertim quid judicent sapientiores de fatali hora deditionis Gennepæ. Vale, amicorum erectissime & candidissime, & summos viros D. Brasettum, & Boswellum saluta. Raptim Amstelod. 10 Iul. 1641.

426. E I-

Digitized by Google

426.

EIDEM.

POst longes errores terrâ fluminibusque, tandem ſolpes domi veni. Fui, ubi non fueram, vidi, quæ non videram, terras tetigi intactas hactenus, locutus ſui cum Bructeris, Sicambris, & Druſianæ foſſæ accolis. Steti iis locis, ubi Roma aquilas defixit, ubi Druſus, ubi Corbulo foſſas fecere. Legi oram Vahalis, & Tielam, Bommeliam, Buram luſtravi. Ne mirare tardius iter meum proceſſiſſe. Accidit mihi, quod Vlyſſi: incidi in Circen, in Calypſon, in Polyphæmum, in Læſtrigonas, verum honeſtiore titulo. Nec defuit legata à latere, jam virgo, jam viri non inappetens vidua. Docui hos, num cœlum ſtet immobile, num terra; quod elementorum quatuor maxime amoribus ſit conveniens: ut creaturæ omnes æthereæ & ſublunares amantium ſint ſymbola & characteres: quomodo perdices, quomodo piſculi ament: an amor conſtet ex punctis indiviſibilibus, an continuitatem amet: an ſuavius ſit amare, an amari: oſculari, an oſculum pati: an amoribus aptior ſit nobilis, an mercator, an theologus, an philoſophus, an poëta. Quid deciſum ſit, non ſcribam, ne longior ſit epiſtola, quam brevitas commendat, præſertim cum iis ſcribendum eſt, quos aula moratur & publica reſponſa. Literas tuas domi meæ offendi, una cum Elogio Richelii, Hiſpaniſmum & Barbariſmum

Digitized by Google

risſmum redolente. Tu Haghæ dum expoſcis ſuppetias obſeſſæ urbi, fruſtra es, mi Vicoforti. Nihil dicam amplius. Aut ſeipſam defendat oportet, aut aliunde auxilia exſpectet, aut, quod auguror, mutabit dominum. Sed quam male rebus ſuis conſulere Galli, quod obſidentes obſeſſi jam ſint, & recente victoria triumphum canere prohibeantur. Verum nondum fabulæ iſtius videmus cataſtrophen. Neſcio an delineationem hanc urbis Ariæ videris: tibi illam habe, niſi jam habeas accuratiorem. Me videbis, ubi trans pontum vectæ volucres tibi præda eſſe volent & deliciæ. Laqueos para, quibus illaquees inſontes. Ego feriarum & otii ſatur jam Palladi & Phœbo reddor. Tu, virorum & amicorum ſelectiſſime ſalve & vale, cum thori ſocia & amicis. Amſtelod. ipſis Cal. Septemb. 1641.

427.

PETRO C. HOOFT.

LEgi aliquando, Hoofdi præſtantiſſime, apud Theocritum:

Κωμάσδω πότε τὰν Ἀμαρύλλιδα,

hoc eſt: *Abeo procatum ad Amaryllidem.* Verum ego cras ὀρνιθεύσω πότε τὸν Φιλοφόρλιον. hoc eſt, *aucupatum abeo apud Vicofortium.* Retiis & laqueis captabimus volucrum non unum genus, quod Autumni frigore primo, è Septentrione Auſtrum petit, & terras Meridionales magis. Eſt, mi Hoofdi, capturæ ratio multiplex.

Digitized by Google

tiplex. Est hominum, est avium captura. Capit homo hominem suadâ, promissis, osculis, lucelli spe. Capit idem aviculas laqueis, retiis, viſco, glande, decipula. Ego retiis & laqueis rem omnem peragam, Romanorum Mirmillonum more, quorum alii, ut nosti, retiarii erant, alii laquearii, qui antagonistam vel laqueo vel retijaculo involvebant. Retia parabimus & cassos fringillis, laqueos turdis. Si adesses, posset prætoria tua gravitas condolere miseriæ exoticarum avium, aut captivis ignoscere. Sed non licet tibi jus extra territorium tuum dicere. lanienam hanc exercebimus sub Wassenariorum dominio. Si animus tibi sit excurrere in idem prædium, amplexabitur te Vicofortius & Vicofortia, cognati cognatum. Etiam de loquacibus turdis garriemus, iterantes illud:

Dulci turdile docte gutturillo
Asperas animi levare curas, &c.

Etiam de perdicibus, quæ superno solum volatu, sine contactu, concipiunt, testibus Plinio lib. 10, cap. 33. & Aristotele, quem prius nominasse debebam, lib. 5, cap. 5. Hoc cum aliquando accumbens narrarem viduæ Septentrionali, illa metuens, ne ejusdem essem indolis & facilitatis, longius sedem à me removit. Hodie librum hunc Trajectinæ Ogeliæ mihi misit, cui doctissimos & suavissimos versus inscripsit. Iam maximæ virginis nomine rogo, uti ab humanitate tua impetres lineolas aliquot, quibus librum hunc illustres. Irradia ingenio tuo pa-

Digitized by Google

gellam, qui orbem noſtrum concuſſiſti tragico pede. Malim ſententiam aliquam rhytmis tuis diducas, quam ut in laudes modeſtiſſimæ virginis digrediaris. Debes hoc virtutibus maximi patris, Gubernatoris Trajecti ad Rhenum, qui difficillimus temporibus, tuo exemplo, Reipub. non defuit. Quid rerum agant Germani, Galli, Belgæ, ex faſtis hebdomalibus intellexiſti. His quod addam non habeo, niſi ut Te, cum uxore eximia, & liberis mellitiſſimis valere & ſalvere jubeam. Cras ad Colvenſe prædium abeo. Tu ſequi velles non invitus, niſi uxorem duxiſſes, cui mos gerendus. Ego ἀνυπεύθυνος [*nullius imperio ſubjectus*] ſum; & ſub ſolo Deo mei juris. Vale, & mane in Velſiano carcere. mihi libertas alas indulſit. Amſtelod. 13 Sept. 1641.

428.

. . . BRASSERO.

Præſtantiſſime vir,

Cum nuperrime Haghæ eſſem, oſtendi Tibi Epitaphium ſoceri tui, prout rudi illud Minerva delineaveram. Dein, ut mentem tuam propius cognovi, mutavi mutanda, & ea forma deſcripſi, ut vel ſaxo incidi, vel litteris conſpicuis in nigro marmore ſcribi poſſit. Si quid ultra vel addi, vel demi velis, ſignifica, facilis erit correctio. A nimia affectatione & laudibus heterogeneis alienas eſſe oportet iſtiusmodi inſcriptiones. Si illud in fine: *ruit irrevocabile fatum*, diſplicet; ſubſtitue: *Hæc meta laborum*.

Excepiſti

Digitized by Google

Excepisti nos nuper profuse : nec enim simplex ferculum, sed omnium ferculorum velut miscellam apposuisti, uti in Te non simplex virtus, sed omnes mixtæ habitant ; præcipue eæ, quæ ad civilem honestamque conversationem faciunt, quales Aristoteli sunt Comitas, Veracitas, Urbanitas. Non dedecent hæ eos, qui in luce Reipub. positi sunt, sed ornant maxime. Facit muneris authoritas ut venerabiles sint ; at dictæ virtutes, ut gratiosi sint & amabiles. Utrumque Tibi concessit benignior natura & educatio liberalis. Si quà es modestià, laudes istas adversaris, testem habes Bataviam omnem, & inter Batavos me. Vale. 6 Oct. 1641.

429.

JOACHIMO VICOFORTIO.

Nobilissime Vicoforti, scriptor expeditissime, Facessant viduæ, & illices istæ voces, quarum me cura nimis diu momordit. Tempus est, ut Sapientiæ monitis istam insipientiam jugulem, & quietem mihi imperem, quam oderunt istæ. Cum apud vos sum, in agris, sub Iove frigido, facile obliviscor istius sexus, quam tamen indigentiæ nostræ opitulari voluit prudentissima Natura. Verum cum in publicis theatris, & amicorum mensis latus forte claudo levibus violabile telis, redeo ad ingenium, & sentio me nondum ejurasse bonam mentem. Quid facias homini nec effæto nec fatuo ? ad fatum confugio, & quo illud trahet retrahet-

Digitized by Google

que sequemur. Est hoc desperantium sæpe solatium: cum prudentia deficit, Dis imputamus rem male gestam. Sed quam lætor tua ad nos remigratione. Adventas, priusquam venias, & crastinum illud vehementer amas. Quæ nova penultimis literis scripsisti, prælegi D. Satrapæ, aliisque. Panegyris magni Richelii sub prœlo est, magnifico illam charactere excudet Blaeuvius. Habet effigiem Cardinalis æri incisam, quam præfigere vellet, cum hoc, quod subjunxi, tetrasticho. Cogita una cum amplissimo Brasetto, num digna tanto Principe breviter dixerim, & an probetis præmitti effigiem, nec ne. Etiam frontem Operis insignibus Cardinalis ligno incisis exornare instituit, nisi vos Trebatii dissentiatis. Sed de his dabitur occasio differendi, ubi ad nos reversus fueris. Quoties clarum mane fenestras intrat, videor mihi videre te ambulantem per hortum, & summo colligentem studio suspensa è laqueis cadavera, & laceros turdorum artus. Interea, dum thori consors caligas pedibus aptat, & verum est illud Maronis: *Pone subit conjux.* Optarem Poëmatio meo inseri posse liberationem Æræ. sed vincit spem metus. An verum hoc: laxatos per universam Galliam carceres & ergastula, ut servorum & perditorum hominum audacia succurratur obsessis? Fecere hoc Romani, sed conclamatis rebus. Vale amicissime, & uxorem, sororemque salutationis meæ aurulâ è longinquo involve. Amstelod. 14 Octob. 1641.

430. EI-

Digitized by Google

430.

EIDEM.

QUid hoc rei est, mi Vicoforti, quod tam operose & diserte ad me de Sue perscribas? à cujus ego indole alienissimus sum. Nulli prodest sus, nisi mortua: ego mortuus nulli prodero. Non callet vel Rhetoricam vel Poëticam sus: ego utramque mediocriter. Grunnit sus, & luto gaudet: ego modulor, & Musarum nitorem elegantiamque, etiam tuam, amo. Sus, si sursum adspicere cogatur, silet, & ἄφωνος [*muta*] redditur. Ego cum cœli convexa intueor, canere occipio, & suis creatorem dignis laudibus celebro. Illa sacra est Baccho, ut & capra, cujus vinetis nocent ambæ. Ego sacer sum Apollini, cui innoxios pango versiculos. An de sue loqueris, ut ob fœcunditatem ejus mihi exprobres liberorum frequentiam? an ob suis lasciviam mihi exprobrare vis liberiorem vocem de perdicibus, & gallinarum anserumque comparatione? An porcum mactasti, uti amicitiæ nostræ fœdus hac hostia sancias? memor istius Maronis:

Et cæsa jungebant fœdera porcâ.

An vis me de Epicureorum esse secta? de qua Flaccus: Me pinguem & nitidum &c. An potius de Pythagoreorum? qui animas voluptuariorum,

Suis immundæ pingues detrudit in artus,

ut est apud Claudianum. Non vis, opinor, me

Digitized by Google

Arcadibus & Bœotiis annumerare, qui proverbio locum fecerunt ὗς βοιωτίας. [*ſus Bœotia*] iſtiusmodi pecora non ſcribunt Panegyricos Cardinalibus. Sed video facile ex litteris tuis, quò tendas. Ad ſinciput, & pernas me invitas: non abnuo. Modò non transformer in ſimile ſinciput. Eſt enim indocile valde, nec elephanticas artes capit. Palæmon Grammaticus mordax doctiſſimum Varronem vocabat litterarum porcum, cum multa undecunque congereret ſine delectu & judicio. Talis haberi nolo. Itaque in pernis malo exercere dentes meos, quam in ſincipite: longius enim abſunt à ſuilla fronte. Doleo ſane porcam tuam caruiſſe uberibus, hoc eſt delicatiſſima ſui parte. Nihil enim magis in deliciis erat Romanis ſumine, hoc eſt, ſuis abdomine. Interdicta legi apud Plinium, cenſoriis legibus abdomina, teſticulos, vulvas, & ſincipitia verrina. Verum hæ leges, mi Vicoforti, non obligant fratres ſociosque Imperii Romani. Pridie Cal. Decemb. nuptiarum ſuarum memoriam epulo celebrabit Satrapa Muydenſis. Fac adſis cum conjuge, ne tanta felicitate excidatis ambo. Exſpecto, ut nova perſcribas è Gallia & Germania, poſtquam erudite ſatis de Gryllo philoſophatus es. Vale, pectus amiciſſimum, & chariſſimam tuam Penelopen, cognatasque meis verbis ſuaviter ſaluta. Zulechemi Domino me totum offer, & dic Tragœdiam hic recitatam, authore vitriario, homine omnis litteraturæ & Græcæ & Latinæ ignaro, cujus

Digitized by Google

jus vix pudeat ipsum Sophoclem. Stupent mecum Hoofdius, Burghius, Vondelius, & quibuscunque vis est tanta dignoscendi. Amstelod. 10 Novemb. 1641.

431.

ARNOLDO VINNIO.

NOn est, quod tam cupidè carmen meum expetas, doctissime Vinni. Non eget præcone Commentarius tuus, qui tibi & sibi ad laudem sufficit. In succum, ut ajunt, & sanguinem dudum convertisti omnem Iuris sapientiam, ut nihil nisi coctum elaboratumque à te exspectemus. Cum superiore anno incidissem in paginas aliquot Operis tui, valde placebant illæ, quæ oculis tunc objiciebantur lineæ, non ob res solum bonas, verum ob sermonis, quo res enunciabas, elegantiam & nitorem. Quia tamen vis, ut qui herbæ parietariæ instar ubique ferè conspicior, me operi quoque tuo suffragari, en, habe quoque calculum meum. Scazontibus elocutus sum quæ occurrebant scribenti. Satur Epici carminis interdum ad alios modulos deflector. Nihil enim æquè cantori molestum, quam iisdem numeris canere, aut citharœdo, quam eàdem chorda oberrare. Dixi ea, quæ ad Ius vestrum spectant & Iurisconsultos. Si rectè, benigne annue: sin minus, nec hoc dissimula. Parum enim refert, sive præfigas operi, sive malè ardenti foco subdas. Ego illud mercium genus susque deque habeo, cum nullis il-

Digitized by Google

las impensis à me non difficulter impetro. Vale, & si amicitiam nostram tibi minus gravem putas, eâ fruere sæpius. Amstelod. 16 Novemb. 1641.

432.
GERARDO NIENDALIO.

MOdò versiculos, modò lepores mittis, amicissime Niendali: diversa profecto munera; quorum alterum in Parnasso, alterum in agris natum: alterum lentis, alterum celerrimis vadit pedibus. Prius illud à genio tuo est, qui dum causas dicit, & lites mortalium disceptat, cum Musis subinde congredi amat, & exoscolari exsangues Deas. Posterius à liberalitate tua est, qua me serò amicum perpetuis officiis beneficiisque obstringis. Lepus tuus animal fuit cum viveret hirsutum, levipes, barbatum, timidum, auritum. Hirsutum fecit natura, ne villosam vestem grandi precio sibi comparare haberet. Levipes, ut hominum canumque crudelitatem & capitale odium pedum velocitate effugeret. Barbatum, ne barbati Stoici superbirent hoc decore: cum videant etiam non Philosophis barbam obtigisse. Timidum, quia insequentem hostem fugit, unde fugitivi in bello duces galeati lepores vocantur. Auritum, ut strepitum adventantis molossi percipiat tempestive, & aurium, velut alarum, ministerio aërem secet. Hoc peculiare habet, quod clausis palpebris vigilet, & apertis dormiat. Fœcundita-

Digitized by Google

ditatem leporum non auſſim tibi optare, ut qui ſingulis menſibus pariant. Satis bene tecum agitur, ſi quotannis te prole beet Lucina, uti nuper filiâ, quo nomine tibi & conjugi ex animo gratulor. Faxit Deus, ut caſtitate Penelopen, fide maritali Porciam aliquando referat. Vtroque jam ſexu ſuperbis, & domi numeras, qui & Procuratori tibi ſuccedere, & uxoris puerperæ officio, ubi adoleverint, fungi poterunt. Sed redeo ad leporem, quem cum aliis amicis læti hilaresque diſcerpſimus. Exſpectas carmen de itinere noſtro Gelrico, & quidem Belgicum. Verum ſcis me hâc lingua infantem, & balbutire. Vobis ſermo iſte magis cothurnatus eſt, mihi humilis & humi repens. Vale, Vir ſuaviſſime, & pro lepore eas accipe gratias, quas à plurium dentibus & palato exſpectes. Amſtelod. 11 Decemb. 1641.

433.

CONSTANTINO HUGENIO.

LEgi, nobiliſſime Hugeni, ſyllogen Poëmatum, quibus Britanni Nuptiis Principis Batavi & Principis Britannicæ accinunt. Ignoſce vera loquenti: miſerum ſcriptum Pſeudole. Non eſt olorum iſte cantus, quibus Tameſis abundat, ſed ſturnorum, aut potius veſpertilionum & noctuarum ſtridor. Neſcio, quæ peſtilens & maligna aura afflaverit Britanniam. Commiſſæ ſunt domus magnæ. Tumultuantur cives, Aaronem & ordinis ſacri capita calcat profanum

Digitized by Google

fanum vulgus, Parmeniorem ſuum trucidari ſinit Alexander, & ſuper hæc nugantur & ineptiunt in re ſeria poëtæ. Certè diviniore œſtro hîc vitriarius noſter, homo illiteratus, tragœdiam ſcripſit, ficti licet argumenti. Recitata eſt ſæpius, nec adhuc ſaturari auditor poteſt. Ego audivi ſepties, præter morem meum, qui iſtis actubus non niſi ſemel aures commodo. Audivit, me hortante, Hoofdius, & ſtupuit. Audivit vander Burchius, & hæſit attonitus. Audivit Vondelius, & portentoſi ingenii virum dixit. Verbis loquitur quibus Zulechemus, Dominus Satrapa, Vondeliusque loquuntur, & ſcribunt. Sententia graves ſunt & denſæ & plane πρὸς διόνυσον. [*ad rem.*] Nullam habet tota antiquitas Tragœdiam magis tragicam. Et fortè ob hoc unum frontem corruget rigido cenſori, quod nimis tragica ſit. Interim duos Tragœdiæ partes mirificè explet, τὸ ἠθικὸν [*mores*] & τὸ παθητικὸν. [*affectus.*] Totam tragœdiam, prout recitata eſt, memoria circumtulit per ſemeſtre, poſtea dictavit. Tragœdias noſtratium, etiam ſcripta tua omnia ad unguem callet & recitat. Digna eſt, quam vel audias coram, vel legas, eſt enim ſub prœlo. Vbi huc veneris, pulſabit in tui gratiam orcheſtram Andronicus, præcipuum Tragœdiæ drama. Ego verſiculos aliquot Belgicos illi ſcripſi, ut quid de authore & opere ſentiam, publicè teſtarer. Illos mitto, ut credas me Latinos felicius ſcribere. Accipe Panegyrin meam de laudibus Eminentiſſimi Riche-

Digitized by Google

chelii, quam per ferias Caniculares Haghæ, Poelgeestæ & Ultrajecti scripsi. Vnum exemplar Tibi habe, alia duo filiis inscripsi. Vale, Vir summe, & me venæ tuæ & tot suavissimorum carminum quæ mihi impertis admiratorem perpetuum ama. Raptim 15 Decemb. 1641. De Tragœdia judica ex choris, quos mitto, ut salivam tibi moveam.

434.
TILEMANNO STELLÆ.

ACcipe, Vir nobilissime, Panegyricum de Eminentissimi Cardinalis Richelii laudibus. Voluissem illum à Te offerri potuisse: verum cum intellexissem Te adhuc in Sabaudis morari, misi illum per Regis Christianissimi Legatum, D. Thuillerium. Tuam Panegyrin plenam majestatis & sententiarum, quibus firmantur imperia, perlegi, & pro paradigmate habui. Verum quæ Tu soluta oratione exequutus es magnifice, ego stricta oratione minus graviter videor eadem elocutus: & tamen cum hæc scriberem, incalui subinde, & sensi me sublimius raptum admiratione virtutum, & rerum gestarum tanti Principis. Si Parisiis esses, posses levare tuâ suffragatione conatus nostros, quod cum fieri jam per te non possit, sufficiet malè natum fœtum exposuisse. Fortè propitium invenient Musæ illum ipsum Principem, cui Poëmation inscripsi. Interea reficit me recordatio suavissima convictus tui, & sermonum, quos, ali-

Digitized by Google

aliquando à nobilissimo Vicofortio excepti, amice commutavimus. Nec despero futurum, quin aliquando dexteras juncturi simus, & confabulaturi de rebus publicis & studiis, quæ non minus ad regnorum decus roburque facere puto, quam arma & lituos. Vale, & me Tui cultorem iis insere, quos non remisse amas. Amstelod. 10 Ianuar. 1642.

435.

GERARDO NIENDALIO.

ORnatissime Vir & amicissime Niendalii,
Priores tuæ literæ de Cardinali, liberis tuis, vidua, socero tuo, fratre, versibus tuis & vitriarii tragœdia loquuntur. Misces summa imis, sacra profanis, sanos ægrotis, uti in epistolis ad amicos fieri solet. Quæ de Cardinali scripsi, maxima esse putas, quia talia esse oportebat, licet infra tanti Principis virtutes longè subsidant. A liberis tuis gratiarum actionem expectabo, ubi desierint esse infantes. Quod ubi concedent fata, ego puerorum gratitudine, tu pater superstitum frueris dulcedine. Quæ de vidua ista eximia scribis, jam ante percepi. Scimus & hæc nobis non altius inseret Ammon. Verum de Diis, & Principibus & viduis parcius per literas philosophandum. Socerum tuum meliusculè se habere gaudeo. Faxit Deus, ut recuperata valetudine, pari qua antehac facundia, apud populum diu loquatur. Perge fratrem monere, ut poëmata sua colligat & edat.

Vbi

Digitized by Google

Vbi carceres mordebit editio, ego Epigramma ipsi scribam. Versus tui Belgici ejus sunt indolis, ut filias meas magis afficiant, quam me canescentem jam, & Veneris ore loqui desuetum. Amant crepundia & pupulas pueri innuptæque puellæ. Ego, qua sum (credis?) gravitate, nil nisi quod Professorem & Philosophum deceat, spiro & loquor. Vitriarii tragœdia maximam optimo viro invidiam creavit. Solet illa res magnas comitari, non inepta vilissimaque commenta. Posteriores tuæ literæ petunt, ut censura distringam Epigramma scriptum D. Zutphenio. nimis, mi Niendali, timidus es. Omnia benè se habent, dispositio, syllabarum quantitates, aliaque. Me judice ita excudi poterit. sed audi. Tu in carmine talem te præstas, qualem in tragœdia se præstitit vitriarius. Ambo supra captum vestrum, aut potius vitæ genus scribitis, tu procuratore erectiora, ille vitriario. Nisi candorem tuum nossem, auderem suspicari, illa ad Zutphenium scripta, fratris tui calamo exarata aut expolita esse. Vale amicissime, & uxorem, liberos socerumque, etiam amplissimum D. Stratenum & D. Petitium saluta. Amstelod. 16 Ian. 1642.

436.

IOACHIMO VICOFORTIO.

LEgi, dilectissime Vicoforti, fastos tuos & rerum gestarum hic illic periochas, quas Satrapæ Muydensi misisti. Totam Europam peram-

Digitized by Google

perambulas, & Regum Principumque fata prospera adversaque disertâ oratione enarras. D. Satrapa ex iis quid fugere, quid imitari habeant populi rectores, politicorum more, colligit. Ego supra versiculos meos & poëtarum commenta nec sapio, nec sapere cupio. Quin hanc maximam sapientiam puto, quæ aliena est à strepitu, à cædibus & innocentum injuria. Tu aulæ propior alia agis & cogitas. Ita cicadæ rore, apes melle, chamæleon aëre aurulaque pascitur. Non eadem omnes appetimus, aut fugimus. Nec eosdem planetas rectores habemus. Tibi imperat Iupiter inter Deorum cœtus vivere suetus. Mihi, ut verum fatear, imperat Luna, quia cum lunaticis viduis fabulari amo, & vultus earum intueri, nunc ecclypticos, nunc pleno fractoque lumine fulgentes. Tales sunt matronæ istæ inopes viri sociique cubilis. Sed quid super his apud Te nugor, cum cæsos exercitus, captum Lamboyum & triumphantes Wimarios audiam. Divident hujus victoriæ laudem commodaque Celtæ & Catthi. Ego illam magni æstimo cum Archiepiscopatus Colonienſis pateat Gallis, nec metus sit, ne Hispano cohortes istæ primo vere in suppetias veniant. Etiam humiliores hac clade erunt Aquilæ, & proniores ad pacis studia. Rediit domum classis, quam Lusitanis in auxilium miserant Potentissimi Ordines. Nihil gessit, præterquam quod Tagum viderit pro Vahali & Mosa. Sed quando huc iter parat Zulechemi Dominus? ad Gratiarum con-

Digitized by Google

conventum, de quo meliora mihi promitto, quam de pacificatoribus Weſtphalis. Noli abeſſe. Litabimus hilaritati & Teſſalicas artes advocabimus, ad incantandos animos eorum, qui manſueſcere, niſi cantu, nequeunt. Urbis hujus pomœria deducentur in Yam, & latius habitabitur ad fluenti ripam. Deſidero ſcire an Poëma meum in Galliam pervenerit, an mari abſorptum perierit. Legent illud Najades, ſi non poſſunt Druidæ. Vale, Vir nobiliſſime, & Zulechemi Dominum, D. Braſettum aliosque amicos officioſe ſaluta. Amſtelod. 25 Ianuar. 1642.

437.

IOANNI SCOTO-TARVATIO.

Magnifice Vir,

Itane ad animum revocas, quod ante annos aliquot prælueſim Scotorum Poëtis, quos ſingulari erga humaniores litteras adfectu lucem adſpicere voluiſti, ut à nobis legerentur ſupra Thylen ſcripta. Familiare hoc mihi eſt titulis librorum ſubjungi, & præcinere aliorum operibus. Tibi probari quantivis puto, qui non publica ſolum curas, verum etiam in Muſarum adyta penetras, & poſtquam cum Themyde & Aſtræa locutus es, etiam Apollini & Muſis vacas, aut earum cultores in tutelam recipis. Exigui momenti officium eſt, quod præſtiti lubens. Illud majoris apud me eſt, quod ſtudium meum tam levi Tibi beneficio probaverim, qui majora à me exigendi jus arbitriumque habes.

Mitto

Digitized by Google

Mitto poëmatum meorum & orationum opuscula, neque enim ignoro novitate sua placere exteris ea, quæ transmarini hic vates scribimus. Major utique eorum quæ è longinquo adferuntur reverentia est, quantumvis illa mediocria sint, nec ad Scotorum palatum, qui uti polis proximiores sunt, ita in acumina desinunt, & circa se, velut axem, verti adspectant vicinarum gentium ingenia judiciaque. Lege ubi Regni cura otium fecerit: sin minus, pro derelictis habe, quas mitto chartas, nec enim iis Regum Principumque indulta enarrantur. Potes utique sine grandi jactura his Belgarum commentis carere. Interea pectus hoc Tibi addictissimum trans vastos pelagi fluctus, montes sylvasque Tibi, ceu proprium mancipo. Dum Scotos tuos amas, etiam me Batavum amplectere. Poëtarum tellus ubique est, quia materiam carminis ubique venantur, & quia communis & occulta est inter vates adfinitas, facile pretium aliquod sui foris reperiunt. Vale. Amstelod. 20 Febr. 1642.

438.

CORNELIO VANDER MYLE.

BInas à Te, nobilissime Myli, literas accepi, quarum priores de Archidiacono, posteriores de Cardinali loquuntur. Hæ tanto gratiores, quanto gratiora scribunt. Bonifacium meis verbis reverenter & officiose saluta. Iungit vir maximus me Salmasio, hoc est viburnum cu-

Digitized by Google

cupresso. Ostendisse debebat quantum dissimiles simus, non quantum similes. Impar congressus Achillei. Sed demus hoc σφάλμα [*erratum*] tanti viri erga me amori & sincero affectui. In laudibus amicorum nimiis si itur contra veritatem, non itur contrà charitatem. Panegyricum dictum Eminentissimo Cardinali misit in Gallias, cum suis & meis literis, illustrissimus D. Thuillirius, Regis Christianissimi apud Federati Belgii Ordines Legatus. Verùm quo animo sacra illa Eminentia illum acceperit, nondum mihi constat. A Legato habendum, si quid super hac re eveniat. Ut fictum prorsus putem, aut ab amicorum affectu profectum, illud commentum de Honorario. Nihil mihi in hunc usque diem de tam magnifica benignitate constat. Et fortè non vacat Cardinalibus legere versus, dum legunt & conscribunt exercitus. Sed quis ille vir non infimi nominis, qui ista affirmat? aut cujus fide? Legit Poëma meum illustrissimus Grotius, & hæc scribit: *Legi, qua soleo tua omnia, cum voluptate atque etiam admiratione, Panegyricum dictum Eminentissimo Cardinalium & Ducum Illustrissimo. Multi jam se in tam benigna materia exercuere. Nemo majore spiritu. Plane ut ille vir magnus, nec cuilibet dicendus hanc demum agnituras sit sui imaginem veriorem, quam illa est satis feliciter facta partis in oculos venientis, quæ Poëmatis tui accessio est. Satis tua te opera monstrabunt: sed tamen mea etiam tibi præconia non deerunt*, &c.

Vale Vir nobilissime & præstantissime, cum

Digitized by Google

Domina Mylia & Filio, quem ubi feret occasio à me saluta. Amstelod. 7 Mart. 1642.

439.

IOACHIMO VICOFORTIO.

GRatias tibi maximas ago, nobilissime Vicoforti, quod chartas illas polemicas mihi transmiseris. Legi ea aviditate, quâ recens advecta ostrea solemus vorare. Verum, ignosce fasso, non tanti apud me sunt Formæ substantiales aut essentiales, ut jam tempestivum putem aperire sententiam. Scis, nec eum me esse, qui Aristotelem inauditum damnare possim, nec eum quoque qui in verba ejus juraverim. Habeo quædam dicenda ad sententiam doctissimi Cartesii, sed dicam, ubi erit opportunum, & plura planiusque locutus fuerit. Statim ab abitu tuo tribus me viduis expedivi. Excessere omnes adytis. In Tesselæ ocellum sinistrum scripsi querelam, vestro hortatu. Ubi legeris, da Zulechemi Domino. Placuit Satrapæ. Ejus lectionem noli invidere D. Brasetto, & si res ita feret D. Catsio. Vale, amicorum integerrime, & uxorem lectissimam saluta. Amstel. 10 Martii, 1642.

440.

ERYCIO PUTEANO.

QVi eruditam juventutem sæpe litteris meis prosecutus sum, Vir clarissime, jam matronam ingenii & Poëseos famâ apud Batavos cele-

Digitized by Google

celebrem Tibi commendo. Nihil petit, nisi ut alloquio, hoc est, ipso Romanæ facundiæ ore frui possit, dum Lovanii est. Scis aquilas solis conspectum ferre; etiam hæc doctissimorum virorum in Belgio vultibus se intrepida offert. Nam & ea loqui potest, quæ à doctrina & humanioribus litteris aliena non sunt, & ea scribere, quæ sexum anteveniunt. Inclaruit hic apud nos multis retro annis Belgica poëtis, grata maximis Patriæ viris, quos nominis & eruditionis fama eruditiorum vulgo secrevit. Est illi soror, Tessela dicta, quæ Poëma Belgicum pangit in summorum Poëtarum invidiam. Huic nomen est Annæ Roemeriæ. Pater argutissimi ingenii vir plurima edidit Epigrammata sensus acutissimi, ad exemplum Bilbilici poëtæ, ut non uno nomine favore tuo digna videatur. Gestit illa Arcem tuam, Grudiorum nempe Helicona conscendere, ut ingenii sui monumentum aliquod ejusdem Arcis laudatione apud Te deponat. Religionis vestræ est, filiosque duos disciplinæ Iesuitarum apud Vos commisit. Illi jam ad Academiam adspirant, & propediem demittendi è trivio. Quidquid officiorum præstiteris laudatissimæ matronæ, mihi præstitum putabo, & humanitatem tuam diffundes in plures, apud quos illa in pretio est. Panegyricum Richelii è manu ejus accipe. Non dubito, quin vos etiam virtutem in hoste sitis laudaturi. Vale, & me eodem quo bonos soles adfectu involve. Amstelod. 4 Apr. 1642.

Digitized by Google

441.

CONSTANTINO HUGENIO.

Nobilissime Hugeni,

Fasciculum Epigrammatum tuorum tradidit mihi Muydensis Satrapa, quorum alia Latio, alia nostro sermone effers. Perinde enim Tibi est quâ me lingua exerceas, dummodo loquacitatem meam provoces, & muto dudum extorqueas vocem. Quæ Belgicè lusisti in Damasippum pictorem, pastilli nobis sunt & offulæ melle soporatæ, licet pictori cicuta sint aliumque. Illud in Iohannem Vos, vitriarium nostrum, planè ad palatum meum est, & ipso vitro pellucidius. Illis versibus elatior

— pedibus per summa volaret
Culmina, nec teneras plantâ contingat aristas.

Dignus est bonorum amore, ob egregias naturæ dotes, quas si arte expoliviſſet, invidendus esset seculo. Comœdiam jocularem scripsit, quæ sub prœlo est, tam densa facetiis & è media plebe petitis salibus, quàm tragœdia graviter dictis. Tesselæ misi tetrastichon tuum. respondet tetrasticho parisyllabico, nec ineleganti. Etiam viduis sua bilis inest. Epigrammata reliqua, nisi à Te profecta scirem, imputarem prioribus seculis. Elaboratissimum illud est in Reginæ adventum. Nec Patrem secutus infeliciter fuit filius, ubi scribit:

Pudnit quoque frigoris Orbem
Dum calet Austriacus.

Ego

Digitized by Google

Ego heroïcos aliquot deproperavi, quos aliâ occasione depromam:

Altera jam nostris mater Berecynthia terris
Cernitur, & Regum præbent spectacula nuptæ.
Nil facimus vulgare. Deas natasque Deorum
Excipimus. surgant Batavis clarissima mundi
Lumina, sceptrifero rursum splendescimus ostro,
Purpuraque imperii se bellatricibus offert &c.

Sculptitur hic effigies Elizabethæ Principis Bohemiæ. In eam hæc lusi:

Fortunæ domitrix, augusti maxima Regis
Filia, Palladis grandis alumna chori.
Naturæ labor, hoc vultu spectatur ELIZA,
Et faciem fati vim superantis habet.
Exulat, & terras quas nunc sibi vendicat Ister,
Iure, patrocinio, spe putat esse suas.
Si patrius Cæsar titulis successit: illud
Frangere debebat Cæsaris arma caput.

Vale, Hugeni præstantissime, & ubi militem ex hybernis exciveris, ipse ex hybernis prodi, & in Muydensi Te arce, vel hic Apollinem, aut Parlamenti futuri præsidem, siste. Filiis meis verbis bene precare. Amstelod. 6 Apr. 1642.

442.

Clarissimo ac eruditissimo viro,

GASPARI BARLÆO, S. P.

HEroicum carmen tuum accepi, legi, perlegi. eo gratius fuit, quod veluti miraculo factum est, ut dum Panegyricum meum ad me miseris, tuum à te acceperim. Laudantis sal-

Digitized by Google

tem & laudati Panegyricus est libellus tuus. Dum, quæ nobis tribuuntur, gesta extollis, ingenii tui acumen & industriam exhibes, eruditionem tuam prodis. Sic tibimet ipsi gratias debes, sed non solus, referam pro utroque & merito. cum tuo factum sit beneficio, ut majorem tui quam mei curam habere tenear. Religiose id me præstiturum agnosces, si res locusque dabunt.

P. S. *Versibus tuis qualis esse debeam Orbi Christiano palam fecisti. Ectypum meum ad te mitto, ut te doceat, qualis sim. Si in eo affectum erga te meum non cernis, agnosces, si usui unquam tibi esse possim.*

ARMANDUS Card. de Richelieu.

Datum Parisiis 8 Kal. Febr. 1642.

443.

Eminentissimo Cardinali

ARMANDO IOHANNI PLESSIACO,

Richelii Duci, Franciæ Pari,

C. BARLÆVS S. P. D.

LItteras Tuas, Eminentissime Cardinalis, ad me datas 8 Cal. Febr. accepi 4 Calend. Maji. quod noto, ne festinam Tuam liberalitatem videatur excepisse tardior mea gratitudo. Antehac solo adfectu & illustris Tuæ famæ cymbalo excitus Panegyricum scripsi. Nunc, grandi insuper beneficio Eminentiæ Tuæ obnoxius, gratiarum actionem molior. Cum manus Tuæ veneranda lineamenta cernerem, erubui,

Digitized by Google

bui, Celsissime Princeps, & sortis meæ sphæram excessisse mihi visus fui. Nec mirum, ruboris materiam dari, quem irradiat fulgidissima Europæi Orbis purpura. Primus (loquor ingenuè) umbraticum doctorem nominis Tui majestate adeo involvisti, ut jam domi apud meos splendescere Tuo lumine incipiam. Cujus nullum nisi à paupere Musa fuit precium; jam à Tuo, optime Cardinalis, alloquio est maximum. Iis in epistola me vocibus affaris, quibus humaniores ne ab ipso quidem Iove exspectem. Ea mittis, quæ supra Poëtarum sunt fortunam. Cum imaginem Tui adspecto; omnium quas in Principe requiras virtutum ideam contemplor, & Regis Christianissimi fidelissimum Nestora, Galliarum Atlantem, eruditorum omnium patrem decusque in oculis habeo. Non Eminentiæ Tuæ solum ectypum mihi mittis, sed & clementiæ: non dignitatis solum & honoris Tui characterem, sed & Tuæ erga me benignitatis & amoris. Adamantini fulgores, dum luminum meorum aciem præstringunt, Tuæ magnificentiæ totidem fulgura exhibent, quot lapillos. Phœnicem intueor, Principis tot Cardinalium Ducumque, ut ego interpretor, hieroglyphicum. Circumpositæ urbes, castella, prætoria, aut victoriarum tuarum monumenta esse crediderim, aut securitatis publicæ privatæque munimenta. Quæ in oris fulgidi monilis spectantur naves bellicæ & veliferæ arces, Thalassiarchi sunt insignia, & maris Gallici, cui impe-

Digitized by Google

ras, præsidia. Ago gratias, Celsissime Dux, verum sentiendo copiosius, quam loquendo. Si Iupiter essem, mirabilem metamorphosin aggrederer. Singulis illis adamantibus largirer linguam, & eam facundiam, quâ & debiti mei magnitudinem, & muneris Tui excellentiam eloqui quisque, digna oratione posset. Ne credas me terminum egredi tanta profitendi, cum Tua Eminentia terminum egressa videatur me honorandi. Coëunt facilitas Tua & felicitas mea, utraque merito meo major. Majus loquar. Si secerni posset ab instituto meo ambitionis & gloriolæ, qua vexamur Poëtæ, suspicio; illas ipsas Tuas litteras in omnibus porticibus & urbis nostræ amplissimæ portis, instar publici edicti, pendere mandavero, & tot mihi statuas erectas imaginatione contenderem, quot in Epistola Tua acuuntur periodi, stant voces, currunt lineæ. Omnium largitionum Tuarum pondus istà apud me superasti: cum non præsentis solummodo Tui favoris, sed etiam futuri, cum res feret, præter spem, fidem faciat. Itero atque itero gratias, quin etiam referre cuperem, nisi à Deorum & Principum gloria alienum scirem, mutuum à mortalibus accipere. Nec possum non referre illud, quod passi semper sunt referri sibi Superi Principesque, nempe Carminis Eucharistici ἀνπδωρον, [*remuneration*em,] ut quod libera oratione non possum, vincta & cathenata felicius exequar, memor cathenarum, quibus me, Eminentissime Cardinalis,

Digitized by Google

lis, æternum devinxisti. Vale, Princeps meritissime. Deus Opt. Max. valetudinem, quam afflictam fuisse toti Galliæ condolui, etiam meis precibus ac votis, si qua Deum tangit pietas, & gratia vatum, Eminentiæ Tua restituat, & restitutam diu conservet. Amstel. 4 Id. Maji, 1642.

444.

TILEMANNO STELLÆ.

Nobilissime Domine,

Quam provide me superiore æstate per litteras monuisti, ut aliquid in laudes Eminentissimi Cardinalis meditarer. Prævidisse siquidem videris, uti gratiam maximi Ducis illa res mihi conciliaret. Feci ego id perlubenter, nec scio me majore animi alacritate scripsisse quidquam, cum convictam circumferrem de maximi Ducis virtutibus, quas universus orbis stupet, conscientiam. Laudare eos, quorum virtutes angustæ sunt, ingenuæ menti perquam est difficile. Verum ubi virtutum campus latè patet, luxuriatur poëta, & dicendis rebus magnis, quas voces non invenit facit: & dum panegyristam agit, & laudationi illustrium virorum incumbit, similis videtur suo argumento, sive iis quos laudat; si verum, quod Aristoteles ait: Intellectum fieri omne illud quod cogitat. Verum nescio quo fato contigerit, ut dum maximi Principis encomium molior, in tuum incidere rim Panegyricum, quo syllabum prætexis Cardinalium virtutum. Præstitisti Stella stellæ officium

Digitized by Google

cium, & veluti hæc errabundis viam monstrat, qua eundum, ita Tua Panegyris instar fili Ariadnæi fuit, quod sequerer. Et videor, Te judice, non omnino infeliciter exequutus, quod facere intenderam. Gratulor utique mihi tali censore & benigno interprete, qui gratia & authoritate vales apud θαυμάσιον [*admirandum*] illum. Tu, mi Stella, igniculos favoris Cardinalitii erga me suscita, & cum faciles erunt aditus, totum me Eminentissimo Cardinali offer, quo Duce ausim me tollere humo, vatesque ducum volitare per aulas. Iis me honoribus dignatus est, ut effigiem suam cum cimelio transmiserit, additis litteris humaniter, prudenter, heroice scriptis. Ego primam ineundæ Tecum amicitiæ apud Nobilissimum Vicofortium occasionem majoris facio, quam Hispaniarum Rex apertas Novi orbis terras. Fruar hac felicitate, & futurum spero, uti cujus benevolentiam mihi conciliasti, ejus benevolentiæ constantiam perpetuitatemque possim meo aliquo merito & Tua interceſſione promereri. Vale, Nobilissime vir, & amicorum lectissime. Utinam supra horizontem Batavorum stares stella, suspicerem te, uti alterum ex fratribus Helenæ. Amstelod. 24 Maji, 1642.

445.

JOHANNI SCOTO-TARVATIO.

Magnifice Vir,

MAbunde mihi satisfactum putassem, si litte-

Digitized by Google

litteras litteris redemisſem. Nunc & loqui litteras, & ob adjunctum munus tinnire facis. Potuisſet sanè mihi suffecisſe tanti amici recens conciliatio. Nunc etiam me iis intricas nominibus, quibus me expedire propter ingenii paupertatem non possum. Deos imitaris, qui inferiorum reverentiam submisſionemque beneficentia compensant. Solent ex Septentrione procellæ tempestatesque in terras hasce magis australes incumbere. Verum, Tuo beneficio,

Optima tempeſtas ex Aquilone venit.

Scilicet vis Tuæ erga me benevolentiæ pignus aliquod oculis meis obversari, ut cum illud intueor, virtutes tuas illustres, prudentiam, fidem publicam, erga litteratos amorem animo revolvam. Est sibi poësis pretium, ut & virtus. Præter honestam de studiis & bonorum existimationem nihil poscimus ultra. Si qui pretium intendant, ab ipsorum benignitate est & magnificentia. Videtur affectus inumbrasse Te, ut majora tibi, velut refractis judicii tui radiis, nostra appareant, quam sunt. Iam contentus ero verbis egisse gratias, verum tempus erit,

— quo totum laxabo in carmina Phalum,
Et tibi Pieridum ſaltus, Tenedonque, Claronque,
Et Patarам, grandemque tuis Helicona recludam
Officiis, Scotuſque mihi Tarvaſius amnes
Caſtalios, & Pimpleas exhauriat undas.

Salina duo apud nos depositi Wallasius mercator, quorum alterum candoris tui, alterum sapientiæ erit monumentum: utrumque ad naturam

Digitized by Google

ram salis, quod & candore commendatur, & Sapientiæ, quâ condiri oportet hominum consilia, hieroglyphicum est. Mediceam Hospitem benigno vultu excipe, & si minus apta Regiæ Majestati dixi, crede hominem de Diis verba fecisse. Quæ vobis sacra sunt nomina, etiam ob fœderis communis religionem nobis verenda sunt & veneranda. Vale, Amstelod. 6 Iul. 1642.

446.
IACOBO VANDER BURGH.

ACcipe Propempticon, Vir amplissime, & veteri mihi amicitia juncte. Debui hoc tuis virtutibus & meritis. qui in mei gratiam sæpius Helicona concussisti, dignus es, quem pari officio discedentem prosequar. Ad eam dignitatem provectus es, quæ ad majora tibi iter sternet. Eo loco resides, quo & Belgis tuis & vicinis Gallis operam tuam commodare potes, ut hinc inde inclarescas. Non dubito, quin reperturus sis Leodii inter Canonicos complures, quibus ingenii tui amœnitates & mores suavissimos sis probaturus. Hoc si fiet, non valde grave erit è natali solo decessisse. Reverendissimum Mussonii Abbatem velim tibi concilies, non solum ob eruditionem, sed & prudentiam & rerum civilium, præsertim quæ Gallos & nos & Eburones attinent, peritissimum. Scribitur mihi Ducem Bullionem Casaliæ Regis jussu detineri, ob communiacum Deffiato consilia. Ducissam (memorem fortè illius Maronis:

Furens

Furens quid femina poſſit,

Sedanum Lotharingiæ Ducis militi aperuiſſe. Harcourtium cum exercitu eo contendere, ut & Franciſcum de Melo. Si ad manus deveniatur, metuo Gallis tyronibus. Meminiſti iſtius Fabii Cunctatoris: *cum hoſte victore non eſſe pugnandum.* In litteris tuis ad vitricum ſcribis de honorario, quibus verbis offenſus decreveram nihil ſcribere; verum decuſſit bilem ſororis tuæ facilitas, & gratioſa comitas. Nihil à privatis amicis petii unquam, vel exſpectavi. Si Regum, Principumque ſubinde benevolentia inaurer, hoc ſcias, nec à me exempla iſta cepiſſe, nec debere Poëtas quidquam Regibus ingratis. Ita ſtatuas, quidquid ad me miſſurus es, redibit ad te id omne. noli offendere amicum, nec ſiniſtre de eo judicare, qui nimio fortè candore tibi probare ſe cupit, & probavit hactenus. Unum tamen efflagito, ut mihi Leodienſis caſei particulam mittas, quo vehementer delector. hoc ſi impetravero, redemiſti abunde Muſarum labores. Vale. 15 Iul. 1642.

447.

IACOBO PETITIO.

QVidquid aliunde ad nos venit munerum, orbis particula ſunt: Tu totos orbes mittis, ut tanto habearis magnificentior. Quin & mobiles mittis, hoc eſt, Copernicanos, non immobiles, quales ſunt Ptolemaici. Adhæc lacteos mittis, non cruentos ſanguineoſque, qualis

Digitized by Google

lis est hodie, proh dolor, Orbis Europæus. Vt non uno nomine perplacere tui debeant, potissimum hoc, quod cum Orbis Orbem voret, vetus novum, novus veterem; tui orbes nulli graves ac molesti devorari se patiantur à famelicis, & in succum sanguinemque converti. Si mihi fundus esset & ager, etiam tibi ad mulctralia venirent vaccæ. Nunc gratias tibi agere verbis contentus sum, quia verborum mihi plus, quam agrorum, atramenti plus, quam candidi lactis supereſt. Interfui superiore hebdomade nuptiis D. Iacobi Bickæri seri amatoris. Filiæ meæ jam se adornant ad iter, & te tanti itineris ducem exspectant. Vbi ad vos venerit clarissimus Sylvius, volo cum illo diem unum alterumque fallere. Sed hæc ex futurorum contingentium numero sunt, de quibus nihil determinat Philosophus. Ajunt à vestris in Indiæ oris ereptam Lusitanis navem onerariam: rapina diteſcat, an mercatura nullo discrimine habet, qui juste pugnat. Vale. 30 Iunii, 1642.

448.

TILEMANNO STELLÆ.

Magnifice Vir,

Dum per ferias hasce Caniculares Hagæ Comitis apud nobilissimum Vicofortium diverto, afferuntur commode tuæ ad ipsum litteræ, quibus dum perscribis publica, etiam privati tui erga me amoris lineas aliquot ducis valde

Digitized by Google

valde emphaticas. Nec enim contentus honeſte de meis verſibus ſenſiſſe & locutus eſſe, illud porro agis, ut me Eminentiſſimi Cardinalis favori inſinues, & Principem erga me beneficum & munificum reddas, quem me verſibus dicis populo ſecreviſſe. Nec ſinam ego unquam, ut lateant tanti Principis decora, & virtutum ejus ſolis invidenda hoſtibus fulgura, quibus uti Patriæ ſuæ nebulas & tempeſtates diſcutit, etiam devotas humanitatis ſtudiis animas domi foriſque promovet. Et eris, Tu mi Stella, propediem pro argumento novi furoris. Aut enim tuam illam erga me animi ſingularem propenſionem eloquar publicè, aut iratum mihi Apollinem & averſas Muſas ſuſpicabor. Extulit olim Deus Hebræum fratrem, ut prodeſſet fratribus: fortè Te extulit in Galliis, ut prodeſſes abſenti amico. Ego Tui in me adfectus notam tanti facio, ut mihi optem vim eloquendi hæc ipſa pro meritis & referendi. Quod dum non poſſum, fruar tacitus officii conſcientiâ, & hoc agam, ut Te norint, quotquot fidem, eruditionem, facundiam, quibus Eminentiſſimo Duci places, ſacra habent. Vale, & mihi apud Ducem eſſe velis, quod fuit Virgilio & Horatio apud Auguſtum Pollio, apud Gratianum Auſonio Paulinus.

449. REI-

Digitized by Google

449.

REINERO NEUHUSIO.

PErgis, doctissime Neuhusi, bene mereri de juventute. Nuper Poëtam egisti, & quæ in Parnasso somniasti vates publici juris fecisti. Placuere hæc ob facilitatem & perspicuitatem, quæ duo uti in pluribus hujus seculi poëtis merito desideres, ita in tuo versu apparent maxime. Saxa & lapides loqui infra laudem boni Poëtæ est, uti & tenebris involvere veritatem apertam. Utrumque mecum caves, qui nec salebrosus esse studeo, nec obscurus. Nunc quæ Rhetorum pulpam sapiant promittis, & eloquentiæ tyrocinium. Ita veterem artem revocas, & illud dicendi genus, quo

Agrestes homines sacer interpresque Deorum
Sedibus & fœdo victu deterruit Orpheus.

Loqui omnium est: sed ita loqui, uti tu loquentes facis tuos, paucorum. Nempe doces bellariis & crustulis involvere quæ persuasa vis, & sesama & papavera spargere in minus sapidam orationem, illos imitatus, qui saccharo incrustant amariorem medicinam, & dum dulcedine aliqua alliciunt, ingerunt valetudini salutaria. Omnes mimi sumus & agyrtæ, hic carmine, alter oratione trahit auditorem. fascinum quisque suum adhibet, ut fidem inveniat & gratiam. Habent suum Poëtæ, habent suum Oratores. Vox & dictio omnis ad lenocinia componitur, nec satis est hæc nos scire, docemus ea juven-

Digitized by Google

juventutem & tyronibus inſtillamus. Suadæ medullam, quæ expectoret πάθη [*affectus*,] & leniat animi impetus. Utilia hæc ſunt iis, quorum muneris eſt ad alios loqui. Quamobrem gratias tibi debent quotquot tuis artibus diſcent, vel meliora ſuadere peccanti populo, vel jus ſuum cuique aſſerere, vel Principibus ſalubria conſulere, vel ad gloriam famamque publice de quovis argumento verba facere. Addis Epiſtolarum tuarum libris Gymnaſium Eloquentiæ parentis tui, ut oſtendas fortes fortibus, etiam Rhetores Rhetoribus naſci. Mirum illam dicendi vim etiam cum ſanguine propagari. Adeo bene loqui vobis proprium eſt, ut natus videaris Rhetor potius, quam factus. A me viciſſim accipe poëmatia hæc, quæ ſæpius egerimus quaſi pituitam matutinam. Sin minus elaborata ſunt, crede eſſe de fungorum genere, quos natura præcipitat verius, quam ſtudio efformat. Vale, & ſæpius procellis iſtiuſmodi litterariis è Septentrione in me irrue. Amſtelod. 19 Aug. 1642.

450.

IACOBO VANDER BURGH.

Literas tuas, ampliſſime vander Burchi, non amplexus ſolum, ſed & exoſculatus ſum. Video vim Latina loquendi & ſcribendi, quantumvis longa deſuetudine, nondum in te deficiſſe. Debebas ſæpius mihi, aliiſque melioris notæ amicis ſcribere, & acuere ſtylum in me

Digitized by Google

cote. Caseos tuos, munus gratissimum, accepi, qui non solum digerendis cibis facient, sed & probandis vini saporibus pro Lydio lapide erunt. Minores caseolos præfero majori. hoc dijudicasse non fuit tuæ potestatis. sunt illa infrà curas res publicas Agentium. magis, quod jam tuæ est functionis, dijudicare studes, quo in patriam nostram animo sint, Leodienses & Leodiensium Episcopus, & Cæsar & Gallus. Tibi gratias debeo, & referam, ubi res exiget. Impera, quod voles, & impetrabis ocyus. Apud Eberstеinium & Guibrianum Comites, jam puto notum esse nomen tuum. etiam ad Mussonium Abbatem scripturum mihi promisit is, quem nosti. Hoc fac, amicorum candidissime, ut D. Vicofortio super hac re scribas, & res novas, si quæ istic sint, impertias. demereberis his officiis virum A. T. addictissimum. Theologiam istam Gallicam jam ante menses duos Hagæ Comitis legi. autor ejus creditur esse Pastor Parochiæ S. Servatoris apud Leodienses. Quæso, inquire prudenter, in autorem & nomen. Mecum judicas, non esse dignum Principis ira. Nugatur in re seria & cavillatur. Poësin * aut non capit, aut malitiosè detorquet optimè & innoxiè dicta. præterquam quod manifeste impietati affinis sit, dum sacrosancta nomina SS. Trinitatis calumniarum suarum & sycophantiarum argumentum facit. præstat hominem sibi insanire, quam ut, ex solida re-

spon-

* *Panegyricum Card. Richelio dictum.*

Digitized by Google

ſponſione inclareſcat. tenebrio eſt & lucifuga. quare latibulis ſuis illum relinqui ſatius eſt, quam in lucem præter meritum protrahi. An non doles mecum ſortem Buillionæi Ducis & Thuani? Magni ſemper feciſti virtutes ejus bellicas. at hæc in patriam & Regem ſuſcepta conſilia mecum deteſtaberis. Britanniarum Rex diſcit indies, quantis rebus impar ſit. Non eſt Parlamento negotium cum Henrico Octavo. Felicius res Gallus conficit, victo Perpenniano. Vicinorum Principum portis undique incubat. Briſacum Germaniam, Atrebatum Arteſiam, Caſale Italiam, Perpennianum Aragoniam & Catalauniam aperit. Suecus de hybernis in Sileſia faciendis cogitat. Wimarienſes Agrippinæ populo graves eſſe pergunt. Nos, te abſente, dolemus ſubinde. Tantum apud me eſt ſinceræ amicitiæ & honeſtæ comitatis pondus, ut malim tuos ſermones imbibere, quam aquas Spadanas. Illud malè me habet, quod retulit hoc ipſo mane pater non pater, afflictiore te eſſe valetudine. Hanc cura diligenter, & amicorum abſentiam ſolare ſtudiis amœnioribus, Omne ſolum forti patria eſt. non diſtamus totis hæmiſphæriis. concurrunt animi, literæ, vota. Vale Vir ampliſſime & dilectiſſime, & ubi negotiis tuis chartiſque publicis ſubducere momentum poteris, certiorem me fac de rebus tuis, & valetudine, & amicis, omnique vitæ & ſtudiorum potiſſimum ratione. Salutat te reſpublica mea. Filius meus denuo Gallias repe-

Digitized by Google

tiit, jam Parisiis est. Amstelod. 5 Non. Octobris, 1642.

451.

CONSTANTINO HUGENIO.

N*Obilissime Hugeni*,
Cum non in castris, sed Hagæ te esse ex amicis acceperim, scribendi ad te officium non difficulter à me impetravi. nam & literis tuis respondere necesse habebam, & pro missis carminibus luculentas gratias dicere. Quomodo tibi in castris tam multa scribendi suppetat oportunitas, non capio. An classicis & tympanis excitaris ad carmen, & quæ ferociam aliis suadent, tibi lenitatis & tranquillæ mentis otia imperant? Est nota Physicis ἀνλιπερίστασις. [*pugna rerum se mutuo circumcingentium.*] nec minus Tibi, cui turbæ strepitusque castrenses animum componunt, ut dum cingeris illis undique & pene obrueris, trusa in arctum ingeniosissima mens, in suo velut centro, collectis viribus, fortior exeat. Placuerunt quæ ad fraga Tessalica reposuisti. Sed cavebo ego sedulo, ne illis perducar cum magno Imperatore Plus ultra. Nolo, ut ille, trajicere Mare mediterraneum Tesselæ, vel de Novo orbe cogitare. ne vel illo mergar Icarus, vel hujus obtinendi spe excidam. Perculit me non leviter fratris tui germani obitus. Non ita diu est, quod cum nobilissimo Vicofortio ipsum invisserim in diverticulo, quod ad latus sylvæ habet amœnissimum. Sunt hæ, mi

Digitized by Google

mî Hugeni, rerum humanarum vices. præsentis & præteriti tempora etiam extra Scholas discimus. Exemplis docemur mori, sed optimorum; quorum uti vita pro paradigmate fuit viventibus, ita & mors regula est aliquando morituris. Obiit cum fratre innocentia, candor, probitas, facilitas, & coctum generoso pectus honesto. mortuus est plurimorum dolore, qui plurimos sibi officiis demerebatur. qui publicæ rei profuit, publicis lachrymis effertur. Desideramus in uno, quæ sperare ab aliis vix possumus. Tu fratrem luges, ego tuo beneficio amicum. tuus à sanguine dolor est, meus à consuetudine. non irascor fatis, quia consuluerunt bene merito. non querar de vitæ brevitate, quæ honeste viventi fuit longissima. Non opus hic præficis. Sumus hoc singuli. qui ereptum immoderatius dolent, nesciunt carere concessis. Fidem juraverat Patriæ Patribus, sed ut illa tandem absolveret Pater omnium. Probavit se Dominis suis obsequio, Tibi dilectione, amicis benevolentiâ. Singula hæc viventium solatia sunt. obstrepit luctui tot virtutum memoria, quæ superstites recreat, mortuum illustrat. Hæc apud te repetere, prudentissime vir, supervacuum puto, qui tibi es maximorum solatiorum promus & condus. quare non monentis hæ voces sunt, sed condolentis; non docentis quid te facere oporteat, sed quod facis. Loquendum mihi fuit in funere isto, quia Te tangit. equidem, tantum tui apud me momentum est, ut communibus tecum ma-

Digitized by Google

lis bonisque afficiar usque. Vale Vir maxime & luctum doctrina, religione, & tot amicorum precibus subige & frange. Filios meis verbis amice saluta. Amstelod. 5 Octob. 1642.

452.
IOACHIMO VICOFORTIO.

POst discessum tuum nihil de te, nihil de rebus tuis intellexi. Si salvus tu, si salva uxor domesticique, salva sunt tibi omnia. Nec peto, ut scribas mihi. sufficit excusatio una, Gellius ædificat. Favit hactenus ædificanti aër, siccum illum & serenum expertus es, aptissimumque secruminandis lapidibus. Iam puto in domus apice sudare operas, & pluvia hac tempestate tecto claudi architectum. ita voveo. ubi perfecta erit domus, adero censor & hospes. Aderam heri in prandio D. Paulo Wilhelmio à funere Hugenii reduci. Si fuissem isthic, etiam tecum traxissem syrma. Filius meus Parisiis est. inde Aureliam abiturus, ut promotionem obtineat. ea impetrata statuit morari Bloesii vel Salmurii. Sed quam in angusto aut præcipiti sunt res Britanniarum Regis? ab exteris & domesticis auxiliis destitutus, se arbitrio Procerum dedat oportet, nisi Deus è machina adsit. unum omnia contra Tela Latinorum. Sparguntur hic rumores de clade exercitus Regii, capto rege, occiso Principe Roberto. Sed non ego credulus illis. Etiam nunc dicere habemus:

Victrix causa Diis placuit, sed victa Catoni.

Galli,

Digitized by Google

Galli, ut acutissimi sunt, ajunt Bullionæum Ducem dentes sibi eripi passum *Ses dents* *, ut capiti suo consuleret, *pour sauver sa teste*. nescio, an Gallice hæc efferam. tu corrige, nam mentem & acumen capis. Raptim, 5 Octob. 1642.

453.

GUILIELMO GROTIO.

Vir amplissime,

Litteras tuas mihi tradiderunt filii tui, ex quibus percepi & parentis institutum & filiorum. Ad Academiam nostram eos mittis, ut præceptis institutisque Philosophiæ abundare discant. nec renuunt illi mitti, & in disciplinam nostram admitti cupiunt, ut expoliamus ingenia ad frugem optimam nata. Feci periculum: idoneos judicio, qui è trivio in Peripatum migrent. Audiunt lectiones meas & D. Vossii: illas, ut sapientiæ præcepta imbibant: has, ut Historiarum & literarum studiis sapientiam illustrent. Præter hæc privatim illis prælego τὰ Λογικὰ [*Logicam*] Aristotelis, mox prælecturus Physicam & Ethicam. Dum publicè loquimur, philosophamur, Philosophantur nobiscum Auditores, & privato examine obstetricamur discentibus. Non ignoras ex domesticis institutionibus plus fructus referre juventutem, quam ex publicis: hæ enim ad gloriam magis docentium, quam ad usum comparatæ sunt. Illæ discentium captui accommodantur. Annitar omni studio, ne frustrà huc missi videri possint, & si nostris laboribus

* *Sedan.*

Digitized by Google

bus respondeat ipsarum industria, futurum est, ut doctrina & virtute adolescant. Observo, nec ætate valde, nec progressibus discrepare. Indoles parentem loquitur: cetera nostrarum erunt partium. Iam collegio Logico nomen dederunt cum aliis. Non minus erunt mihi curæ tui quam mei. Scio nihil parentibus nobis charius esse recta liberorum institutione & educatione; præsertim cum parentum oculis subducti alibi discunt sapere. ut faciam quod petis, suadent pietas, vocationis meæ ratio, & amicitiæ veteris memoria. Impetrabunt hæc quidquid præstare erit mearum virium. Vale. Amstel. 5 Oct. 1642.

454.

CORNELIO VANDER MYLE.

Nobilissime Myli,

Literas tuas una cum poëmatibus clarissimi Bonifacii accepi. illi scribas velim, me singularem ejus erga me humanitatem animitus exosculari, sed judicia ista & comparationes modestè amoliri. Verum illud est, Claudiani cothurnum jam inde à pueritia imitandum sumpsi, sed accidit mihi quod Ascanio, qui non passibus æquis sequebatur. Facit mentionem Bonifacius Oëni cujusdam Britanni, non est Oënus, sed Ouwenus, epigrammatum scriptor. Multa ingeniosè scripsit in isto carminum genere. sed intercurrunt non pauca vilioris monetæ. Magno applausu apud Anglos leguntur. Prostant ubique. Postremum clarissimi Grotii respon-

Digitized by Google

respōnsum legi, & perlegi. placent multa, non omnia. nec enim ea largiri Romanæ Ecclesiæ velim, quæ antiquitatis præsidio nixus, largitur. Ego etiam primis seculis errores irrepsisse in Ecclesiam puto. Quidquid sit, non debebat optimum Illustris Viri institutum tam indigne exagitari. Scio minore cum fructu hæc nostratibus scribi, verum in Galliis maximo. Alia illic tempora sunt, alia gens. Qui Grotium Papistam scripsit, furiosus est rabula. nomen nescio, sed creditur Parisiis D. Grotio familiaris fuisse, & postea ob vitam minus inculpatam dimissus. Leidæ ajunt hominem morari, & Lutheranum esse Concionatorem, qui facile illic incentores invenit, qui famam maximi viri proscindi amant. Plenus est mendaciorum libellus, nec dignus Cæsaris ira. Est mihi domi sponsa, filia natu maxima, Adriana, quæ juveni Roterodamensi Carolo Wolphio nubet. Velim hoc scire filium tuum Gubernatorem Willemstadii. Vtinam ab ipsius liberalitate & humanitate impetrare possem, ut in nuptiarum diem, mihi aviculas aliquot Brabantinas, aut leporem, vel si quid est istius generis, quod palato non displicet, transmittere dignetur, in memoriam veteris convictus & filiæ gratiam. Non ero ingratus, agam carmine gratias, his enim opibus apud N. T. gloriari liberius ausim. Tu præstantissime Myli, tua suffragatione à filio impetrabis facile, quod peto. Vale & D. Myliam, Filiumque si Hagæ sit, meis verbis saluta. Amstel. Octob. 1642.

Digitized by Google

455.

SYLVESTRO DANCKELMANNO.

Vir præstantissime,

Nuper tesseram amicitiæ dedimus accepimusque. Affulsit mihi dies iste, quo apud Advocatum vander Mast pransi sumus auspicatissimus. Vix enim credas, quam in lucro deputem amicos doctos candidosque. Eram tum hilarior & minus severus, nec enim libet semper contracta fronte Catoni esse. Professoriam vitam ago, hoc est, inter discipulorum cathedram gravem seriamque. Quare conviviis cœtibusque amicorum immixtus, videor velut è carcere & servitute manumissus. Adde, quod Poëticæ quidquid in me est indolis, versus τὸ περπνὸν [*delectabile*] & ἐυτραπελὲς [*facetum*] vergat. Volo Te hoc scire, ne putes me casu aut fortuito ludicrorum atomorum concursu tunc fuisse γελωλοπιὸν. [*excitatorem risus.*] Semper talis sum & destinato apud illos, qui non solent ad stateram argentariam expendere convivales sermones. In Te eam tum humanitatem & morum facilitatem deprehendi, ut veniam non difficulter impetraturus sim liberioris linguæ. Quod si in sectam concedendum sit, malim illam Democriti, quam Heracliti. Tu, vir doctissime, longius à me abes, quam ut Te frui possim. Lingam inhabitas, & loca meo nunquam trita pede, sed belli famâ celeberrima. Illic cum Musis tuis & Apolline neuter es, & hostium partes nescis.

Gra-

Digitized by Google

Gratulor tibi hoc nomine : sed metuebam nuper tuæ felicitati ab adventu Exercitus Vismarienſis, qui locuſtarum Ægyptiacarum inſtar omnia quaquaverſum detondet. Abeuntes hoſce hoſpites videre mavis, quam venientes. Procellæ ſunt & turbines publici, & ut ſacris verbis utar, virgæ furoris divini. Vide quam fauſtis nuper auſpiciis Tibi innotuerim. Pergo amicus eſſe, & quam dexteram abeunti porrexi, porrigo abſenti affectu, epiſtolâ, carmine. ubi res tuæ ferent, ut viro eruditiſſimo D. vander Maſt ſcribas, tribus lineis mei meminiſſe digneris, & eandem quam ipſi, etiam mihi ſalutem candidus imparti. Vale Vir doctiſſime, & in eorum me cenſu habe, qui Te colunt & amant quam maxime. Amſtelod. Kal. Nov. 1642.

456.

IACOBO VANDER BURGH.

OMnino mihi videris, præſtantiſſime vander Burghi, factus diſertior, ex quo ad Eburones conceſſiſti. opinor malleorum ictus tibi facundiam extundere. contrà accidit Naſoni, qui apud Tomitanos ſe Romana verba dedidiciſſe non ſemel queritur. Legunt literas tuas Zulechemius, Hoofdius, Vicofortius aliique, qui te

In Latium ſpretis ajunt migraſſe Batavis.

Dolemus omnes ſingulique te ſubductum nobis. Solebas ſeveritatem noſtram caſtigare eruditis jocis, & Profeſſoriam moroſitatem non ficta comitate. Eramus ſæpè, da veniam verbo, homun-

Digitized by Google

homunculi belli, quoties materiam urbanitati noſtræ daret vel Medici filia, ſororis convictrix, vel neſcio quis Ayala, leporis filius; aut ſubtiliſſimus ille Scotus, itineris tui aliquando in Galliis ſocius, quem negant eſſe è ſeptem ſapientum numero. Quicquid ſit, non ſolemus duo tresve convenire & ſympoſium facere, quin in ore omnium noſtrûm natet vander Burchius. Indicta ſunt amicorum comitia Muydæ, poſt dies bis ſeptem. Seſſiones habebimus dierum aliquot. Synodus erit provincialis non nationalis. Solum ex Hollandia advocabuntur viri docti, gravesque. Haga duo, Alcmaria Pontifex femina, Amſtelodamo Alopecius, & lentus Empirici refutator, & γυναικοκρατούμενος [*muliebri imperio ſubjectus*] ſcriptor. non adſcribo nomina, quæ divinatione facilè eſt aſſequi. Non erit ſermo de excuſſis Iaponia mercatoribus noſtris, aut dedita Perpennia, aut captis in mari Libyco navibus, verum de ſtudiis ſolummodo. De ſucceſſu & eventu tanti Synedrii faciam te certiorem. Nullis ſcribemus Anathema, niſi duris & ſiccis. Literas propediem à N. D. Vicofortio exſpecta. Quæ Ubiorum terris incubuerunt cohortes non unius gentis, fames inopiaque aliò vocant. Senſit Colonienſis Archiepiſcopus etiam has locuſtas detondere prata. De Germania liceat dicere: duo ſunt populi in utero meo, graves matri ac pernicioſi. Bohæmiam quisque ſpe devorat. Britannia fabulam de Cadmæis fratribus denuò orbi exhibet. Hiſpanus à mora rebus

Digitized by Google

bus ſuis quærit ſolatia. Gallus duabus victoriis incruentis, Perpiniani & Sedani deditione, illuſtris, meritò canit. Nobis hac æſtate nullam inclinationem fecit Mavors. Vis privata? domi meæ Hymenæus filiam natu maximam Adrianam Virginum choro it ſecretum. nubet juveni Roterodamenſi Carolo Wolphio. Pro te feſto nuptiali intererit ſoror vitricusque. celebrabuntur nuptiæ 22 Novemb. Hic dies ubi illuxerit Tibi, cogita quid ſit συνκαθέζειν. [*covre.*] Si Sylvæ Ducis aut Vianæ habitares, peterem à te perdicum par, aut leporem. Mitto A. T. ſortes Gallicas profanæ induſtriæ teſtes. In obitus Domini Cinq-marſii, & Thuani, hoc Epigramma quidam ſcripſit:

Morte pari periere duo. ſed perdidit illum
Fracta fides, ſocium perdidit arcta fides.
Morte pari periere duo. ſed diſpare cauſâ.
Fit reus ille loquens, fit reus ille tacens.

Filius meus natu maximus jam Aureliæ eſt, pileo togaque donatus. Vale Vir ampliſſime & juxta amiciſſime. Scripſi jocoſius, ut ſi mederi non poſſim pedibus, medear iſti parti quæ τὸ γελασινὸν [*ridiculum*] amat. Salutant Te ſoror, vitricusque, etiam reſpublica mea. Amſtel. ipſis Cal. Nov. 1642.

457.

JACOBO ZASIO.

QUæ mittis munera, ampliſſime Zaſi, duplici nomine grata fuere: & quia à Te, & quia

Digitized by Google

quia ultro missa. Dici solet proverbio : tela prævisa minus ferire : at munera non prævisa ferrunt magis, & plus afficiunt animum de tuo erga me adfectu prorsus convictum. Quæ petuntur, aliquo titulo debita videntur: quæ non petuntur, dantis virtutem benevolentiamque arctius commendant. Certe aliquam gloriolæ materiam subministrari sentio, cujus filiæ nuptiis Aula, Curia, Nobilitas, Mars ipse applaudunt. Donis me agrestibus cumulavit Saltuum Hollandiæ præfectus, hic Aula est. Willemstadii Gubernator, hic Mars est: Haestrechtius, hic Nobilitas est, & Senator Zassius, qui mihi pro Curia est. uti prioribus, ita Tibi, vir consultissime, gratias debere fateor. Prævenisti me officiis & beneficiis. Sequor ingenua gratitudinis professione. Lepores missi, animalia à velocitate, metu, auribus, pilis nota. Omnia hieroglyphica mihi videntur. Velocitas humanitatis Tuæ symbolum est, quæ nescio qua celeritate me, nullo tibi merito obstrictum, antevertit ocyus, & vix perlato ad Te nuntio de nuptiis filiæ, velut leporino saltu occupat absentem, & tantarum rerum prorsus ignarum. Metus animalis etiam me tangit, qui vereor ne par sim tuis meritis & exspectationi. Sed adnitar, uti me tibi prona animi propensione & obsequiis posthac impensius probem. Etiam aures me adficiunt : uti enim hæ ad strepitus insequentium Molossorum gnaviter attendunt; etiam ego aures arrigam, ut intelligam quibus maxime officiis

Digitized by Google

ciis gratiam & benevolentiam tuam redimere poſſim. Hirſuta & incompta pellis agreſtium ferarum nota eſt; quæ tantis Te paraſangis à ruſticitate & inconditis moribus abire teſtantur, quantis à manſuetis animalibus diſtant effera. Exercuiſti tuis leporibus convivarum dentes, & nunc exerces calamos. In menſis ſeriæ diſſertationis materiam præbuere avidis faucibus, jam ludicræ. Quam voluptatem ex pulpamento cepimus, noſtra fuit: quam capis ex jucunda alluſione, Tua erit. Accepi beneficium, & paratus ſum reddere. Non mittam lepores, nam Actæon non ſum, aut ex Dianæ famulis: Apollinis ſum myſtes, & Muſarum. Has ubi loqui velis, oſtendam me pari celeritate poſſe Pindo deducere Phœbum, quam Tu *montibus attonitos lepores deducis & agris.* Vale Vir præſtantiſſime, & qui faſtum ſucumque odiſti, me amicorum tuorum ordini erecto apertoque inſere. Amſtelod. Nov. 1642.

458.

ADRIANO VANDER MYLE,
Domino in Myle, &c.

Nobiliſſime Myli,

Cogor jam mutare literarum mearum titulos, & obitu maximi parentis Tibi illas inſcribere. Certè perculit me afflictim ferale nuncium, de patris exceſſu, quem amore ſingulari & veneratione ſumma tot retrò annis proſecutus ſum. Sub illo Curatore ſtudui adoleſcens. Sub illo

Digitized by Google

illo Curatore ad Academiam evectus fui. illo etiam non Curatore usus sum familiariter, iis temporibus, quibus in fædas eclipses protrusa fuerunt præstantissima Patriæ nostræ lumina. Ex illo, sedatâ nonnihil publica tempestate, non destitit, & ille me affectu maximo complecti, & ego vicissim me totum Nobilitati ipsius tradere. Luges tu parentem, ego studiorum meorum columen & Mecœnatem. tu generationis insuper causis gloriaris, ego curæ publicæ & mei. Semper in Parente tuo suspexi, quicquid in terris suspicere solemus mortales. Pietatem, cujus cultor fuit serius: integritatem, quam nulli non probavit Batavus: fidem, cujus testis est Respublica, & Principum, ad quos legationibus functus fuit, vox: literarum curam, conscià Leidâ, ubi Curatorem egit annos viginti & ultrà, ea dexteritate & facilitate, ut etiamnum in animis Professorum & studiosorum passim vivat. Hæc dum cogitas, nobilissime Myli, invenis dolori tuo solatia validissima. Ea demum felicitatis humanæ pars est, ita vixisse, ut superstitum omnium verbis orneris, & posteritatis laudabile exspectes testimonium. Quam foris placuit viris maximis doctissimisque, quam domi. omnium amor suffragium optimi civis, etiam ab hostium conscientia, impetravit. Nec secundis rebus insolens fuit, nec adversis fractus succubuit. æquam mentem vidimus rebus in arduis. majorum suorum fulgorem auxit meritis suis, & Auriacorum Principum benevolentiam, patriæ

Digitized by Google

triæ dignitatis hæres, continuatim usque posse-dit. Rempublicam benè compositam juvit, afflictam & concussam non deseruit. Vbique amicos habuit, & quos habuit extulit, literis, officiis, beneficiis. Non privatus est dolor tuus, charissime Myli, lugemus plures. Academia, aula, patria omnis indemnes non sunt. quo vivo lux vitaque affulsit omnibus, eo mortuo veluti tenebris involvimur. Volui hæc N. Tuæ scribere, ut quæ coram non queo dicere, credas me coram velle dicere. Quod si me illo honore dignaberis, cuperem Parentis tui optimi & celeberrimi funus prosequi. non quod mei tantum sit precium, sed quod paternorum erga me officiorum precium sit maximum. Fac me certiorem per famulorum aliquem de die exequiarum. sistam me, Deo volente, in id tempus Hagæ, ut postremum hoc persolvam munus amanti, non sine Lugubri Carmine. Vale Vir nobilissime & mei studiosissime, & sine, ut quam cum Parente digniſſimo colui amicitiam, in te tuosque porrò derivetur. De missis agrestibus ferculis, nihil scribam, ne videar luctus tempore de festivitatibus intempestivè verba facere. Dominæ Myliæ, matri tuæ afflictissimæ solatia hæc mea imparti, & me dolori ejus meum jungere significa. Amstelod. 29 Nov. 1642.

Digitized by Google

459.

GODEFRIDO DE HAESTRECHT.

Nobilissime vir,

Iam respirandi otium à nuptiis nactus, de iis cogitare incipio, qui eas munificentia sua & beneficiis illustrarunt. Inter eos Tu es, quem audacius super hac re compellavi, quia amavi hactenus ardentius. Multum de veteri nostra amicitia præsumo, quam impræsentiarum heroïcis & augustis ferculis redintegrasti. Exspectaveram leporini generis aliquid: mittis præter exspectationem & sortem Professorum cervos aëris & sylvarum spolia. Mittis ea copia, ut nuptiæ meæ Principum luxum videantur æquasse, ut aliquid dicam ὑπερβολικῶς. [*hyperbolicè.*] Videre erat perdices deauratis rostris, videre erat lepores, præter viventium morem, crustæ auratæ inclusos. Videre erat hinnuli armos multo sumine perfossos: Nam mihi conviva nullus Apella fuit. Dicebam hæc à Te profecta, & tui favoris luculenta documenta. Rhenensi nectare diluebamus quidquid in feris illis erat agreste. Laudatus es à Satrapa Muydenti aliisque, quod hoc honore dignum judicaveris vatem tuum. dico tuum: quia meministi me aliquando scripsisse:

Accipe laudatum, sessor generose, caballum.

Iam accipe laudatum hinnulum, qui tibi verbis Poëticis gratias aget. Ego à facundia destitutus, quâ tibi pro meritis gratias dicam, malim hinnuli

Digitized by Google

nuli manes hoc dicere, quam emeritum Poëtam. alias de perdicibus apud te, nî fallor, verba feci: nunc cervorum prolem alloquor, dicturus aliquando de lepore. Non vacat semper Principum & Cardinalium laudes dicere. Etiam Dianæ venatricis victimas, quæ voluptati publicæ præbent causam, laudari fas est. Illi de regnis bene merentur: hæ de famelicis convivis. Illi regna & gentes devorant, hi devorantur à gentibus. Desinam apud gravitatem tuam nugari & jocari, si me, quod feci sæpe, tibi omni affectu & officio devoverim. Vale, & quam à me, etiam à novis nuptis gratiarum actionem accipe. Amstelod. 19 Decemb. 1642.

460.

CONRADO GODDÆO.

Vir doctissime,

Concessit mihi lectionem Satyræ tuæ nobilissimus Hoofdius, Satrapa Muydensis. Valde me affecerunt Ululæ tuæ laudes, in quibus cum eruditione urbanitatem, cum utraque prudentiam junxisti. Prodes & delectas: prius facis saluberrimis monitis, posterius non illiteratis jocis & salibus. Doctrinam tuam per tot scriptorum paginas & latifundia diffusam prodis, appositè quæ ad rem præsentem faciunt explicando, ut nusquam vel delphinum sylvis appingas, nec fluctibus aprum. Istiusmodi scribendi genus amo, & simili fere modo res serias dixi, in Orationibus meis de Ente Rationis & Reali,

Digitized by Google

Reali, etiam in Nuptiis Peripateticis. Quæ ſeveritate dictionis perſuaderi non poſſunt, incruſtas venuſtate & verborum ſuavitate, ne faſtidio ſint. Multum tibi debent Ululæ, quas æternitati conſecraſti, uti Moria plurimum debet Eraſmo, Calvitium Syneſio, Umbra Douzæ. Certe hæ nugæ ſeria ducunt, & ingenia mortalium moresque hominum depingunt, ſub ſpecioſi animalis imagine. Si verum eſt Pythagoræ placitum de animarum transmigratione, puto ſæpius ululorum animas in noſtra corpora tranſire, ad quorum indolem mortales ſinguli plus minusve componuntur. Vnum dicam: non debebas in ululorum ſedibus, & deſertis Velaviæ locis vivere, verum in luce hominum, & quidem doctiorum, ne præclaræ ingenii tui dotes cum jactura publica inter ruricolas evaneſcant. Fui nuper Hagæ Comitis, & doctrinæ tuæ apud Zulechemi Dominum præco fui. Exemplar illi mittas velim libelli tui. Vellet Muydenſis Satrapa te hic apud populum dicere, ut amœniſſimi ingenii tui fructu propius frui liceret. Ego amore tui, & libelli ſuavitate captus, hæc ad te ſcribere in animum duxi, ut credas non deeſſe alibi, quibus vis eſt dijudicandi bene dicta. Vale. 11 Ianuar. 1643.

461.

PETRO C. HOOFT.

QUæ argute ad præſtantiſſimam viduam arguteris, nobiliſſime Hooſdi, aliena non ſunt

Digitized by Google

ſunt à genio tuo & ſorte mea. Tu more tuo jocis me petis, quia domi Penelopen habes in uſus tibi neceſſarios. Ego miſer & vacui lecluli poſſeſſor ferre cogor ludibria beatorum. Illud vectatione retrograda, aut averſa effeci, ne averſus aut retrogradus eſſet amor meus: licet in aureæ Cherſoneſi dominas & Deorum matrem Cybelen ille minime feratur. Amo claudicantem & tardigradum Vulcanum, non Venerem. Non ignoras Mezentii tyrannidem, de quo Maro:

Mortua quin etiam jungebat corpora vivis.

Nec pœnitet iſtius ſeſſionis. una vecti ſumus ante fores arcuatæ domus. ingredi juſſum perhumaniter excepit dis Berecynthia, in conclave introduxit, & Colonienſi nectare rubello abluit pulverem, quem collegerant garrulæ fauces. Aderant etiam filiæ Cybeles, quibus ſpiritus robuſtior, frons explicatior, & genu viridius. Potui ab harum contactu ſine ſcelere incaleſcere. Schedulam tuam curavi & chirurgo meo tradidi. Iam in exſpectatione es, magnarum rerum & ſacculorum, quos araneæ inhabitant & blattæ. Verum tu à ſitu purgabis mucidam & carioſam ſupellectilem, quin novis vocibus indues plebeam dictionem. Res Britannorum in ancipiti ſunt. dividunt victorias ex æquo. cædunt & cæduntur in vices. In Galliis libertas carcere, & carcer libertate permutatur. Cardinalitii exciderant ſuo cardine. proſcripti proſcribunt, & viceverſa. Quisque

Digitized by Google

ſuos patitur manes. alii in Elyſium, alii in triſtia tartara mittuntur. Nos longiore mora videmur majora optare quam ſperare. Ibitur iterum, ut fama fert, in Flandriam. Faxit Deus, ne ad Cannas eamus aut Thraſymenum, hoc eſt Calloënſem lacum. Torſtenſonius velut novus Ziska Cæſarem territat, & Pragæ inſtat. prælio ſternenda ipſi via eſt, aut occludenda. Vale Vir maxime, & ſi quid forte fando tuas pervenit ad aures, candidus imparti. Saluta Dominam Leonoram, & matre pulchra pulchriorem filiam. Amſtelod. 20 Iun. 1643.

462.

GODEFRIDO DE HAESTRECHT.

MAluiſſem te hic amplecti, & dextram dextræ jungere, quam abſenti per litteras reſpondere. Feram patienter abſentiam tui. proficiſcere bonis avibus & navibus. Sic te diva potens Cypri, ventorumque regat pater. Vbi in Brabantiam veneris, cogita te in patria mea ſtare: ubi Antverpiam, in natali mea urbe. Si in doctos incidas & pacis ſtudioſas animas, dic me ægerrime ferre bellorum noſtrorum pertinaciam: hoc unice cupere, ut placato Marte philoſophari liceat liberius, etiam cum iis qui ſacris differunt. Non pertinent ad Muſas Hiſpanorum & Batavorum lites. Non ſunt ſolliciti de prolatandis imperii finibus Poëtæ, quibus totum hoc Vniverſum in poëticæ commentationis argumentum cedit. Latius imperant

Digitized by Google

rant Vates, quam Orientis & Occidentis domini. Ad leges & numeros noſtros venire ipſos Reges neceſſe eſt, cum libet inſanire nobis. Bruxellis ſi qui ſint, aut alibi ad quos forte fando pervenimus, iis me & officia mea trade. Si quid illic rerum geratur quod ſine crimine me ignorare poſſe judicabis, fac me certiorem, ego viciſſim de rebus noſtris ſcribam liberalius. Princeps Auriacus, ut fama eſt, in Flandriam movit aut Brabantiam melioribus, ut auguror, auſpiciis, quam ad Calloam pugnaturus. Ea parte itur in jugulum adverſæ partis: illa pars viderit. In Galliis reciprocas vides imperantium vices. Cardinalis vixit: jam multis inviſum eſt nomen, quod terribile fuit toti Europæ. Multi qui ejus metu velut in Ægyptum aufugerant, illo extincto velut in Iudæam ſuam redeunt. Britanni non aliter quam Cadmæi fratres in ſe mutuo ſæviunt, & niſi male calculum poſui, præda erunt aliquando exteris. Appulerunt hic è Braſilia naves onerariæ plures, auro, ebore, aliisque mercibus graves. Induciæ cum Luſitanis pactæ credentur noxiæ fore: nec enim involare jam in ipſorum ditiones & portus vel ad Orientem vel ad Occidentem licebit. In Germania prope eſt, ut iterum committantur exercitus. Si Suecus prœlio ſuperior evadet, erit propediem bello. A Franciſco de Melo non eſt quod hac æſtate ſibi metuat Gallus. Si ſucceſſus militari prudentia moderari ſciet, bis vicerit. Vale Vir nobiliſſime, & me amare perge. Amſtel. 24 Iun. 1643.

Digitized by Google

463.

PAULO VERLANO.

Nobilissime vir,

Iam credo, de quo non dubitavi hactenus, Græciam mendacem esse. Fingit illa Parnassum, Phocidem, Cyrrham, Helicona & Aganippen sua nomina esse & decora. Si ob Apollinis numen sacra habentur illa quæ jam recitavi, certe Oostvorna jam Parnassus & Phocis, & Cyrrha & Aganippe est. Migrant è terris in terras alias populi, quid mirum etiam transmigrare deos deasque; præsertim cum barbaries hodie Musarum domiciliis incubet, & Atticam omnem Ottomannica gens possideat. Non exspectaveram tam excultum carmen ex iis oris, ubi Neptunus Tethysque littora pulsant, & gratulabar mihi etiam inter rura, & Corydonas & Phyllides nasci heroïcos poëtas. Accidit hoc Andino vati: nunc multis post seculis tibi. Hoc tuo poëmate non solum ostendis te cum Musis postliminio in gratiam rediisse, sed etiam veterem amicum & ejusdem tecum ferulæ fatis, hoc est, sceptris pædagogorum olim obnoxium tibi devinxisti usque adeo, ut quem amavi puer, jam annis judicioque adultior colam & venerer. Nimis operosus es in exaggerandis laudibus nostris, quas modeste prætervehar. Scis in usu perspicilia esse, quæ rerum magnitudinem mentiuntur, & ex musca elephantum faciunt. Forte istis in legendis meis

Digitized by Google

meis poëmatis usus fuisti. Si aberrasti judicio, non aberrasti affectu & benevola animi in me propensione. Arenas quas isthic inhabitas, calcavi sæpius. Collem istum, in quo psittacos glandibus dejicere solebant ex alta trabe ruricolæ tui, conscendi aliquoties, victoribus applausi, licet non Olympicis. Iam habet Oostvorna quod gratuletur te cive, te vate, te domino. Perge frui memoria nostri. Ubi comitem aliquando nactus fuero D. Steurium communem nostrum amicum, non invitus ad te transvolabo, ut Brielam videam, & te ejusdem mecum calamitatis socium, hoc est viduum, jam amplectar & exosculer. Vale. Amstelod. 3 Iul. 1643.

464.
JACOBO WESTERBANIO.

NImis prolixa es in me humanitate, nobilissime Westerbani. Equidem non contentus me opipare excepisse, submittis leporem, agrestia munera. Ita non tantum præsenti, sed & absenti amico benefacis, & nobilium cibos edere vis doctorem umbraticum. Esto, fruar tua liberalitate, & cum major sit dantis, quam accipientis gloria, patiar me hoc gloriæ genere lubens vinci. Sed ut videas poëtis facile arripi facetæ dissertationis argumentum, à lepore tuo didici plurima. Lepus est, sed usum ejus non ad formæ elegantiam, ut Gellia apud Martialem, sed ad famem deposco. Lepus est, olim cum vive-

Digitized by Google

ret levipes, ut Grammatici nugantur. auritus adhæc, ut attentionem imperare videatur Physicæ auscultationis prælectori. Etiam pilosus, nec tamen Numa Pompilius, cui hirsutum dicitur cor fuisse. Meticulosum animal mittis, qui nihil præter culpam & honesti infamiam timeo. Victimam das molossorum viro, qui illam hominum victimis & lanienis præfert. Feram agrestem homini plane cicuri & mansueto. Cruentam adhæc, ne contra veterem Noachidarum legem de non edendis suffocatis peccem. Comedimus illum condimento tinctum aromatico, quali primis mundi temporibus verisimile est caruisse venatores, etiam ipsum venatorum principem Nembrodum. Nondum cognitas Moluccarum insulis dapes cum amicis edimus, quorum colloquia & sermones convivales alterum condimentum fuere, quale à magnis frustra exspectes. Ita singula leporis tui dogmata dictavere carnivoro non Pythagorico Philosopho. Gratias tibi debeo ob ferculum nobilius, & rarius, nec vulgaris plebeique saporis. Vbi Nobilitatem Tuam posthac invisam, veniam sine comite tibi noto Domino Mylio, ut credas amicitiæ nostræ fiduciam crevisse. Hac fretus, mitto Orationum mearum librum, quas sparsim editas in fasciculum collegi. Vbi à venatione aut ambulatione fessus domi consideris, vel foris propter aquæ rivum, non injucunda erit prorsus earum lectio. Amas enim, si bene memini τὸ καλὸν καὶ τὸ τερπνὸν, [*pulchrum & suave*,]

Digitized by Google

suave,] quod sectatus in iis fui. Vale, & sopitos veteris amicitiæ igniculos vel litteris vel alloquio excita. Amstelod. 22 Octob. 1643.

465.

JACOBO VANDER BURGH.

HEri oportune admodum mihi traditæ sunt literæ tuæ, Vir amplissime. eo nempe momento, quo apud Senatorem Doubletium prandendum mihi erat. Dedi legendas Zulechemio, Vicofortio, Consiliariis Reygersbergio, de Willem aliisque, antequam accumberemus, ita ut pro promulside suavissimi convivii fuerit epistola tua. De literarum tuarum tarditate non est quod conquerar. Pro literis mihi sunt perpetuæ & toties iteratæ salutationes, quas parentis tui literis inseris. Sum hic Hagæ, ubi ferias brumales dispurgo lepidis amicorum contuberniis. Singuli dies singulis voluptatibus decurrunt. alium quotidie salem comedo, alios amicos amplector. In Vitaulio combussimus sine tropo meridiem. dico sine tropo, quia frigus intensius luculento nos foco admoverat. Conqueris, præter tuum morem, de filia diaboli. adversus illam remedia pete ab amicis, à poculis, ab epigrammatibus jocosis: qualia hic tibi mitto duo, unum meum, alterum incerti. Legisti regem Cissæum à malo spiritu vexatum, ad se rediisse cantu Davidico. An hic poëtarum idem sit præstiturus utique nescio. De Pace quæ scribis, ficta credimus & portam eburneam dimissa,

Digitized by Google

sa, Qua falsa ad cœlum mittunt insomnia manes. Nihil hic ejus rei agitur. Nec videtur tam esse pusillanimis Hispaniarum Rex, ut rebus hic illic nonnihil afflictis, pacem sit oblaturus. Lenta sunt Austriacorum consilia, sed sic satis certa. Britanniarum Rex, qui exercitu suo se tueri potest adversus Procerum suorum vim, hoc cunctando efficit, ut Londinenses cœpti pœnitere incipiant. Vrgent conciliationem cum Rege & concordiam, cum discordia loculis ipsorum gravis sit. Princeps Robertus apologiam scripsit adversus illos, qui velut grassatorem & prædonem publicum traduxere optimum Principem. Crede mala hæc transmarina etiam Rempublicam nostram contagio adflasse. Distrahimur & hic in partes, & pro Rege hic, alter pro Parlamento contendit, usque ad vulnera. Eboracum obsidione liberavit Comes Novi Castelli. de navibus nostris triumphant raptores Morini. Obitu Emin. Cardinalis plurimi sibi licentiam promittere visi sunt. Sed inhæret etiamnum Rex consiliis defuncti, & grandes corporis Gallici nervos movet adhuc idem spiritus. Advocatus Sylvius fatis cessit. dubitatum diu fuit, an vivis an mortuis annumerandus esset, adeo languidum traxit corpusculum. Vale, Vir optime, præsertim novis anni hujus auspiciis, quæ tibi saluberrima faxit salutis nostræ autor & moderator summus. Hagæ Comitis, ipsis Kal. Decemb. 1643.

466. JOA-

Digitized by Google

466.

JOACHIMO VICOFORTIO.

MAjus aliquando commisisti facinus, dilectissime Vicoforti, quam quod litteras Eburonensis amici referaveris: illud nempe, quod litteras ad nobilissimam Viduam missas pro tuo in me jure (ut facinus credas veniale esse) citius ab aliis legi siveris, quam ab ipsa. Hoc nefas, quale quale est, plurium osculorum abstinentia expiari debebat. Nihil mihi arcani est cum Eburonum Agente: cum viduis multum, idque ineffabile. Sunt sua Theologis, Chymicis, Politicis, Medicis mysteria, adde & viduis, quæ non minus silentio involvi oportet, quam quæ in aurem presbytero dicuntur. Mira scribis de Gallorum mensis, quibus excepti sunt Principes nostri. Si illas vidissem, exclamassem forte cum Ergasilo apud Plautum: Quanta pestis pernis accidit, quanta labes larido, Quanta sumini absumedo, quanto callo calamitas, Quanta laniis lassitudo, quanta porcinariis! Frustra ingenium in cerebri panniculis hactenus quæsivimus. in gula, in ventre, in abdomine quærendum. His non minus ingenioſi sumus, quam ea parte, qua sapimus. Non singulas aves patinæ, sed avium exercitus exhibuere. vix nata animalia cessere in pastum, & naturæ matris moras antevertit erudita fames. Geometricè ordinantur, quæ minus Geometricè comeduntur. ut etiam secula nostra Apicios habeant, qui-

Digitized by Google

quibus longiore collo opus, ut fruantur diutius. Sed dandum hoc viris principibus & magnis, qui Regis sui majestatem non bellis solum & armis, sed mensis etiam explicant. Quam vellent Hagienses tui, Monasterii prandere legatos, ut habeant, quod comedant liberalius, & minus caro. Iam preciosius vivunt ob paucorum magnificentiam, uti rivulis ac torrentibus suus decedit liquor magnorum fluminum voracitate. Ego tam feliciter Illustrissimos Legatos velim crudas Principum Europæorum lites emollire, quam rem cibariam feliciter perfecere Francorum magiri. Sed jocorum satis. Danus ringitur. Suecus intra Cimbricæ Chersonesi limites stringitur. Pax Monasterienſis à variis varie fingitur. Britannia scinditur. Italia in novas partes distinguitur. Castellæ Rex contemnitur. Gallia victrix pingitur. Ego fausta tibi omnia, mî Vicoforti, & prospera voveo, & cum uxore & familia omni salvere & bene rem gerere jubeo. Amstelod. 17 Febr. 1644.

467.

JACOBO BALDE.

IAm mensis aliquot exacti sunt, vir clarissime, cum litteras tuas mihi traderet pictor celeberrimus Sandrart. Non exspectaveram è Bavaria tam luculentam amicitiæ tesseram, & ab Alpium radicibus tam grande erectioris ingenii pignus. Videntur tibi pauculi versus quos in effi-

Digitized by Google

effigiem Principis vestri scripsi, salivam movisse, ut extranei hominis amicitiam aliquo in precio haberes. Ego sicuti eruditionis fama cuivis, ita humanitatis & benevolentiæ officiis nulli cessero. Eorum quæ è longinquo mitti solent major est reverentia & precium; quamobrem summa veneratione excepi aureum poëmatum tuorum opus, quorum lectione non semel incalui, & per similia commenta præcipitavi audacem spiritum. Restituisti nobis lyram neglectam diu & intermissam, ut jam merito vocari possis Lyricorum scriptor, aut potius Bojorum fidicen lyræ, ut ad Horatii verba alludam. Mire mihi placet copia, & naturali pulchritudine assurgens oratio. Sacra libentius & felicius tractas, ut tibi non parum sancta & beata nomina debeant, quæ uti immortalitatem à Deo & Christo habent; ita à te ab hominum in terris oblivione glorioſe vindicantur. Isaro, mî Baldæe, tibi pro fonte Castalio est, Parnassum in Vindelicis & Nariscis invenis, Danubii & Oeni ripas Lyricorum carminum laude illustras, uti Tyberim suum olim Flaccus. Sunt qui his in terris de poëmatum tuorum nova editione cogitant. Interea me adfectu tuum puta, licet in aliis disparem; & si qua est studiorum cognatio, crede me hac quoque affinitate tibi junctum. Amstelod. Cal. Mart. 1644.

468. FRE-

Digitized by Google

468.

FREDERICO SPANHEMIO.

PRæveniſti me humaniſſimis tuis litteris, clariſſime Spanhemi, ſed non adfectu & virtutum tuarum admiratione. Cum militem tuum Suecum ante annos complures legerem, didici plus te quam Theologum eſſe: cum docentem audiviſſem, non adfectatam facundiam ſtupui, & qui plures ex iſta cathedra loquentes audivi, auſus fui Hagæ, & alibi viris magnis dicere me par decus eloquii à nullo audiviſſe priorum. Vbi nos effers humanitatis & benevolentiæ voces agnoſco, quæ tantum à vero abeunt, quantum ego ab eruditione. Ex Mileſiorum numero ſumus, neque τρίτοι [*tertii*] neque τέταρτοι. [*quarti.*] Si à carminis mediocritate gratiam mereor, quadruplavi rem meam. Amicitiam tuam in maxima felicitatis parte puto. Poſſum amare ingenuos, & labem me amari patior. Nihil magni promitto, ne malum nomen fiam debendi reus. Miſi nuper poëmation breve: jam totis modiis tibi admetior ſaburram poëticam. Varii illa eſt, ſed amœnioris argumenti. Intercurſant ſacra non ſacris, ut credas etiam à vatum ſuavitate non abhorrere pietatem. In dialogis non inſueta leges. Scis Iovem Homericum non ſemper de Trojanorum bello deliberare. Interdum apud Æthiopas commeſſatum abit, ut rideat. Prout homines ſumus, loquimur & ſcribimus. Quibus pituita non eſt moleſta, facile

Digitized by Google

cile sibi risum imperant. Est inter virtutes ὁμιλητικὰς [*civiles*] Urbanitas & Comitas, quas qui exelle è cœtibus humanis cupiunt, inter quercus vivant oportet, aut Septentrionis immites scopulos. Quem mihi commendasti Mathematicum, eodem me momento accessit, quo accedebat clarissimus Pellius, jam à DD. Curatoribus ad professionem vocatus. Exspecto ut tempestivus imperes, quod confici per me posse putabis. Vale, & collegas, præsertim clarissimum D. Polyandrum meis verbis saluta. Amstelod. 28 Iun. 1644.

469.
THEODORO GRASWINKELIO.

HActenus & animorum nos & studiorum junxit affinitas, Vir clarissime; jam tertio vinculo jungimur, hoc est, conjugali copula, quæ dum filium meum in cognatæ tuæ amorem insinuat, nos quoque arctius nectit. A prioribus facile impetravimus, ut interdum essemus unà, veluti in κρατῆρες φιλοτησίῳ. [*poculo amicitiæ.*] A tertia affinitate ut idem illud impetrem æquissimum puto. Non ignoras desponsatam filio meo cognatam tuam Pelgromiam, scivisti & promovisti amantium caussam, honestissima apud socerum tuum suffragatione. Socer tuus, qua est animi æquitate & facilitate sponsaliorum moderator fuit; & arbiter. Dies nuptiis designatus est 24 Iulii, in quem ut Te hic sistas cum uxore, & festo nuptiali interstis seriò & efflictim

flictim rogo : nec ego solum, sed rogamus tres, sponsa, sponsus, Barlæusque senex. Multis nominibus adesse debes, amici, Advocati, cognati. Singula urgent præsentiam Turni. Vis mixta gravitate esse comis, exemplo erit Satrapa Muydensis. Vis frontem explicare & citra affectationem esse facetior, vis sine hypocrisi exhaurire quod debes, disces hanc virtutem à pluribus. Vis inter pocula erudiri, recludet sacraria sua charissimus Vossius. Vis super impositis firmemus pocula dextris ; non abhorrebit aliquis. Scenam intrabis virtutum convivalium, & quot videbis convivas, totidem videre te putabis senatores, sed pomeridianos, quales auroræ vultum referunt. Veni, amicissime, & hac quoque tessera obsigna veteris amicitiæ fidem. Nullum in nobis humanitatis, benevolentiæ & observantiæ officium desiderabis. Pueri innuptæque puellæ fundent vina tibi, acues hilaritatem amicorum, & decus addes grande nuptis. Dies Solis nuptialis erit, quo Curiæ & litibus non vacas. In domo mea flagrabunt tedæ, tu Talesio sis, & novis nuptis bona verba dic. Hac spe adventum tuum præstolabor comite D. Vicofortio. Vale 14 Iul. 1644.

470.

IACOBO WESTERBANIO.

Post nuptias & nuptiarum ἐπόμενα [*appendices*] illud primum mihi negocii dari credidi, ut amicis circumquaque gratias agerem, & omni-

Digitized by Google

munificentiæ ſingulorum occurrerem grata beneficii confeſſione. Inter hos cum agmen ducas, primus compellaris, qui quas anni tempeſtivitas conceſſit mortalibus delicias, abunde impartitus es. Videris cum ſingulis elementis in conſilium iviſſe, ut amicum obſtringeres. Ab aëre impetratſti, oviculas, cothurnices, quas licet Medicorum quidam à menſis arceant, quòd ſolæ animalium, præter hominem, comitiali morbo corripi credantur; ego tamen non valde ipſorum authoritate motus menſis appoſui, memor verſiculi Ovidiani:

Ecce cothurnices inter ſua prandia vivunt.

Ab agris & matre terra impetratſti tempore minus opportuno lepores. Verum ne laſcivià hujus animalis peccarent convivæ, prudenter ſubmiſiſti melones, fructus frigidioris ſucci. Probitatem eorum arguebat odoris ſuavitas, at paucorum voluptatibus illi militarunt. Erant qui capti eorum dulcedine ipſi Iovi particulam denegaſſent. Quid, quod cum Oceano quoque tibi bene conveniat, cujus donum eſt ſalmo iſte marinus, qui ſtomachos carnium ſaturos nova alimonia recreavit. Huic ne ſuum deeſſet condimentum, non acri aceto adſperſiſti piſcem aut ſale, verum facundiſſimis & ſuaviſſimis verſiculis, qui, uti & piſcis ipſe, ad captum fuere omnium. Riſere matres virginesque, & veterem tuam in carmine facilitatem agnovere. Ego tam tibi proſperas opto has ipſas univerſi partes, quàm nobis bene ceſſere. Ne aërem unquam

Digitized by Google

quam sentias gravem difficilemque, aut aquas infestas agris tuis, aut terras steriles aut infecundas. Et ne calidissimi elementi obliviscar: illud voveo, ut amore mei & bonorum omnium incalescas plus magis, nec sinas priscos amicitiæ fontes, & vivam adhuc prisci convictus lymphulam exarescere. Prodiere tandem poëmata hæc, quæ per otium leges. Agnosces veteris vestigia variis. Argumentis varia sunt nec omnino inficetis. Proxima hebdomade cum novis nuptis Hagam excurram: Calcabimus fortè arenosas vias, ut lætitiæ datorem videamus. Vale, Vir nobilissime, & nos amare perge. Amstelod. 4 Non. Aug. 1644.

471.

SYLVESTRO DANKELMANNO.

DUm in ocio isthic vivis, Danckelmanne doctissime, & pacis vocibus impleris, nos bellorum strepitu obtundimur, & jam Gallum, jam Auriacum pugnantem audimus. Princeps noster in expugnanda Gandavensium cataracta desudat, & jam in fossæ fecundæ, quæ Arcem istam cingit, crepidine est. Hâc potito magnum se offert futuræ gloriæ argumentum, Hulsta, Antverpia, Gandavum. Vide quam sint fatidici vates, & quam benè ominer Patriæ meæ Antverpiensis. Iterum suilla me beasti & ferculis minime Iudaicis. Ego reddo grunnitum meum, hoc est, murmur poëticum, quod si facili manu & æquo animo exceperis, melos fortè videbitur

Digitized by Google

tur inconcinna cantio. Non potest non placere materies, sive de Philosophia sermo sit, sive de chiromantia aut magia. Vitæ rusticæ laudes Damon pastor loquitur, Cyrus aulicæ. In dialogis non inamœna offendes exordia, & alibi abstrusas pietatis voces. Vbi gravis esse voles & serius, has lege: ubi festivus & jovialis, ad priora te recipe. Annuas mihi litteras objicis, quæ jam semestres erunt, postea futuræ menstruæ. Ita cum amore tui crescent amicitiæ officia. Cum ante quatriduum Hagæ essem, & in omnium ore esset Grevelinga, hæc epigrammata lusi, quæ mitto, ut iterum recordatione illustris victoriæ gaudeas. Nos memoriam tui circumferimus indesinenter, & ubi in D. vandér Mastium Advocatum incido, ilicet in te reflector, ut conspectus unius duorum sit, duplexque salutatio & gratulatio. Vale, & uxori prospera omnia precare. Si fert, faventem habeat Lucinam precor: si non fert, annitere tu vir ut ferat. Supervacua domi res est uxor vacua. Amstelod. 26 Aug. 1644.

472.

THOMÆ FERENS.

DVm hîc Hagæ apud nobilissimum D. Vicofortium diverto, congruum visum fuit veteris amicitiæ novam tesseram transmittere, ut post annorum aliquot inter nos velut divortium, Tibi reddar & uniar. Præbet scribendi occasionem luculentam & pergratam valde Sas-

Digitized by Google

sa Gandavensis, quæ armis quoque tuis sub Auriaco expugnata, jam custodem agnoscit suum, quem non ita pridem hostem sensit. Ejus Tibi præfecturam serio gratulor, gaudeoque & virtute Te militari, & honoribus bello partis crescere. Germaniam aliquando superiorem fortiter cum tot heroïbus adversus Austriacos asseruisti. Jam in inferiore & fortitudinis tuæ argumentum inveniſti & famæ. Non meo judicio meruisti maximi propugnaculi recturam, verum Celsissimi Principis, qui juratam Patriæ fidem Tibi credit, & prudentiæ tuæ committit salutis gloriæque publicæ indubia munimenta. Sedes & præsides veluti medius undas inter & terras, & dum has Reip. Federatæ facis tributarias, illas aggeribus & catharactis arces vel admittis. Flandros jam & Mattiacos adspicis: illos minus, hos magis amicos. In Morinorum habitas regione, quam Cæsar olim tenuit, cum sylvosa esset & exculta minus. Stas in vestibulo & limine fertilissimæ terræ, cujus maximum est in bello hoc, quod Hispanos inter & nos geritur, momentum. Vellem ab hoc limine Te ulterius penetrare in magis mediterranea, aut in Gandavensium foro stare, ad latus statuæ Imperatoris Caroli, quæ illic visitur. Valde sum liberalis votis, & ea confecta velim, quæ animis præconcipimus. Nihil scribo ab indole mea alienum. Bene volo Patriæ & familiæ tuæ claritati, & nomini tuo. Vbi pedem aliquando posuero isthic ubi imperas, videbo æstatis elapsæ immanes labores

Digitized by Google

bores & fructum grandem. Nec erit Tibi grave, dum mœnia noctu diuque obis, meminisse amicorum. Ambulabo tecum, disponam excubias, armilustria instituam, sed sola mentis agitatione. Ero miles sine stipendio, signifer sine aquilis, dux sine turma. Pugnabo sine cæde, invadam hostem sine noxa, terrebo colonos, nec calamitatem faciam. Ita videbor mihi esse quod non sum, & ero quod sum toto adfectu Tuus & tuorum. Iunxi gaudia mea gaudiis publicis, cum Arx ista cessisset nobis: mox cum Te præfectum accepisset, gavisus sum magis, non Tui solum causa, verum Reip. quæ tanti propugnaculi defensionem tuis devovet virtutibus, fortitudini, scientiæ militari & curæ. Vale, Vir fortissime, & dum publico invigilas Flandricæ portæ custos, crede nos philosophari inter discipulos, suaviter agere inter amicos, denique Te excubante in Batavis dormire suaviter. Hagæ, 20 Novemb. 1644.

473.

FREDERICO RICCIO.

QVam vos estis digni rerum æstimatores. Versiculos quos per lusum effudi in Bamæstram, coronatis Bamæstræ proventu & fructibus. Nunquam gratius aptiusque munus accepi, licet interdum me Regum Principumque liberalitas non invitum prosequuta fuerit. Ea mittitis, quæ terræ cultores rectoresque decent. Possum carere monilibus & torquibus regiis: caseo,

Digitized by Google

caseo, butyro & ovilla carere vix possumus. Faciunt hæc ad vitæ præsentis necessitatem : reliqua ad fastum & splendorem. Ruris opimi domini estis, & facitis me usufructuarium. Meto, ubi non serui, & pro insipidis versiculis mittitis sapidissimi saporis alimenta & mensæ delicias. Scilicet exigitis à philosopho sub oviculæ specie innocentiam, sub casei emblemate acrimoniam, sub butyri malorum correctionem, & emolliendis visceribus medelam. Det Venus pectinem & columbas, Mars gladios, Vulcanus ignes, Apollo cytharam; etiam Deorum & Dearum munera sunt quæ misistis vos. Dat oves ovium custos Pan, Pales caseum & butyrum. Vbi oportunum erit, amplissimis Bamæstræ Dominis meis verbis gratias reverenter & serio age, meaque officia prolixè ipsis offer; illis pro publica, tibi pro privata liberalitate, qua illam auxisti, plurimum me debere fateor. Agam in fine Theologum, terrasque vestras prosequar Mosaica benedictione : Benedicti estote in civitate, benedicti in agro, benedictus fructus terræ vestræ, & jumentorum, & greges armentorum, & caulæ ovium, benedicta horrea vestra, benedictæ reliquiæ vestræ, hoc est caseus & butyrum. Deuteron. cap. 28. Vale, & D. van Os aggerum vestrorum curatorem peramanter saluta. Amstelod. 19 Decemb. 1644.

474. AI-

Digitized by Google

474.

... AIGUIBERIO *Gallo.*

EX quo Amſtelodami dextras junximus, tunc cum in ipſo & primo ad me acceſſu abires, & vix viſus evaneſceres; ſæpe mihi cum nobiliſſimo Vicofortio de te ſermo fuit. Exercet te etiamnum & exercuit olim belli fortuna, & dum Regi tuo te probas, viam inis qua ad famam & gloriam itur. Verum rariore exemplo militas & ſtudes: pugnas & inter Muſas otiaris, ſceptra & litteras aſſeris. Quare non ægrè feres, ſi non miles ſcribam militi & quidem veterano, cui multæ noctes vigilatæ ſunt in caſtris ſub Iove frigido: nec enim totum te compello, ſed qua parte mecum iis artibus imbutus es, quæ ad humanitatem nos formant. Faciunt hæ, ut arma tractes circumſpectius, animoſius & glorioſius, ut omnis ſeculi exempla veluti ante oculos poſita habeas, & quid fœdum ut evites, pulchrum ut imiteris, ſcias. Nos hic procul ab armorum tuorum fulgore, in umbra Peripateticam ſectam profitemur, & inter incruentas cathedras cum Scepticis, Platonicis, Epicureis adverſus veteris ſeculi placita diſputamus. Vbi ſeriis eſſe diſplicet, in poëtarum hortis ſpatiari libet, & minus vera dicere absque ullius noxa. Solet in bello feſſo militi tibia, lituus, tympanum in deliciis eſſe, quod & in Achille notat Homerus. Non minus libet Philoſophis ſe ſpinoſis diſputationibus expedi-

Digitized by Google

re, & morosiora studia amœnioribus diffundere. Hujus generis si quæ habes D. Vicofortii liberalitate, gratulor mihi ea tuo calculo probari, & te inter militiæ principes viros hoc affectus velut osculo dignari nostram Pallada. Vale. Amstelod. 1645.

475.

CONSTANTINO HUGENIO.

IAm cum Iesuitis nobis res est. Fortè quia de Tessela omnis sermo. Sic vara vibiam trahit, & Bitus interesse amat Bacchii rebus. Cum Baldeo Iesuitarum Monachii præfecto ab hinc biennio commutavi litteras, occasione Epigrammatis cujusdam, quod in effigiem Bavariæ Ducis scripseram, rogatu Sandrartii pictoris. Placuit illud Iesuitæ usque adeò, ut mihi ob hoc gratulatus fuerit, & Ducis nomine gratias egerit. Edidit Baldeus iste libros poëmatum suorum, à quibus Germanismus omnis abest, & Teutonicum πάθος. [*ingenium.*] Versus ejus magni facio ob munditiem Latini sermonis, & facilitatem. Versus è Gallia missi olent D. Grotium, ob nitorem, dictionem concisam & sensus erectiores. Si cum aliis ejus heroïcis, præsertim in Gallia scriptis, conferas, non ovum ovo magis simile. Nihil tale à Gallis exspectaverim. Omnes diffluunt isto scribendi genere. De Historia Brasilienssi cogito per otium, excutio chartas Illustrissimi Comitis. Secernendi sunt furfures à polline, & rerum pondera & gemmæ

ab

Digitized by Google

ab arenis & gestorum minutiis. Sed motus hic, uti omnis physicus, eget mora. Illud tuum in Tesselæ discessum plane divinum est & elegans, ubi ad sortem & usuram alludis. Quod in Latino carminum genere nuper fecisti, velim te facere in Belgico, & colligere in unum, quæ sparsim & per intervalla tibi exciderunt, facetias, jocos eruditos, & tot semper se moventis ingenii strictura. Erunt hæc ad palatum omnium, secus quam Latina, quæ Hecubæ nostrates non capiunt. Vale Vir Nob. Amstelod. 1645.

476.

CONRADO GODDÆO.

Doctissime & amicissime vir,

Dum ad te abit collega tuus ac symmystes D. Franciscus Martinius V.D.M. in Eepa, commodum visum fuit illum pro sarcina onerare litteris. Qui enim ad te curare possint per avias Velaviæ vias prorsus ignoro. Video ex tua ad nobilissimum Satrapam epistola nondum memoriam nostri apud te exoleviſſe. Vellem utique te nobis adesse propius, ut novis Ululam tuam plumis instruas & infarcias. Nec enim ineptiarum hic ut & alibi finis est, & pergit mundus histrioniam agere, & insaniam suam lucris, amoribus, poculis, bellis, litibus & politicis & ecclesiasticis insanire. Nuper hic conflagravit grande infortunio Basilicarum nostrarum una. Coacti sunt tenebriones tui templarii & turrium habitatores alio migrare, donec de novis lati-

Digitized by Google

latibulis ipsis prospectum sit. Epigrammata quædam habet D. Martinius, quæ in damna publica scripsi. Indecens est frigere Poëtam flagrantibus templis. Valdè tibi devincis clarissimum Hoofdium litterarum officiis: optat serio mecum voces vestras hic audiri posse, ubi & tersiores sunt auriculæ & oculatior auditor. Belli rumoribus omnia hic perstrepunt. Primo vere in Flandriam ibitur, ut fama est. Vrgendi sunt successus & utendum victoria. Monasterii de pace deliberant: interim per me licet, pereat in Morinis Sagunthus aliqua. Anglia pergit in viscera sua & se ipsam sævire: Quis navem quassam fluctibus civilibus referet in portum. Nisi Deus è machina adsit νεκυολεθρίαν [*internecionem*] florentissimis regnis parari autumant prudentiores. Tu extra bellorum strepitus & famam à longe hæc accipis, tanto beatior, quanto minus audis, quæ displicere possunt, & minus credulus es falsis. Vivamus nos & amicitiæ, humanitatis & Christianæ concordiæ studiis certemus. Ita nos hic Deus pacificos, alibi beatos velit. Vale. Amstelod. 7 Feb. 1645.

477.

FREDERICO SPANHEMIO.

QVam est laudabile, clarissime Spanhemi, multis linguis loqui posse & scribere. Vni genti nati videntur, quibus simplex est lingua: quibus bisulca & trisulca, pluribus. Inter hos nomen mereris, dum iis vocibus loqueris quibus

Digitized by Google

bus se maxime explicat hodierna facundia. Latinas innuo & Gallicas, quarum documenta dedisti scriptis luculentissimis. Linguæ Latinæ delicias possum utcunque observare, & velut pitissando assequi. De lingua Gallica pronunciare non aulim, quæ me ad suas cupedias & elegantias non admisit. Itaque exspectavi aliquandiu & distuli responsum, donec collectis doctorum suffragiis, laudationem tibi transmitterem libri tui inartificialem, profectam scilicet à testimonio peritorum istius linguæ. Dedi commentarium tuum legendum hic viris attenti & electi judicii. Ajunt omnes dictionem tuam esse γνησίως [*genuine*] Gallicam, historiam res gravissimas nec vulgo notas referre, nempe motuum Germaniæ causas & originem, consilia adhæc machinationesque Priucipum, quæ cuncta interdum adspergis flosculis poëticis & hyperbolis, quæ lectorem afficiunt, & velut in itinere recreant. Sed quis ego sum, qui paginam facio in tuo opere & eadem quâ illustrissima Princeps Iuliana claudor tabulâ? Fulgeo tantæ heroïnæ luce & subscriptum augustis nominibus video nomen meum ignobile. Hæc privilegia nostra sunt, hæ prærogativæ, clarissime Spanhemi. Qui Reges Principesque sæpe adspectu & accessu non dignantur Reges Principesque alios; poëtam, utpote virtutum præconem, non aversantur: eum sibi adstare, vultibus ipsorum subscribere, secum loqui patiuntur. Nec illud minus glorioſum mihi est tecum loqui,

Digitized by Google

loqui, qui facundiæ, doctrinæ, humanitatis ſtudiis regnas. Facundiæ inter Latinos & Gallos: doctrinæ inter doctos, humanitatis inter bonos. De controverſiis Anglicanis ſcribendi materiam vellem tibi non ſubminiſtrari. Cuperem non minus Eccleſiam Chriſti unanimem eſſe & pacatam, quam regnum. Vale Vir eximie, & ſi candorem amas, me tuis accenſe. Amſtelod. 18 Mart. 1645.

478.

JOACHIMO VICOFORTIO.

INvitas ad te venientem ultro. Sed videbor peccare affectu paterno, ſi apud filium non divertam. Ille arbitrio meo rem omnem permittit. Dividam litem inter filium & amicum. Filio meridiem & ſummum diem largiar, tibi noctem & veſperam. Non habebit quod conqueratur, ſi temporis corculum nanciſcatur. Sed fluctuo adhuc & pendeo animi. Vbi è curru deſcendero, deliberabimus, quid facto opus ſit. Proxima hebdomade, die Martis aut Mercurii, ad vos cogito. piſcibus veſtris diem dixi. Horum ſaturi ſunt cultores quadrageſimæ, ego cupidiſſimus. Torſtenſonius Auſtriam terret, ſed in Moravia moratur. Cæſar copias colligit magna rerum deſperatione. Britanni pergunt Cadmeam pugnam pugnare, quæ non minus luctuoſa eſt victoribus quam victis. Nos Dano tandem videmur iraſci poſſe. Sed multa cadent, non dico inter calicem & labra, ſed inter

Digitized by Google

ter classem nostram & pugnam. Turca pyrgopolynicen agit suo more. Pamphilius Pontifex pamphilus est, dum plures sibi beneficiis devincit. Inter hos motus ego in territorio Pernambucensi classes dispono, æraria exhaurio, & Præfectus mihi maximas res agere videor. Vale. 6 Apr. 1645.

479.

EIDEM.

Diu me expectatione tui suspensum tenuisti. Putabam utique futurum, ut adventu illustrissimi Grotii huc pertrahi posses, quem salutavi obiter & paucis. Exceptus fuit à Senatu & Consulibus perhumaniter.

Veteris sunt hæc vestigia recti.

Clade Gallorum indolui. Nimia securitate & hostium supino contemptu Marti vapulant. Torstensonius adhuc cis Istrum est, hic terminus fortunæ Gothicæ. Princeps noster nondum movet. nec ego. Futurum tamen propediem puto, ut Hagam excurram, videndi nepotis caussa, quem:

Casta Venus genuit, sed non Simoëntis ad undam.

Tu negotiis publicis privatisque districtus me & amicos nescis. Vlciscar injuriam dentibus, non ut te mordeam, sed fenula tua. Audio te purgare domi non Augiæ stabulum, sed loca purgatissima. Insaniendum hic est matronis, ne in virorum capita sæviant. Ab hoc metu liber sum. Vale. Amstelod. 22 Maji, 1645.

480. IO-

Digitized by Google

480.

IOHANNI SCOTO-TARVATIO.

N *Obiliſſime vir*,

Quam mihi miſiſti ſalutem, accepi à Forbeſio. Nec verbis mihi ſolum illam transmiſiſti, ſed reapſe. Adeo enim ad nominis tui mentionem fui exhilaratus, ut novum ſalus mea vigorem conceperit & robur. Trajeciſti procelloſum mare, & commiſſam ſecum Angliam prætervectus, ſtas in Federato Belgio ab inteſtinis bellis per Dei gratiam immuni, nondum ab externis cum Hiſpaniarum Rege. Hæc feliciter ſic ſatis procedunt, opitulante Gallo, qui Flandriæ magnis exercitibus incubat. Ego qui generoſæ tuæ humanitatis, & prolixæ erga me benevolentiæ, & erectæ eruditionis apud Batavorum proceres teſtis ſum & præco, vellem aut videre Te in Walachris, aut videri à Te in Batavis. Iam dudum ſcripſiſſem, ſed diſtuli in editionem poëmatum meorum, quæ jam carceres mordent, ut in publicum prodeant. Illa à nominis quoque tui ſplendore, quod illis intercurſat, gratiam ſibi lectoris fenerabunt. Si pluſculum Veriæ commoraberis, mittam poëmatum faſces, animi noſtri erga Te teſtes uberes ſatis. Sed mallem frui vultu tuo & alloquio, & ignotas audire & reddere voces. Obiit Roſtochii clariſſimus Grotius è Suecia redux: quod ſcribo ob viri maximi famam, quæ latere Te non poteſt. Nobiliſſime Vir, impera ſiquid à me officii

Digitized by Google

officii Nobilitati Tuæ præstari posse putas. Experieris non claudi affectum, aut stare intra versiculos, sed latius se expandere veneratione tui, & virtutum tuarum admiratione. Vale, & hospitem tuum Wallasium meis verbis saluta. Amstelod. 12 Sept. 1645.

481.

GERARDO CROMMOM.

VIde quantam de humanitate tua conceperim fiduciam, Vir amplissime, ut vix semel aut bis Tibi visus aussim chartaceas hasce bracteas mittere, qui jam alio forsan in Curiam & curas avocaris. Legeram nuper filii tui litteras, quibus de obitu illustrissimi Grotii ad Patrem scribit: illis excitus fui, ut veteri amico parentarem. Primus ferè loquor, ut alios ad honestam æmulationem provocem. Nec loquor operosè, cum tanti Viri laudes facilius sit complecti, quam sigillatim exsequi. Rasi solummodo summa virtutum fastigia, contentus affectus mei magis erga defunctum, quem cum cordatissimis Batavorum æstimavisti semper, quam ingenii aut doctrinæ, quæ parce possidemus, elaboratius monumentum proferre. Non potestis non affici & Tu, & Senatorum reliqui ejus morte, qui Ius vestrum victuris libris illustravit asseruitque. Prævi aliis & præficam meo modo egi, ut alios ad similes lachrymas invitarem. Poëmatia scribere semper non vacat, quanquam argumenti abunde esset. Amplissimo D. Dedelio exemplar

Digitized by Google

trade, & juxta votivas salutis voces. Vale. Amstelod. 2 Oct. 1645.

482.

IOACHIMO VICOFORTIO.

Nobilissime vir,

Agnosco pertinax silentium, at nullam in silentio culpam. Non habui quod scriberem, cum tamen scriberem multum. absorpsit me penè Oceanus chartarum Occidentalium, è quo emersi post fastidiosam annalium lectionem. Sentio, aliud esse carmen scribere, aliud historiam. illic sine populi suffragio mentiri licet & fingere: hic nequaquam. ut illic mei juris sim, hic ab argumento & rebus ipsis detinear: Hulsta me loquacem iterum fecit, quæ, ut spes est, viam nobis sternet in magnam Urbem, & belli catastrophen. Sub prælo est Poëmatium. Mittam, ubi lentas typographorum operas effugerit. Heros Muydensis diu cum podagricis doloribus conflictatus, jam cum pedibus in gratiam rediit. ambulat mecum, sed Vulcanio & cespitante gradu:

Veteris sunt hæc vestigia recti.

Iam de bove cura est. Si me per hæc tempora invises, infarciam te farcimine optimi saporis, quod Veteres Aquæ, more annuo, misere. Quia rerum novarum parcus es apud me depromptor, ego Te scire volo, inter Anglos & Scotos malè convenire super militiæ rationibus. Montrosium novum colligere exercitum ac reditum minari:

Digitized by Google

minari: Scotos eam Anglicanarum Ecclesiarum formam urgere, qualis est ipsorum. Fuit hic per dies aliquot Director Cancellariæ Scoticæ Iohannes Scotus-Tarvatius, vir eximiæ eruditionis, mei amantissimus. Regem amat & veneratur, non tamen partes Regis. Vale, & præstantissimam conjugem, & cognatas saluta. Amstel. 10 Novemb. 1645.

483.

CONSTANTINO HUGENIO.

Obsisime Hugeni,

Quod per æstatem omnem egerim Harpocratem, duplex exspectatio in causa fuit. Vna illustrioris victoriæ, altera editionis Poëmatum meorum. Illam fortunæ bellicæ, hanc typographorum lentis operis imputo. ab utraque poteram scribendi argumentum nanciscì. Iam, cum priori satisfecerit divinus favor, posteriori illud hominum genus, quod, præter morem suum commotior, Erasmus dixit non uno dignum suspendio, loquor. præterquam quod per hæc tempora per Occidentem omnem raptus non fuerim domi. ut Belgarum licuerit meminisse. Quæ in Hulstam scripsi, rogo veteri tuo more tradas Celsissimo Principi, ubi oportuni erunt aditus. Demosthenì somnum adimebant Miltiadis trophæa, & mihi vetérnum Auriaci. In oculis turrem Antverpiensem habet Princeps noster, in votis ac spe Antverpiam ipsam. Et possum ego ex ejus clade mihi aliquid polliceri, si

Digitized by Google

quando ad Federatos devolvantur culinarum D. Michaëlis, qui Christianorum Perseus est, opimi reditus, aut alterius cujusdam, sine meo suffragio, in Sanctos recepti. Forsan me Iesuitici Collegii professore dicere habebit Loyolita aliquis:

Quis novus hic nostris successit sedibus hospes?

Quid si fasces ambiam? Antverpianus sum, non Hobocæ, aut in paludibus Kempensibus natus? Si dubitas, crede titulo. Poëmata mea, quæ in duo excrevere volumina, N. T. ea qua decet veneratione offero. nuncupavi illa duobus apud me Sanctis, hoc est à populo secretis. Qui isti sint, loquitur altera à fronte pagina. Mihi hic à Te habitus honos, ut in Poëmatum tuorum frontispicio ostentes nomen meum. Quare, sine, ut tuo potius superbiam, & qua sim apud te admissione & gratia indicem pluribus. Causas alias dicet Dedicatoria. ut ad schedas tuas veniam, crescunt victoriæ Principi, & tibi carminis vis. illi laus ὅτι ξυρῷ ἴσα τμὴ ἀκμῆς, [*in novacula sita est cuspide,*] tibi in cuspide Epigrammatis. Quam non pulverulentum illud de pulvere, hoc est, laudum divinarum materia. quod acumeu non Romanis, sed Belgis debes, ut & illud de Hulsta arbore. Quam non vana est illa ad Antverpiam paræneſis, quam ego sororem, quam servam malim. Legi hæc cum Hoofdio, Vossio, Mostartio, Vondelio, licet hic argumenti impatiens sit. Hoofdius ex illustri morbo iterum convaluit. non bene convenit capiti cum pedibus. etiam D. Vossium

Digitized by Google

D. Voſſium exercuit Celſiſſimus iſte, aut potius imæ partis dolor. Illuſtriſſimo Comiti Mauritio dicas velim, me Brittia rediiſſe domum, & jam mea convaſare Vale nobiliſſime & præſtantiſſime Hugeni. Amſtelod. 22 Novemb. 1645.

484.

IOHANNI SCOTO-TARVATIO.

NOndum excidit memoria ſuaviſſimi convictus quo me dignatus es, Tarvati clariſſime. Illud quantivis puto, quod quem vidi in litteris chartisque publicis eximium, viderim coram oculis mihi amiciſſimum. Crede eſſe ſua vincula humanitati & doctrinæ, quibus me Tibi adſtrinxiſti usque adeo, ut & amare illam poſſim & hanc venerari: ob utramque Te. Attineor dudum promiſſo carminum meorum, quæ jam è typis Blaeuvii noſtri prodierunt? hoc ipſo me exſolvo & fidem libero. ubi mare conſcenderis, poterunt illa ſolari maris tædia & diſcutere nauſeam. Bene mecum actum putabo, ſi non occurrant legenti talia quæ illam moveant. Non omnium dierum par ſerenitas, nec eadem ſemper in carmine vis & gratia. quædam lætiores quædam triſtiores ſcribimus, vacui aut occupatiores. Ludiones à ſpectatoribus petere ſolent, ne quis artis peritus artifici exprobret: idem apud Te mihi faciendum, penes quem vis eſt & poteſtas talia dijudicandi. Præfationem in tabulas Scoticas quam exegiſti concepi. Videor notularum tuarum mentem percepiſſe; ſin minus,

Digitized by Google

muta pro lubitu: fige, refige, adde, deme. Non est mihi grave in fœtus istos sævire, & dispungere male natam Pallada. dum iter in Scotiam capessis, precor tibi faventem Æolum & pacatum mare. Debebat tibi adspirare Favonius, qui adspiras passim literarum studiosis. debebat tibi sterni placidum ventis mare, qui illud ipsum rei literariæ causa trajecisti. Domum ad tuos reversus, cogita hic inter Batavos vivere nominis tui cultorem serium, qui uti eruditione omnibus, ita grati animi significatione & magnorum virorum cultu nulli cedit. Addidi exemplar carminis, quod in recentem victoriam & captam ab Auriaco Hulstam scripsi. Si Belgarum victoriis applaudis, non potes non accinentis Poëtæ murmura benigne interpretari. Vale Vir maxime, & me ama. Amstelod. 20 Novemb. 1645.

485.

CONSTANTINO HUGENIO
Filio.

EX quo Academiam conscendisti, nihil de te ex te inaudivi, nihil tui commatis vidi, nec tu, ut opinor, mei à me. Adeo fortè Astræam amas, ut mares virosque nos posthabeas. Parum refert, interpellabo istos amores, & interveniam ICtorum Rubricis & paragraphis, quos audio jam te recitare inter cathedras. Nos Academiâ dimissi sequimur Principem, & urbes versibus expugnamus & verbis, quas ille vix omni Mavortis & Vulcani ope. Postremis triumphis accessit

Digitized by Google

ceſſit Hulſta & Waſia, quæ jam mihi pro Batavorum partibus verba facit. An te tantam Patriæ felicitatem ſilentio præterire fas ſit. Facile tibi eſſet brevi Epigrammate alludere ad obſidionem brevi tempore peractam. Mitto tibi Poëmata mea, pharmaca πολλὰ, [*multa*,] bona, mala, mediocria. Invenies alicubi pileolum tuum, & humeros, & manus &c. parentem ubique, cui Heroica nuncupavi, uti Elegiaca & miſcellanea cognato tuo Schonckio. Niſi ejuraſti Poëticam mentem, lege ſubinde hilaris quæ ſcripſi absque ſupercilio. Vale. Amſtelod. 25 Novemb. 1645.

486.

SILVESTRO DANCKELMANNO.

TAndem, licet ſerò, poſt exactas aliquot meſſes nos reſpexit Numinis favor. Pene deſperaveram tantorum motuum felicem ſucceſſum, ſed victoriæ gloria exſpectationi exprobrat impatientiam. Hulſtam vicit Auriacus, ego cecini. difficile eſt ſilere triumphante Miltiade. Si, quid dicat feraciſſima Waſia, ſcire deſideras; introduxi loquentem ea, quæ ſi non dixit ipſa, dixiſſe ſane poterunt ejus incolæ & coloni. Addo carminum meorum farraginem. Collegi ea in duos faſciculos ſive tomos, ne turbata volent levibus ludibria ventis. Quædam ſereni, quædam nubili ſcripſimus: quædam ſeria, quædam joculari oratione. quædam ſponte, quædam juſſi. Etiam Lingam tuam, cui Index jus dicis alicubi

Digitized by Google

videbis, & laudatas pernas. Vtinam tibi ita saperent versus, posses hos concoquere sine culinæ fumo; uti illas non possum sine gratiarum actione. Satis beneficiorum est, humanitatis abunde. Ego cum libellis animum affectumque propensissimum erga te tuosque offero. Si quid A. T. à me præstari posse officii putas, impera. Si uxor optima, si liberi valent, faxit ea etiam meis precibus perpetua Deus. Vale. Amstelod. 7 Decemb. 1645.

487.

IACOBO BALDE.

VNde araneis supputant telæ, utique nescio: nec unde tibi tanta carminum vis. Inter aviculas nulla magis variat modulos quam Philomela: at tu Philomelam vincis, qui pluribus illam modulis canentem facis, quam natura docuit. Non solum libellus tuus Philomelæ inscriptione gaudet, verum ipse Philomelam agis. Vti enim hæc iterat sæpe sonos, & per intervalla canit; etiam tu veluti singultibus periodos Poëticas claudis, & dum animi pios motus impetusque sequeris, sæpe ad carminum principia redis. Philomela arbusta mutat, non silvas, non hortos: nec tu è pietatis campo exis, etiamsi argumentum mutes. Ita places lectori, uti Philomela auditori. Libris tuis de Vanitate mundi nihil perennius. Ita eam depingis, ut vanitati æternitatem comparavisse mihi videaris. Dum omnia momentanea facis & peritura, duo seculo

Digitized by Google

lo eximis, famam & pietatem; quarum hanc cœlo ſcis deberi, illam poſterorum memoriæ. ubi jam hæreat Sandrartius noſter pictor inſignis utique neſcio. Cogitabat in Auſtriam & vicina loca cum conjuge. Sed illa ex eo bellis exarſit, ut minus commodo tempore eo profectus videatur. Si iſthic apud vos eſt, plurimum à me ſalveat. Nos hic inter bella & furores Martios exſpectamus publicas pacis voces. Si omnes idem ſentirent, quod Memii, Avanſiique, non eſſet deſperata pax. Sed illa Deorum in genubus poſita eſt, ut loqui amat Mæonides. Vale. Amſtelod. 10 Decemb. 1645.

488.

FREDERICO SPANHEMIO.

QVæ de Poëmatibus meis judicas, clariſſime vir, verecundè amolior. Accidit iis, quod & in aliis vitæ humanæ rebus evenire ſolet: quædam ſereniores, quædam nubili ſcribimus, quædam ultro, quædam amicorum rogatu. Nihil æque compedes horret, quam Poëtarum genius: qui ſi repagulis continetur, ſimilis eſt captivis, qui liberiore cuſtodia habentur. Poſt Philoſophiæ ſtudia placuit pro diverticulo Poëſis. Hunc mihi ab oppoſito in oppoſitum ſaltum dari volui. Vti enim illa rigide verum amat, ita hæc à vero amat digredi, & commentis gaudet non noxiis, ſed quæ aut delectant, aut proſunt. Principis ſuperba appellatio nulli hominum ordinum magis invidenda eſt, quam vatibus.

Digitized by Google

Omnium morsibus & jaculis patent sic dicti. Citius ferant Reges dominatum Asiæ & Africæ, quam Poëtæ Principem. Vnius dominatione offenduntur, ut præstet intra ἰσοτιμίαν [*honoris æqualitatem*] consistere. Exercitationes tuas de Gratia Universali aveo legere, quanquam R. T. amem versari in apodictivo, quam sensitivo dicendi genere. Interim inter virtutes Ordinis vestri hominum scio esse τὰς ἀνιλεγομένας ἐλέγχειν. [*contradicentes refellere.*] Ausus fui in hoc argumento te alloqui carmine, & de iis verba facere quæ à libri tui lemmate non possunt esse aliena. Tui hæc Elegia esto arbitrii. Si quid displiceat, dispunge, aut te monente dispungam : nec enim quenquam offendere instituti mei est. In Manichæum & Pelagium quædam dicuntur. At intercurrentes quæstiones, quas vetus Ecclesia determinare ausa non fuit, quæ tamen Ecclesias nostras segreges fecere, non tango. Si amicitiæ tuæ inseri propius possim, præferam hæc lucra disputationum subtilissimarum, adde etiam Poëtarum omnium gloriæ. Vale Vir maxime, & Academiæ & Ecclesiæ commodo longum vive. Amstelod. 20 Ianuar. 1646.

489.

IOACHIMO VICOFORTIO.

Nobilissime Vir,

Dudum inter funera & mortes amicorum, vel auditas vel scriptas, vel visas versatus fui. Apud vos Constantia desiit in humanis stare,

Digitized by Google

re, magna matris optimæ dolore. Hic desiit scribere scriptor publicus Sinapius, cujus morientis & lenta tabe deficientis spectator fui. Leydæ Cl. Professor & Theologus ivit viâ Patrum, ut cum Scriptura de Theologo loquar. cui nænias & lessos scripsere plurimi. Tu volentem scribere hortaris, & merito. Nam & vivum semper coluisti ob eruditionem & optimam indolem, & in Filio inter alias paternas virtutes invenis affectum, quo & Te & me complectitur. Scripsi Elegiam hanc, qua summa sequor fastigia laudum. Eam si tradere dignaberis Heenvlietæ Domino, perges pro more tuo novis me tibi nominibus alligare. Elegiam ut & Epistolam apertas mitto, ut legas, & si minus probes, censura tua confodias. Si venia dignos versiculos judicas, potero inseri turbæ Poëtarum, & inter appendices Orationis Spanhæmianæ legi. Hîc urbi imperantium alia jam facies est, de qua non judico. de hyemis facie ausim dicere sententiam. A rara Planetarum coitione hic rigor. desæviit Saturnus. exspecto, ut lætiores Orbi dies dent Iupiter, Apollo & Cypria. Mars castris annuat & Auriaco. Mercurius tibi, cui loquendum sæpe pro Principe tua est. Vale, amicissime, & conjugem, cognatas à me cumula optimis votis. Amstelod. ipsis Cal. Mart. 1646.

490. CON-

Digitized by Google

490.

CONSTANTINO HUGENIO.

IAm tuta est Ægide Pallas & Ægis Pallade, dum in eam curam incumbit Auriacus, ut iis artibus ornet urbem suam, quæ militiæ præsidia sunt & decora. Iustiniani verba sunt: Imperatoriam majestatem non solum armis decoratam esse oportet, sed & legibus. Vellem tales Celsissimo Principi obtingere Professores, per quos tantarum rerum auspicia illustriora sint. Verum non annonæ solum, sed & doctorum caritate passim laboratur. D. Brosterhuysio consultum equidem gaudeo. illi penicillum & tabulas ab attenta manu excussisti. Spartam ἐκκαλλωπιεῖ [*Græcanicam*] ornabit, ut qui studio isti addictior olim fuit. Nescio, num togatum incedere velitis an palliatum. Certè hic habitus Græcum argueret. Rusium Iuris hic Professorem sibi mercati sunt Amstelodamenses, quod vobis debet, per quos factum, ut abruperint lenta consilia & procrastinationes primores nostri. Snippendalius in horto Botanico Herbarum vires prosâ, non carmine, dicet. Alius Ravius è Turcia redux Orientalibus linguis flectet Batavorum linguas. ut jam de studiis cogitare apud nos seriò incipiat Mercurius. Satrapa Muydensis à pedibus valet, non à manibus. Hæ, ut mortalibus omnibus, duæ illi sunt, dextra & sinistra. Hanc, ut ocium fallat, exercet mecum quadrangularium lapillorum jactu. illa linteis involuta

vacat

Digitized by Google

vacat à scribenda Belgarum historia. quod viro grave & molestum.

Boreadis illa Vesta, pinxit.
Opum suarum mater, hospes, artifex.

In ejus Natalem, qui in mensem Martium incidit, nuper lusi disticha aliquot. Martiam esse Vestalem non memini, ex quo Ilia sacerdos à Marte compressa est. Mihi musculos Pettemenses misit, hiantes adhuc & à suctione recentes. Ne crede hoc ejus emblema esse & hieroglyphicum. Filium Constantinum non in laudem solum, sed & subsidium tibi adolescere lætor. Heri admissus fui ad colloquia Ill. Comitis Mauritii. ubi evaserit nuptiarum fratris & aulici luxus pericula, mecum Brasilienses Historiæ meæ fila leget, & sicubi à vero aut decoro aberraverim, in viam reducet. Vander Burgius à secretis Federatorum legatis, ad Dominos suos scribit jussus, amicos veteres nescit, ut verum comperiam illud Aristoteles mei : Amicitias dispari amicorum sorte dissolvi. Sed vellicabo illi aurem. Prodiit libellus in Voetium patrem & theologum, & filium philosophum. De argumento non dicam sententiam. Titulus illi est : *Pedis & Pediculi Dialogus.* Sed quia inter arcana dominationis theologicæ habetur, nescio an exemplaria ubivis prostent. Vides, vir nobilissime, ut Satyram varii argumenti litteris hisce corradam, à seriis destitutus. Non enim vacat de nuptiis Gallo Hispanicis, hoc est, politicorum technis, aut Cretensium

Digitized by Google

sium calamitatibus scribere. Quid Tiridatem terreat unice securus, in Te obsequioque tui quiescam. Vale. Amstel. 15 Apr. 1646.

491.

JUSTO VIGIO.

Obilissime Vigi,

Nter à rectore Tilano, vir humanissimus & doctissimus cum hic ante menses aliquot esset, monuit, ut aurem tibi vellicarem carmine. nempe amant mortales committi alios, ut spectatores sint. nec amœnior contentio, quam poëtarum, quæ uti insaniæ affinis est, ita pluribus arridet. Mihi ob veterem amicitiam, quam cum fratre Nicolao puer colui, grata tui est & tuorum recordatio. Studuit mecum Bommeliæ ante annos quinquaginta & ultra. Ex eo sæpius in fata ejus fortunasque inquisivi, & (an certa auditione nescio) Ostendæ inter alios heroas pro patria & pulchræ pro libertatis amore occubuisse accepi. Tu, vir maxime, patere ut amicitiæ sacrum illud & venerabile nomen à fratre in te derivem, & illo orbus, in te tantam hereditatem adire possim. Vt credas serio me loqui, mitto versiculos, ut tuos eliciam, aut potius animum nostri studiosissimum tangam levi officio. Vbi una vel in Batavis erimus, vel in Sicambris, libabimus Apollini. Vide, quam Te utar familiariter, idque prima admissione. quid futurum, ubi inveterata fides pudorem proscribet & audentiam addet scripturienti. Amstel. 19 Iul. 1646.

492. WIL-

Digitized by Google

492.

WILHELMO ADOLPHO CROSECQ.

ACcipe, illustrissime Crosecqui, quæ inter bella & Martios furores à multis retro annis etiam jam nuper lusimus. Debentur Tibi, qui in hoc dicendi genere excellis, & facem præfers cœcutienti Germaniæ. Videbis me Vertumnum esse & Protea, qui in omnes me verso formas, ut placeam. Iam de bellis, jam de nuptiis sermo est. Nunc versum Reges, nunc amici, nunc sacra, nunc profana faciunt. Omnium horarum homo sum, etiam tuæ, hoc est facetioris, cum res postulat, & D. Vicofortio sacra facimus. Ignosce si familiarius scribo ad Plenipotentiarium: licet Poëtis hoc, qui cum volunt, audent Iovem ipsum quamvis procantem cum Iunone affari. Inter pacis conciliatores es. Multum debebit Tibi Europa, si rem tantam ex ejus voto confeceris. Si Lilia nerent, & non bellarent: Si Leones sterterent, & rugirent minus: Si Aquilis præcisi essent ungues & rostra, posset emergere Pax, & mergi Mars. Vos actores tantæ scenæ estis, nos spectatores. Ea vos mente induat Deus, quæ Christiani Orbis saluti tandem studeat. Vale. Amstel. 16 Iul. 1646.

493. CON-

Digitized by Google

493.

CONSTANTINO HUGENIO.

DUm in castris inter armatos vivis, ego inter inermes Musas tero canicularium dierum otia. Historia Brasiliana sub prœlo est, & cum typographorum lentis operis luctatur. Vobis quæritur belli materies, quæ magna passim patet. mihi materies scribendi de Barbaris & Antropophagis. Vobis trajicienda non sine discrimine flumina hostilibus copiis incessa: mihi Oceanus, sed absque discrimine. Antverpia mea nolet ingloria dedi, nec se incruenta victoria vinci sinet. Stat illa intra omnium vota & spes, sed & intra fortunæ & casuum aut potius Fati arbitria, quæ an nobis indulgere cupient istam Helenam & Europæ ocellum in ambiguo est. Fui ante biduum Alcmariæ apud Tessselam. pingit & Parnassos portatiles condit sagax mulier. illic vertices, latebras & secessus fabricat, unum Tibi, alterum mihi in monte fecit. Illam hic exspectamus, ut Muydam abeat cum cognato, comite perpetuo, quem, quoties jocari lubet, non Draconem, sed custodem aurei velleris vocare soleo, ne illud Iason aliquis aut Argonauta Amstelodamensis auferat. Vellem te prunis Muydensibus nobiscum vesci posse. Sed vicinior es istorum prunorum & glandium messi, quibus urbes & castella subruuntur & oppugnantur. Faxit Deus, ne istius ilicis te fructus feriat. Est enim ex illarum nucum

Digitized by Google

cum numero, quarum unica prodeſt, nocet altera, tertia mors eſt. Filium quæſo meum in oculis habe, & ut obſequioſus ſit in dominum ſuum mone, & periculorum æſtimator ſerius. optimæ eſt indolis, & favore tuo, etiam ob me, dignus. Vale, Hugeni præſtantiſſime. Salutant Te nobiliſſimus Hooſdius & Hooſdia. Amſtel. 2 Aug. 1646.

494.

LAURENTIO BROMANI.

Amplissime vir,

Stetiſti promiſſis, quibus te ultro ſuperiore æſtate obſtrinxeras. Iam mearum eſt partium non fallere fidem. Mitto ergò Poëmatum meorum libellos, in quibus oſtendes uberem inſaniæ non omnino inſanæ materiem. Omnis argumenti commenta habes, ſeria, jocoſa, ſacra, profana, bella, amores, funera. Eſt ubi invictiſſimi tui Regis laudes leges, ubi Oxenſterniorum, & patris & fratrum memini, etiam Appelbomii amantis. Cuncta hæc & plura mereris. adeò mihi gratum acceptumque fuit τετράγωνον [*quadratum*] illud munus ſcatens viventium myriadibus, quorum parens creditur eſſe Sol. Ego iſtos veſtros caſeos præfero Leodienſibus: vincunt acrimoniâ, uti gens veſtra acerrima eſt armis, ita & caſeis. duplex ergo laus veſtra: altera Marti ſacra, altera dentibus. una naturæ beneficio, veſtra virtutis & fortitudinis. Tuus quem miſiſti potuiſſet mihi ſuffeciſſe in

Digitized by Google

biennium, sed quia pluſculum habebat à putredine, coactus fui amicis impartiri, ut jam deſierint esse istæ deliciæ meæ & voluptates. ubi æquior vos Pales respexerit, audebo mihi polliceri beneficam & munificam. Vale. Amstel. 20 Septemb. 1646.

495.

JORDANO RAMPERS.

CUm nuperrime Neomagi essem, valde me affecit urbis vestræ nunquam antehac mihi visæ conspectus. Venerabilem illam faciunt antiquitas, bellorum fama & utriusque testes rudera, minæque murorum ingentes. Ego tibi gratias debeo, qui dux viæ fuisti & monstravisti ignota, & rarioris spectaculi. Etiam velim meis verbis salutem dicas clarissimo Smitthio, viro non minus ob humanitatem colendo, quam ipsa virtus humanitasque. Tunc in mœniorum vestrorum fastigia me perduxisti, ubi speculam à Senatu destinari ajebas. Quæ cum non possit non esse amœnissima, libuit in absentem versibus furere, cum sciam hoc in votis te habere & flagitare serio. Accipe varii carminis Epigrammata, quæ si placeant, amicis impartire: sin minus, trade Vahali, ut vel legant Najades, vel natantes intercipiat hostis. Si in Najades incident, ero poëta amphibius notus terrâ & aquis. Si in hostem; leget, quam plus faverim, quam ipsis & merito. Vale. Amstelod. 20 Nov. 1646.

496. JOA-

Digitized by Google

496.

JOACHIMO VICOFORTIO.

Obsiſſime Vicoforti,

Noli ægre ferre ſilentium. Eſſem loquax ſatis, ſi Te digna haberem quæ ſcriberem. Loquendum mihi indies de Angelis cum Metaphyſicis, de virtute cum Ethicis. Cum Angelos cogito, aulæ & aulicorum omnium obliviſcor. Illi liberrime agunt, hi ab hominum nutu & gratia toti dependent. Illi carnem & oſſa non habent, habent aulici mecum. Illi nec uxoribus quidquam debent, nec fruges comedunt, nec libant munera Bacchi: hi iſtis adminiculis ad honeſtam voluptatem egent. Etiam virtutis conſideratio docentem me occupat, quæ quamvis ab aulis non exulat, tamen poſt Regum & Principum commoda ſtat. Satius putant fractum illabi Orbem, quam non poſſideri duos. Vocabulum Pacis dudum delicias fecit auribus, ſed rem deſidero. Quamdiu ab armis non impetratur ceſſatio, bellum in ſinu geritur: Non à ratione controverſiæ Europæ ſuſpenduntur, ſed à fortunæ ludibriis modo huic, modo illi faventis. Illud gratum fuit ex Monaſterienſibus litteris ad me ſcriptis intellexiſſe: pro explorato haberi Gallos una nobiſcum non ſimulate, ut plerisque in Hollandia viſum eſt, ſed ſinceris & communibus votis pacem poſcere, cujus ſententiæ meæ rationes in proximis litteris meis facile deprehendes. Legi illa quæ

Digitized by Google

ad Vogelarium ſcripſiſti de rebus publicis: de Luſitanis, Hiſpanienſium Legatorum querelis ſuper mora noſtrorum, de ſtatu Braſiliæ, Belgicæ, de nuptiis Brandeburgicis. quædam placent; quædam diſplicent. Ego nuptiis D. Gravii interfui, ſed accubui velut viduatus compare turtur. viduis ad faſtidium gravibus oppoſui gravitatem meam Zenoniam, & tangere illas detrectavi, quæ tangi à philoſophis nolunt. Non ſum ex Pythagoreis, qui à carnibus abhorrebant, ſed Ariſtippi ſecta. Quod malim credere Te, quam viduis iſtis, quibus grande ſupercilium, probare. de his tecum jocari amem, quam meditari verba apud matres Gracchorum. Vale, amiciſſime, & D. Zulechemum, Braſettum, aliosque ſaluta. Amſtelod. 25 Novemb. 1645.

497.

CONSTANTINO HUGENIO.

Nobiliſſime vir,

Non poſſum in publico Domus Auriacæ gaudio, poſt aliorum applauſus & gratulationes ſilere, licet ſerius forte loquar & poſt feſtum. Acceperam Haga ab amicis nuptias protractas iri in Sacros Natales. Excuſavi moram epigrammate ad Principem Brandenburgicum, cui ſi Tu quoque faciles voces commodare velis, feceris mihi rem gratiſſimam, & quæ deceat pectus iſtud tuum generoſo honeſto percoctum. In carmine non jam paginam facit Venus

Digitized by Google

nus Britannica, sed Vandalica: non Tamesis, non Britannus; sed Viadrus, Vistula, Cassubius, aliaque istarum terrarum ad mare Balthicum nomina. Polypi fumus, cui scopulo postremum adhæresimus, ejus colorem imbibimus. Hoofdius cum febricula diu luctatus convaluit. Tessela præter sacra nihil loquitur vel scribit. Me editio Historiæ Brasilianæ occupat, quæ jam carceres mordet. Vale. Amstel. 14 Decemb. 1646.

498.

BERNARDO PANDELARIO.

Otiosissime vir,

Petis à me lugubre quiddam in obitum præstantissimi viri I. Beverovicii, quem à mortis condicione vindicare non potuerunt, quæ pro salute & valetudine ipsa, non sine genio, lætior valensque scripsit. Nempe ulciscitur se mors, quam Medicus avertere ab ægris mortalibus conatus fuit scriptis & pharmacis. Quia parentare ipsi pius instituisti, accipe & vocem meam & singultientem nœniam, quam cum aliorum lamentis, si ita visum, confundes. Vivum colui & dilexi: nec mortuo deesse cupio, iis versiculis, qui non virtutum ejus digni præcones, sed affectus nostri indices erunt, saltem apud eos, qui laudis posthumæ minus egere defunctum, sed tot virtutibus & honestæ famæ immortuum decessisse tecum & mecum credunt. Vale. 13 Mart. 1647.

Digitized by Google

LECTORI.

Epistolæ sequentes serius ad manum venerunt, dignæ tamen ut superioribus, licet extra temporis ordinem, adjungantur.

499.
SIMONI EPISCOPIO.

NÆ quam vos estis opum vestrarum prodigi, qui ex reliquiis Danaum atque immitis Achillei tam luculentam dosin mihi reservastis, idque ob hoc, quòd ad aliquot septimanas operam dentium vobis fideliter locaverim, licet honestiorem causam vos prætexatis. Ego, tuum nec non aliorum fratrum in me propensissimum affectum, necnon illud affectus liberale testimonium animitus exosculor, illa verò de laboribus meis & fideli vobis navata opera judicia verecundè amolior. Iam mearum erit partium aliis officiis vobis litare, quod si thure non possum farre fiet aut salsa mola, quæ pauperum esse solent donaria. nunc gratias vobis agam tantum, ubi occasio se dederit, referam. De turbis quas hic dederunt sine veste heroës jam inaudivisti. Nostri ad primum hunc insultum animum despondere videntur. Sed culpa est non populi, sed eorum qui præire debebant. Seniores animalia sunt meticulosissima. Fortè cor amplum habent. Præcipuè iste vir pili, ut cum Hebræis loquar. D. Borrius nisi medicinâ illi occur-

Digitized by Google

occurratur propediem lapis fiet. Totus atrabilarius est. Civibus nostris & Remonstrantibus animi gliscunt magis, & in adversam partem excandescunt. Sed vix consilio illos juvare audent, qui agmen ducere debebant. Hodie turmatim Leyderdorpium confluunt; sed isti bono seni ædium direptionem quoque minantur, qui ædes non habent. Omnino necessarium arbitror, ut D. Dwinglo & D. Corvinus Epistola ad Ecclesiam missa animos nostrorum erigant. Canonas Synodicos expectamus. D. Vorstio metuo. Tibi minimè. Tantum profitendi jure excides. Octavus Majane mihi quoque fatalis sit vereor. Iustificationem istam cujus mentionem injicis jam concipere aggressus est D. Grevinchovius. Verum propter brachii morbum & symptoma in me provinciam istam transfert. Hisce meas finio & te cum aliis fratribus salvere jubeo. Raptim, Lugd. Bat. 28 April. 1619.

Nostri animos recolligere velle videntur in diem Solis proximum, & in urbe de habenda concione cogitant.

500.

CONSTANTINO HUGENIO,

τὸ ξύλον τορνεύοντι, [*lignum tornanti,*]

C. BARLÆUS S. P. D.

Epistola Iocosa.

NOn jam te Equitem Britannum, Constantine Hugeni, non summi Principis Secretarium, non Cæsarei Iuris consultum, non Pieri-

Digitized by Google

dum alumnum compello. Nobilitatis, doctrinæ, magnanimitatis, omnisque præterea heroicæ virtutis appellatione minores, qui summa ista fastidire cœpisti. Tot apud me dignitatibus excidisti, tot amisisti titulos, tot laudum & honorum nomina detrivit perlatum hesterno die de te studiisque tuis nuncium. Itane manus illas profanare audes, quibus Principum responsa expedis? profanare oculos Barlææ tuæ illices? profanare genua, quæ regibus flexisti, pedes, quibus tot aulas conscendisti? digitos nobilioris & perennantis calami motores? membra omnia, ad splendorem Gratiarumque & Musarum lepores ac delitias comparata? Quæ hæc rerum nova facies, quæ stupenda metamorphosis? Non ita me versus Lycaon, non lapidescens Niobe, non latrans Hecuba, non virescens Daphne afficit, uti Hugenius τὰ ξύλα τορνεύων. [*ligna tornans.*] In olores, serpentes, flumina, pisces, montes ipsos mutatos homines legi. Iureconsultum in operarium, Equitem in sedentarium, Secretarium in opificem, Nobilem in mechanicum, Poëtam & præstantissimorum carminum fabrum, in fabrum lignarium, in tornionem vel toreutam (hoc artis proprium nomen est) mutatum nunquam legi, O tempora, ô mores. Quam verum illud Satyrici:

Si fortuna volet, fies de Consule Rhetor.

En, cum fortuna volet, factus de vate toreuta es. Nisi non tam fortunæ hoc ipsum, quam rationi adscriptum voles. Studio enim mihi videris

Digitized by Google

deris aut illustre vitæ genus cum vulgari hoc aut ignobili mutasse; aut maxime disparata vivendi genera, ut mirabilior sis, in te consociasse. Ergo, cum vis, ad aulæ te mores curasque componis: cum vis, turbam Remi sequeris: cum vis, quantivis es precii; cum vis, nullius; jam nobilium ordini, jam plebejo insertus: jam otii, jam laborum amans: jam honorabilis, jam mercenario similis. Inopinatum erat Iudæis Saulum inter Prophetas furere, mihi inopinatum magis, Hugenium asciam, scalprum & dolabram tractare. Stratonicus citharædus regi Ptolomæo aliena à regno tractanti respondit: alia res sceptrum, alia plectrum: quam ego verius dixerim tibi, alia, ô Constantine, res plectrum, alia scalprum & tornus. Etiam in te quadrat proverbum illud οὐδὲν πρὸς ἔπος [*nihil ad versum.*] Dixissem pene & illud in te quadrare οὐδὲν πρὸς τὴν χορδὴν, [*nihil ad chordam,*] nisi expensis artis tuæ utensilibilibus comperissem, circa chordam te quam maximè versari, & quidem, quod in vitio positum est, eandem. De Silenis Alcibiadis audivisti. Imagunculæ erant, quæ clausæ ridiculam tibicinis speciem exhibebant, apertæ numen aliquod ostendebant, ut artem scalptoris gratiorem jocosus faceret error. Tu quoque domi clausus, & in ædium tuarum fastigio delitescens imaginem tuis exhibes restiarii & vascularii. Sed dum apertis foribus populo te Principique tuo ostendis, gratior illustriorque exis. Sed quam miror istam partim

Digitized by Google

restiariam, partim lignariam artem placuisse homini ad bonum publicum nato & educato. Si ærarius faber æs Corinthiacum pulsares, non eruditionis solum tuæ virtutisque, sed & tam claræ & sonoræ artis strepitu vicos compitaque impleres. Si architectonicam selegisses, minas alienam à politicæ studiis elegisses, cum hanc architectonicam metaphorica appellatione indigetet Aristoteles in Ethicis ad Nicomachum*. Si Cyclopicam, scutum Principi tuo fabricare posses, quale Æneæ fecit Vulcanus, bellorum nostrorum & tot triumphorum imaginibus cœlatum. Si figulus esses, pro te in promptu foret allegare reges, Agathoclem patrem & filium. Iam vero quo nomine hoc genus artificii laudem nescio. Laconem quendam, cum Lampen Æginetam laudari audivisset, quod prædives esset & multorum navigiorum dominus, respondisse ferunt: Non moror felicitatem ex funibus pendentem. Nec ego tuam istam artem à funibus supra & infra pendentem. Quid? quod nullam tibi ac nomini tuo dissimilem magis noverim. Non stas artifex, sed sedes; non constas tibi, Constantine, sed in perpetuo motu, Ixionis instar, cœlum inter terrasque, manus, brachia, pedes moves & libras. Verum ne & hic quod regerant Scepticis deesse putes, dicam ea, quæ pro tuâ arte adduci ab illis possent. Illorum hoc foret pronunciatum probabile: non minus laudabiles quam vituperabiles esse toreutas, vel ob hoc: quod res scibilis credatur, mutare

* Lib. 1, cap. 2.

Digitized by Google

tare quadrata rotundis, omnes autem homines naturâ scire desiderent: vel ob hoc, quod generosiores animæ motu, uti illi, gaudeant: vel ob hoc, quod ipsam hominis animam Cicero ἐνδελέχειαν, sive perpetuam motionem definiat. Vel ob hoc, ut cum Horatio moneant, male tornatos incudi reddere versus: vel ob hoc, ut eruditissimis Martialis epigrammatis de phiala subtilissima Pauli & Rufi celebrentur; vel quod hominis doctrina, moribusque imbuendi methodum exhibeant. Vti enim rude lignum securi primum resecant, mox dolabra levigant, denique rotando subtilissimis gyris perficiunt & efformant: ita hominem resectis barbariæ ac vitiorum nodis, sensim magis magisque accuratiore disciplina, expoliendum docent: vel ob hoc, quod equitibus analogos motus edant, dum ligno suo suppedaneo artificiose inequitant, & minus obsequentem illum equum, non calcaribus, sed iteratis pressionibus fodiant. Vel ob hoc denique (ne quid dicam ἀπρεπὲς διονυσον) [*non ad Bacchum*] quia crateres scyphosque formant, quibus Dii hominesque πίνουσι ἄμβροτα οἶνον. [*bibunt fulgidum vinum.*] Vale, Hugeni clarissime, & hæc soli tibi scripta puta. Quin si ita visum, lecta inter nos pereant. D. Brosterhusio hanc ingenii mei lasciviam imputa. Is enim ad illa tua sacra admissus, vastum illud tuum & omnis disciplinæ artisque capax ingenium in occulto latere passus non fuit. Vale & uxori tuæ dilectissimæ à me salutem. Quid puer Ascanius superatne ac vescitur aura Ætherea?

501. E I-

Digitized by Google

501.

EIDEM.

Obsequar imperiis. En jam tibi seria mitto,
Verbaque, purpureo quæ placuere patri.
Inspice, cognosces animi commenta serени,
Et mixtos aliqua simplicitate jocos.
Lusibus, Hugeni, me progenuere parentes,
Lusibus & risu te genuere tui.
Lusibus aula vacat, vacat omnis lusibus ordo,
Ludit anus, conjunx, virgo, puella, senex.
Omnia cum ludant, cum tota Batavia plaudat,
Unus ob amissas plorat Iberus opes:
Obsecro, ne noceant uni sua gaudia vati:
Cecropidæ flenti præfero Democritum.

Mitto, quæ ad Illustrissimum Molinum scripsi, quæque rescripsit ille, additis etiam versiculis Bonifacii, & quas reposui Elegiis. Miserat ante hac idem Senator ad me Satyram eruditam, cui titulus Hieromastix, authore Nobili Veneto, quâ egregiâ libertate perstringit Clerum Romanum. Vellem te legisse. Aliorum versus, quos adjunxi, parum pensi habent miserum scriptum Pseudole. Vale præstantissime Hugeni, & Barlæum ama, qui lectis tuis litteris ingeniosissimis se tecum in gratiam non rediisse, supra modum gaudet. Occurrit illud Hortensii, qui gloriari solebat, quod nunquam cum sorore in gratiam rediisset, utpote quam nunquam offendisset. Vtinam Heroïcam illam tuam invectivam viderem, vel capitis mei periculo omnes

ictus

Digitized by Google

ictus exciperem. Pythagoreorum effato me solarer,

ὅς κε πάθοι τά κ' ἔρεξε, δίκη νήδεια γένοιτο.

[*Quæ fecit patiatur, fiat vindicta divina.*]

Zoroastres, Apolloni Thyanæe, Medea, Circe amissa restituite. Tuque triceps Hecate & tria virginis ora Dianæ. Vix dixerim, quam me affecerit recens illud nuncium de rapto aureo vellere. Portantur Iberi Regis opes pelago, & tantis dux Heinius aulis. Iam Poëmation instituti hujus scribere argumenti. Iterum vale, nec posthac quicquam à me expecta, præterquam seria, ad quorum lectionem ipse surgat è curuli sella Cato, & insulam componat sacerdos.

502.

PETRO C. HOOFT.

Vir amplissime,

Dum amicos circumspicio, quibus plurimum me debere agnosco, inter primos occurris tu, cujus prolixam nuper humanitatem & benignitatem expertus fui, cum rancidos aliquot versiculos tanto precio redimeres. Ex animo loquor, non scripseram illos lucelli alicujus spe, sed ut magno isti viro, quem fatorum jam adversa vis exercet, gratificarer, & egregiis tuis virtutibus meum quoque testimonium commodando, tam celebrem amicum lucrarer. Ideoque puduit pro munere gratias agere, ne venales domi Musas alere viderer, & litterariam nundinationem approbasse. Nec tacendum quoque

Digitized by Google

quoque mihi ſemper putavi, ne inſigni ingratitudine Deorum dona ſpreviſſe, crederer. Silui itaque, donec argumentum nactus eſſem referendi gratias, non quæ tantis beneficiis reſponderent, ſed quibus ingenuè teſtarer, non niſi à chartulis, verſibus, pedibus & metris poëticis me eſſe inſtructum, nec eſſe referendo, niſi iſte fortè paucorum foliorum apparatus placere poſſit. Mitto exemplar Hymni, quem in Chriſtum ſcripſi ad Chriſtianiſſimum Regem, non ut poëticæ artis documentum aliquod ſeculo darem, ſed ut pietatis me ſtudio hic & alibi probarem. Qui Principum ſummorum laudes antehac carmine tentaveram exequi, idem me officium Servatori noſtro, & æternæ ſalutis Principi debere putavi. Conſecrant Apollini ſuo Hymnos poëtæ veteres tanquam carminis & facultatis iſtius authori. Quid ni & nos gratis præconiis in Redemptorem noſtrum reflectemur, quem omnis boni non fictum, ſed verum largitorem agnoſcimus & prædicamus. Vbi remiſſiore fueris animo, horulam verſiculis hiſce impende, afficient fortè quædam legentem, ſi non doctè, ſaltem piè dicta. Videbis illic minus me Theologum eſſe, ubi magis Poëta ſum; illic minus Poëtam, ubi magis Theologus ſum. Vale Vir præſtantiſſime, & me tuum cenſe, ſicut fundum poſſis in alieno loco, nunquam aut rarò viſum. Lugd. Bat. 8 Id. Ian. 1629.

503. PE-

Digitized by Google

503.

PETRO CUNÆO.

Vir doctissime & celeberrime,

Nisi nauta iste tuus, homo supra modum officiosus, literas ἀνάπαλιν [*vice versâ*] exegisset, distulissem responsum ad dies paucos. Cras enim mane primam habebo lectionem hora nona. Orationes Inaugurales habitæ sunt dictis diebus, præsentibus Coss. Scabinis & Senatoribus omnibus, uno excepto, qui avem Iunoniam nomine refert. Aderant etiam Pastores Ecclesiarum aliquot, quod genus hominum minimè expectaveram affuturum. Omnia per Dei gratiam ex voto successere. Physicam prælegam publicè, initium facturus à libris Aristotelis Physicæ auscultationis. Verùm his præmittam lectiones aliquot de Veterum Philosophorum celebrioribus sectis Academica, Stoica, Epicurea, Peripatetica. Oportet salivam moveri mercatoribus, & studii istius amorem gratiore aliquo argumento in iis excitari. Cogimur togati docere, quem in finem triginta nos florenis annuis donavere Coss. more Leydensi. Locum quem designas in lib. de rep. Hebræorum postea consulam. De tua περὶ προεδρείας [*de præsidentiâ*] sententia non dubitant boni. Erat nasutulorum ista observatio ad titulum. Orationem à me habitam prælo commisi. Etiam D. Vossius suam. Videbis utramque ubi prælum effugerint. Carmen hoc, post habitam.

Digitized by Google

habitam Orationem Magistratui distribui curavimus. Nec enim vetus meum βρεκέκεκεξ [*ranarum carmen*] dedisse possum. Vbi à lectionibus respirare dabitur, & mea feliciter pepererit, advolabo. Desidero enim tibi aliisque amicis loqui. Exemplaria hæc velim per Iohannem tuum ad eos, quibus inscripsi deferri. Vale Vir clarissime & cognate dilectissime. Gratulor tibi natam filiolam. Ea ut in subsidium & solatium parentum adolescat Deum rogo. Meæ propinquitas partus adest, ut Amphitruo apud Plautum loquitur. Necdum tamen peperit. Vale & uxorem puerperam, ac libros saluta. Raptim. 12 Ian. 1632.

504.

PETRO C. HOOFT.

Magnifice vir,

Mitto, quam petieras à clarissimo Heynsio, motuum Belgicorum historiam, sed ἀκέφαλον [*sine capite*] illam & ἄνευ προοιμίου. [*sine præfatione.*] Talem enim se à nobilissimo Mylio accepisse scribit, cui ab Illustrissimo Molino Senatore Veneto transmissa fuit. Vbi, quæ desiderantur, acceperit D. Heynsius à N. Mylio, hic à Molino, compos eorum fies. Scriptor minimè contemnendus est. Longis tamen & infinitis parasangis à Tacito veteribusque relinquitur, ut qui his ipsum comparare sustinent, minus mihi videantur observasse, quid in Tacito aliisque stupendum sit. Tu illo fruere, & si

Digitized by Google

si quid reperis notatu dignum, in narrationes tuas transfer, & Belgis tuis imperti. Multa vera habet, plurima à partium studio profecta. dictio sibi dissimulis interdum mascula & Romana, interdum plebeia & à Belgicismis non immunis. modo concisa, modo laxa; modo nervosa, modo elumbis. Cujus causam in diversitatem autorum rejicio, ex quibus hæc ipsa decerpsit. Quod & Thuano accidit, qui ut laboris compendium faceret, dum ex variorum ad ipsum missis chartis libellisque opus contexit, retentis autorum verbis, historiam nobis dedit non ejusdem genii & linguæ. A Domino Zulechemi non ita pridem literas accepi, quibus hæc in fine subscribit: Præstantissimo Hoofdio tantum nunc salutem dici cupio, scripturus propediem, & moniturus prudentissimum autorem de nonnullis, quæ illustrandæ historiæ, quam feliciter pertexit, apprimè, ni fallor, conducere judicabit. Vides quæ quantaque ab heroë nostro expectare debeas. Princeps noster cœptam Bredæ obsidionem solvit, voti sui compos, nec enim alio consilio urbem istam tentavit, nisi ut hostem Trajecto ad Mosam averteret, quem simulac cum toto exercitu obsessam urbem deseruisse, & Brabantiæ interiora Bredamque petere ex literis Principis Buillonii intellexisset, ilico exercitum Breda abduxit. Glorioſissimam crede hanc Principis abitionem, non ignominiosam, uti imperitum vulgus censet. Hæc Haga ad D. Vicofortium

Digitized by Google

ſcribit Kinſchotius. Scripſit eadem Dominus Zulechemi ad ſuos è caſtris. Vale Vir ſumme & officioſiſſime, uxoremque humaniſſimam filiamque modeſtiſſimam, & Iulum tuum familiæ ſpem meis verbis ſaluta. Quod ſi poſtremus hic officii hujus mei nondum per ætatem ſit capax, oſculo verba mea redime. Amſtelod. 12 Sept. 1634.

505.

THEODORO SCHREVELIO.

Doctiſſime vir, & amicorum integerrime, Carmen illud tuum Eucharisticum à genio & argumento placuit. Genius is ineſt carmini ut te ipſum ſuperaſſe videaris. Aliis ſenescentibus languet œſtrum & Apollinaris vis, tu ſexagenarius novos motus concipis, & Parnaſſum omnem in tua vota ſollicitas. Cum afflictam urbem caneres, vidi hic illic afflicti vatis veſtigia in ipſo poëmate. Iam, quia lætiora canis, meliore vena fluunt verſus, utpote à ſereniore animo profecti. Ita judico, Te nunquam melius ſcripſiſſe carmen. Dixi, etiam ab argumento mihi placuiſſe, nam gratulor urbi veſtræ, quam benigniore jam vultu adſpectat clementiſſimus Deus, poſt tot civium funera, rogos, ſuſpiria. Reſpondiſſem tibi citius, ſed volui una mittere Orationem meam de Cœlo, ne putes me à veteri amœnitate prorſus exaruiſſe. Alia voce Sapientiam tractat Philoſophus, alia Orator. Illius dictio horridior eſt, hujus blandior, ille

Digitized by Google

ille artem quam callet, ubique profitetur. Hic dum disputar, ipsam disputandi artem dissimulat. Inscripsi exemplar D. Bacchæro, D. Bodechero, & Boxbornio Professoribus. Quibus illud, cuique suum, tradi vel per famulam mitti velim. Vale amicissime ac conjugem filiasque, etiam filium saluta. Amstelod. 9 Mart. 1636.

Digitized by Google

CASPARIS BARLÆI EPISTOLÆ DEDICATORIÆ, AC PRÆFATIONES.

I.

Præfatio in librum, cui titulus BOGERMANNVS ΕΛΕΓΧΟΜΕΝΟΣ.

Nobilissimo & magnifico viro
OTTONI à SEVENDER
oppidi Brilensium & agri Vornensis Prætori,
nec non
Amplissimis, Prudentissimis, Consultissimisque viris,
IOHANNI HERTOCHVELDIO,
NICOLAO ERCKENBOUTIO,
ejusdem civitatis Consulibus, aliisque ibidem ordinis Senatorii viris
CASPAR BARLÆVS S. P.

QVanquam ea sit Illustrium Ordinum Hollandiæ ac Westfrisiæ, & inter illos vestra quoque Pietas Viri amplissimi, ut neque benevolorum laudibus illi quicquam accedere, neque malevolorum obtrectationibus quicquam decedere possit; tamen, ne aut ingratum

Digitized by Google

tum hoc noſtrum audiat ſeculum, in quo ſuum innocentiæ deſuerit patrocinium, aut ſpreta omnino calumnia ab ipſa animum ſumat impunitate, tempeſtive, & prudenter illam ab improbiſſimis quorundam calumniis, & nupera Doctoris Franckerani epiſtola vindicavit, honoris etiam veſtri aſſertor, H. Grotius. Qui vir cum honeſtiſſimis, & laudatis ab omni ævo rationibus patriam ſuam ſibi, ſe verò patriæ devincire ſtatuiſſet, poſt aſſertam illi Maris navigandi Libertatem, in qua Reip. hujus noſtræ & ſubditorum poſitæ ſunt fortunæ: poſt erutam ex vetuſtiſſimis ſuperiorum temporum monumentis Ariſtocratici Batavorum imperii Antiquitatem; hoc unum adhuc ſe illi debere putavit, ut ab ea virtute, quâ maximè ad Deum acceditur, Pietate dico & Religione, Proceres ejus commendaret, &, uti in aliis, ita hîc quoque animi ſui, ingenii conſiliique lumen Patriæ oſtenderet. quò illi, qui longius poſiti ſunt, aut poſt venturi ſunt, cognoſcant, hæc regna non tam calliditate & robore, quam ſyncero Dei cultu adverſus hoſtium ſuorum rabiem & dolos in hunc diem ſtetiſſe; qui verò domeſtici ſunt, reverenter de illis ſentire diſcant, quorum actiones ad Pietatis normam exigi poſſe compertiſſimum ſit. Cornelius Tacitus ſapientiæ & prudentiæ civilis certiſſimus dux, *Cæteris mortalium in eo ſtare conſilia*, ait, *quid ſibi conducere arbitrentur; principum diverſam eſſe ſortem, quibus præcipua rerum ad famam dirigenda. Cætera illis ſtatim adeſſe, unum inſatiabiliter*

Digitized by Google

pardidum, prosperam sui memoriam, cum contemptis famæ ipsæ quoque ipsarum contemnantur virtutes. Quod si ita est, civis optimi officium mihi expleviſſe videtur, qui adverſus iniquas hominum improborum ſugillationes, & ſurgentem undique calumniarum excetram principum famam majeſtatemque tuetur, qua læſa nec legibus ſua autoritas, nec Reip. ſua conſtare poteſt incolumitas. Accidit tamen, ut, quæ eſt hujus ſeculi ſive perverſitas, ſive ingratitudo, dum pronis animis hoc honoris ſui amuletum excipit Batavia, non defuerint tamen homines μεμψίμοιροι. [*queruli.*] & δυσμενεῖς, [*malevoli,*] qui pro officio maleficium reponerent, & ſuſceptam Ordinum Hollandiæ defenſionem cum ſua inſtitutam contumelia quererentur. Enimverò ſatius eſſe judicarunt pervicaciam improbitati ſuperaddere, quam culpam priorem vel ſilendo, vel modeſta confeſſione agnoſcendo, humanam in ſe ſortem deploraſſe. In hoc tamen mutatos videas, quod cum antehac, laxatis impudentiæ fibulis, calamos ſuos in Ordines diſtrinxerint, nunc eoſdem occultiore via, & per vere λοξὰς [*obliquos*] obtrectandi modos adoriantur, & qui antea ὑβρισταὶ [*apertè mali*] fuere, nunc πανοῦργοι [*ſubdole mali*] eſſe incipiant. Docebunt hoc nupera Bogermanni & Sladi ſcripta, quibus tantum abeſt ut Sibrandianæ iſtius calumniæ veniam deprecentur, ut potius, occultata tamen nonnihil irreverentia, eandem audacter reponant, &, ne inulti moriantur, certatim in illum irruant,

qui

Digitized by Google

qui contorta in patriæ corpus calumniarum tela Pietatis ſuæ ſcuto fortiſſime excepit. Nimirum hoc bonæ conſcientiæ ſignum interpretantur, nunquam cedere, aut Magiſtratuum dignitatem faſtigiumque pertimeſcere, modo habeant, quem obtendant, fidei & religionis prætextum. Non dicit Sladus Ordines Hollandiæ læſæ Pietatis reos eſſe, ſed *Rempublicam ipſorum, Civitates florentiſſimas, Academiam nobiliſſimam, apud exteros, tam amicos, quam inimicos, in læſæ pietatis non tantum ſuſpicionem, ſed etiam infamiam incidere, & quacunque patet Chriſtianus orbis male audire cœpiſſe* *. Quod certè mendacium ſuum ſpargendo, quibuſdam dubitandi, nonnullis, id quod pejus eſt, ſuſpicandi, perverſis vero, quique Principum magnorum infamia vel paſcuntur vel creſcunt, hoc ipſum, quod narrat, credendi anſam ſubminiſtrat. Non dicit Bogermannus Ordines Hollandiæ pati Eccleſias Belgicas perturbari & peſſundari, ſed modeſtiam ſimulans, *non libere iis*, ait, *penes quos eſt ejus rei authoritas de ſalutari eventu ſerio cogitare.* Traducuntur adhæc pertinaciter Nobiliſſimorum Curatorum facta: Academia Lugdunenſis manifeſtæ objicitur infamiæ: fideliſſimi Eccleſiarum Paſtores, legum patriarum & Religionis reformatæ tenaciſſimi, horum quoque hominum obtrectationibus opportuni ſunt, & ne improbitatis quicquam deſit, Eraſmus Roterodamus, naturæ illud miracu-

* *Vide Sladi Epiſtolam dedicat. præfixam diſceptationi poſteriori cum Conrado Vorſtio.*

Digitized by Google

lum, Amstelodamensi quoque pædagogo vapulat. Ad quæ certè omnia silere, illius esse puto, quem nec Reip. salus, nec veritatis cura, nec debita præclaris ingeniis laus, non ipsius denique eruditionis tangit æstimatio. De me ingenue fateor, quamvis ad diuturnas hasce contendentium Theologorum lites obsurduerim, & in tanta loquentium ac scribentium turba parum à me ad hanc rem conferri posse crediderim; tamen ad extremum indomita illa maledicendi optimis quibusque, & de Republ. Ecclesia, & re litteraria bene meritis, libidine, eo adductum fuisse, ut, si non ora illorum (quod sperari non potest) obturarem, saltem insanos istos impetus, & imperiosas voces aliquantum retunderem: idque asserta illorum innocentia, qui, Deo teste, nec hæresium ullarum sibi conscii sunt, nec hæreses in Ecclesias introducere satagunt, aut schisma ullum facere in animo habent. Si quibusdam hoc nostrum studium displiceat, equidem non mirabor. Rarum est, quorum vicia taxaveris, eorum gratiam emeruisse. Quod si verò paucis, iisque bonis placuerit, mihi gratulabor, nec facti pœnitebit. Hoc autem ut non sperem solum, sed & confidam, vestra facit, Viri amplissimi, singularis Prudentia & Æquitas, quæ dum inter hos Ecclesiæ tumultus, & procellas clavum Reipubl. moderantur, illam semper Helicen intuentur, ut & Magistratui suum in Ecclesia integrum sit jus, & inconsulta illa separandi ab orthodoxorum communione dis-

sen-

Digitized by Google

ſentientes temeritas compeſcatur. Etenim noſtis, nec poſſe Eccleſiis ſuam conſtare unitatem, nec Reipubl. ſuam proſperitatem, niſi ii, qui populo præſunt, etiam ipſos, ubi neceſſe erit, Eccleſiaſticos in ordinem redigant, & exortis de Fide quæſtionibus, nec ad ſuperſtitionem usque rigidi ſint nihil tolerando, nec ad veritatis usque contemptum languidi quidvis admittendo, ſed media inſiſtentes via eà parte Chriſtianos metiantur, qua revera ſunt, hoc eſt Fide, quæ quam pauciſſimis articulis abſolvatur, & ſeriis pietatis officiis. Nec fallit vos ratio. Si enim poſt conſtans Scripturæ ſuffragium, & perpetuam Eccleſiæ praxin, aliquid etiam ad veritatem momenti Gentilium quoque adfert conſenſus, Callimachum audite, regibus Philadelpho & Euergetæ cariſſimum. Is veluti præſagus hujus noſtri temporis, in quo inter Magiſtratum Politicum & Eccleſiaſticum diſtinguit imperioſa quorundam Theologia, in Hymno ſuo in Iovem ita eundem affatur:

σὺ δ' ἐξέλεο πολιάρχας
αὐτὸς, ὧν ὑπὸ χεῖρα γεωμόρος, ὧν ἴδρις αἰχμῆς,
ὧν ἐρέτης, ὧν πάντα. Τί δ' ἀ κρατέοντι ὑπ' ἰαχεῖ?
at tu quibus oppida parent
Eligis. his nauta, & miles, patiensque colonus,
Cuncta ſimul ſubſunt. Quid enim ſub Principe non eſt?

Ergo & ſacerdotes, & eorum ſacra, jura, munia. Et ſi de adhibenda in rebus hiſce moderatione oraculum depoſcitis, ab Homero hoc reſponſum habete: ἀμείνω δ' αἴσιμα πάντα. *Meliora*

Digitized by Google

omnia, quæ moderata sint. Quare, cum causam illam, quam præsenti libello tueor, vobis probari persuasissimum mihi sit, ea autem duobus istis capitibus ferè contineatur, commodum visum fuit, hanc nostram dissertatiunculam sub nominis vestri auspiciis publici juris facere, ut, quam aliorum fortasse vellicabit malignitas, vestri Consessus tueatur authoritas dignitasque. Vt æquis animis hanc excipiatis, vix scio an exposcere debeam, cum vix possitis aliter, qui & Barlæorum semper fuistis studiosissimi, & pro bonorum fama ac honore decertare honestum esse judicatis. Deus Opt. Max. ea, quæ ad Reip. vestræ felicitatem spectant, largiatur, & animum vobis det sicuti pacis amantem, ita schismatici quorundam spiritus osorem. E Musæo nostro, Lugd. Batavorum, nono Calend. Augusti anno millesimo sexcentesimo decimo quinto.

Digitized by Google

II.

In Ant. Herreræ descriptionem Indiæ Occidentalis.

Illustrissimis ac Potentissimis

D. D. ORDINIBVS

Generalibus fœderatarum Belgii Provinciarum,

nec non

Illustribus Potentibusque

D. D. ORDINIBVS

Hollandiæ & West-Frisiæ, Patribus Patriæ,

Dominis meis clementissimis.

QVartam vobis, illustrissimi ac potentissimi Domini, Orbis terrarum partem, non ea qua est amplitudine, sed modicis tabularum spatiis, ac succincta locorum singulorum descriptione coarctatam, summa cum veneratione offero; ut revocatum subinde à Reipubl. negotiis animum per earum regionum vastissimos tractus, quasi peregrinantes, circumferatis, quæ humanæ avaritiæ ac cupiditatis materiam altè defossam servant. Etenim multa sunt, quæ ad propiorem Americani Imperii investigationem ac hujus historiæ lectionem invitare vestras Dominationes queant. Nam præterquam quod nihil dignius sit principibus viris Universi cognitione, in quo honores gerunt, imperia ipsi exercent,

Digitized by Google

cent, opes cupiunt, bella instaurant, totum genus humanum tumultuatur; nihil verò indignius, quam eas terras ignorare, quibus imperare non minus utile quam gloriosum foret: illud insuper affirmo, non parum Reipublicæ Vestræ interesse, si Novi hujus orbis, quæque in eo sunt oppidorum, arcium, portuum, fluminum, populorum accuratam habeatis cognitionem. Etenim post res domi militiæque terra marique prosperè gestas, post exactos penè insulis Moluccanis Hispanos, post tentatas Septentrionis ac maris Tartarici vias, etiam de Novo hoc orbe adeundo tandem consilia cepistis. Vtique optima semper visa fuit bellandi ratio, si non in nostro tantummodo solo hostem operiremur, sed in suo quoque regno securum, Romanorum exemplo, adoriremur. Certè hac arte revocatum in Africam ex Italiâ Hannibalem constat. Norunt hoc Medicorum filii, qui affecto crure dextro ad revellendum valetudinis hostem, oppositum ex adverso prudenter secant. Sed minus feliciter illud fiet, nisi quo eundum, quo deducendæ nostratum coloniæ, quo commerciorum bono, qua securitate, probè cognitum habeatis. Laudat in Hannibale Livius, *quod omnia ei hostium, haud secus quam sua nota erant.* Quare *hostium exercitum & locorum situm, & naturam regionis* explorari vult. At cognosci hæc rectius non possunt, nisi ex Geographicâ locorum descriptione, quæ etiam ea, quæ non vidimus unquam, quasi præsentia oculis objicit, & Lectorem domi positum felici

jucun-

Digitized by Google

jucundoque animi remigio per rerum universitatem, & remotissima terrarum ac maris spatia circumducit. Hoc fine Antonium de Herrera Hispanum, accuratissimum Indiæ Occidentalis scriptorem, Latinitate donatum ad favoris Vestri aram suspendo. qui author Historiographii regii titulo insignis, & intima secretorum à supremo rerum Indicarum Senatu admissus, majori hanc historiam fide, quam gentis suæ bono, divulgasse credi potest. Illud verum est, neminem exactius ac enucleatius terminos ac fines provinciarum, earumque magnitudines: Oceani tractus, sinus, promontoria, insulas: fluminum cursus, flexus, ostia: lacuum & stagnorum amplitudinem & situm: tot urbium, propugnaculorum, oppidorum, vicorum, coloniarum, portuum, stationum posituram, tum inter se, tum respectu cæli: denique regionum singularum indolem, quid quæque ferat, quid ferre recuset, descripsisse. Quod si hinc aliqua ad Rempublicam Vestram redibit utilitas, si institutum Vestrum juvabit hæc nostra opera, susceptí hac in parte laboris neutiquam pœnitebit. Videbitis liquido, illustrissimi Domini, quam latè diffusa sit hostis vestri potentia, qui non contentus Europæ, Asiæ, ac Africæ parte, totum hunc Novum orbem sceptris suis adjecit. ex quo quantum ejus opes & in bello robur increverint, expertus est suo malo orbis Christianus, qui nusquam ferè non hujus armis oppugnatus, pluribus in locis Americano auro fasces (pro dolor) sub-

Digitized by Google

submisit. Non adfero hoc ad expectorandum animos Vestros, sed ut priscæ virtutis memores, constanti fortitudine, sub felicissimi Arausionensium Principis ductu, potentissimi hostis impetum retundatis. quo victo, illustrior tanto erit victoriæ laus, quanto cum valentiore hoste pugnavistis. Vt autem vincatis faxit patriæ sospitator Deus. At ubi vinci debeat & possit, hic, quem Vestris Dominationibus offero, Liber explicabit, quem ut benignis animis accipiatis etiam atque etiam rogo. Ita quæ Vobis, quæ Reipublicæ ac Ecclesiæ salutaria sunt, largiatur supremum Numen.

Vestris Dominationibus humillimè devotus
CASPARUS BARLÆUS M. D.

III.

In primam Poëmatum suorum Editionem.

Nobilissimo, amplissimo, doctissimoque viro,

D. CORNELIO VANDER MYLE,

Equiti, Domino in Myle, Dubbeldam, Bleskensgrave, Antonispolder, Alblas, &c.

CASPAR BARLÆUS S. P. D.

LUsus hosce poëticos, artis minime severæ effectum, Tibi offero, Nobilissime Myli. Nec enim aliter possum: cum jampridem proprietate quadam tuum esse cœperit, à Vatibus sollicitari. Videbam utique præstantissimos Batavix

Digitized by Google

taviæ poëtas, quorum nomina ſeculi invidiam ſupergreſſa ſunt, à nominis tui ſplendore & claritate famæ patrocinium jampridem petiiſſe, & renaſcentes cum patriæ libertate Muſas in clientelam tuam tranſiiſſe. Nec minus æquum videbatur, ut ſub cujus tutela, ac moderamine adoleſcens olim in his ſtudiis profeciſſem, fructum aliquem horum ſtudiorum ſuo jure repeteret. Quid, quod & hoc litterarum genere non leviter te affici compertum habeam, & ſparſim antehac edita à me Poëmatia applauſum tuum, & commendationem meruiſſe. Amant etiam eos, à quibus amantur, Apollinis myſtæ, & gratiam refert cultoribus ſuis gens iſta, ad laudem & gloriam nata. nec ante operæ precium ſe feciſſe arbitratur, quam operas ſuas viris principibus, & in illuſtri loco poſitis probaverit. Dicam quod res eſt. dum hoc ludo includor, nec viam, qua ad carmen itur, metuo calcare, ſenſi & me honeſta quadam ambitione titillari, & qui Theologiæ antehac præceptis imbutus minime ambitioſus eſſe debebam, neſcio quo fato, aliorum de me judiciis corruptus, erigi cœpi, & inglorium vulgus poſthabere. Fecit hæc res, ut qui amœnioribus Muſarum ſtudiis antehac valedixiſſem, & quo tempore aut ad populum, aut ad ſtudioſam Iuventutem publice locutus fui, non niſi iratus ad pangendum carmen acceſſi, tandem veluti poſtliminio cum neglectis Muſis in gratiam redierim. Etenim, dum temporum cala-

Digitized by Google

calamitate in otium invitus detrudor, ne inertiæ dulcedo animum operi assuetum frangeret, quicquid à severiori disciplina temporis subducere potui, his studiis impendi: & ut ægri animi murmura subinde reprimerem, liberum spiritum per poëtarum oblectamenta, easque meditationes præcipitavi, in quibus nihil fortunæ, nihil gratiæ, nihil odio debeo. Et quemadmodum amissa zona, & rebus acciſis, hoc unum supereſt miseris, ut cantu miseriam solentur: ita nobis, post prioris dignitatis insigne naufragium, hoc solum reliquum fuit, posse canere. A Manibus itaque Auriacis auspicatus, dein ad Panegyrin & laudes Henrici Arausiorum Principis progressus, mox in Magnæ Britanniæ Regis Inaugurationem diffusus, cum æquis animis hæc excipi viderem, alia subinde scripsi; didicique, poësin scabiem esse mentis, cum perpetuo pruritu conjunctam. Utut enim quam maxime avelli voluerim, & manum, quod ajunt, de tabula tollere, tamen modo amicorum victus precibus, modo naturæ inclinatione, ad insaniam pristinam relabor, & dum pluribus animi quadam facilitate obsequor, factus sum encomiastes ordinarius. Iamque herbæ parietariæ in morem ubique conspici cœpi, in funeribus, Academiarum solennitatibus, librorum frontibus, amicorum Albis, Principum inaugurationibus, etiam, ubi conjugis in gremium lætæ descenditur. Collectis tandem hinc illinc schediasmatis, comperi me brevissimo tem-

Digitized by Google

tempore libros carminum scripsisse, paucis exceptis, quæ crudam & incoctam juventutem sapiunt. Non digrediar late in Poëseos laudes, amplissime Myli, nec, ut hæc mea commendem, rem laudatissimam exaggerabo. Iam ante me didicisti, poëtas in Deorum numero esse, & Apollinem, Minervam, Musas novem Iovis epulis accumbere. Qui Orientem & Occidentem domuerunt Imperatores, qui Orbi universo jura dixerunt, qui Reges vinctos & captivos abduxerunt, minime indignum arbitrati sunt Cæsarea majestate, liberos sensus vinculis adstringere non necessariis, & velut captivam abducere orationem. Quam gravi carmine laudatus ille Germanicus cœli φαινόμενα [*apparentias*] exhibet. Quam lepidis trochaicis Florum ridet Adrianus. Quanta æmulatione de carminis principatu cum Lucano contendit Nero. Possem etiam in exemplum citare Mecænatem illum, ab Etruscis regibus oriundum, etiam Octavium ipsum, & post hunc Gallienum, Cæsares; qui à Reipub. negotiis ad carminis tranquillitatem, tanquam ad portum faciliorem, se receperunt: ut minus recte rationes subduxisse mihi videantur, qui dignissimas hasce honestissimasque artes, ab aula, à nobilitate, à purpura, ad Scholas tantum, & mediam, cirratamque turbam veluti relegant. Sed ut ad me redeam, quoties animum à cogitatione gravi & solitudine, quæ duæ sunt nutrices dolorum, abducere studeo, paratius nihil occurrit,

Digitized by Google

quam ut jucundiſſima Muſarum conſuetudine & commercio fruar. Qui à ſcorpiis icti ſunt, ab iiſdem remedium petunt. Ita qui litteris ſumus addicti, feſſam tetricis philoſophiæ ſtudiis mentem, iiſdem, ſed amœnioribus, ſed ſuaviоribus, recreamus. Milites dum in hybernis ac æſtivis agunt, nec vel prælio experiri, vel ſub pellibus excubare neceſſe habent: tamen iis luſibus relaxant animum, qui militiam ſapiunt. Aciem inſtruunt, haſtas vibrant, equos armati conſcendunt, conflictus ludicros populo exhibent, & ſic à belli muniis feriantur, ut per luſum eadem obeant. Horum exemplo ſapientiam à Lycæo & Stoa in Heliconem & Parnaſſum deduxi, & ſerias cogitationes in luſus & ingenii oblectamenta converti. Quid de iis judicaturum ſit præſens ſeculum, non moror. Commaſculavi frontem, & qualiacumque erunt judicia, ἐῤῥίφθω κύβος. [*jacta alea eſt.*] Scio equidem & plura me ſcripſiſſe ad amicos, & de amicis, à quibus vultum avertit favor publicus, quæ hic ſtudio omiſi, quia evitare temporum invidiam malui, quam poſtea deprecari. Quæ edidi, talia ſunt, ut omnium in ea oculi conjici poſſint, modo æquo ac recto oculo ea videant. Nam à malevolorum judiciis ne Pallas quidem me ægide ſua protegat. Ab Eroticis, quæ ſola ſummis vatibus laudem pepererunt, abſtinui. Iam enim in hac ætate, qua pleraque ſcripſi, non ipſa res ſolum, ſed & ipſum amoris nomen diſplicere cœpit. Eorum loco Elegias aliquot ſacras exhibeo.

Digitized by Google

hibeo. Illud ultro fateor, hic illic versus occurrere tenues, nec sani coloris, ut avenam & zizania in meliori fruge. Alia namque pueri, alia viri scripsimus: quædam læti, quædam afflicti: quædam sponte, quædam ex aliorum præscripto, & jussu. Et uti in fructibus alius præcocium, alius eorum, quos calor & matura æstas coxit, sapor est: ita & in hoc corpore quædam cura, quædam facilitas & negligentia pepèrit. Tibi, Nobilissime Domine, hoc quicquid est litterarii muneris do, dico, utinam virtutum tuarum tam perenne, quam mei affectus cultusque sincerum monumentum. Magnatum mensis etiam fugaces ac horarii fructus apponi solent. Quare, ne minuta hæc, sed fortasse oblectantia, despice. Pelides iste Homericus inter arma fides & citharam interposuit. Idem facito, & optimo interjungendi genere, inter seria, hæc ludicra legito. Vale Vir nobilissime ac doctissime, & me, quod facis, ama. Lugd. Batav. E Musæo nostro, ipsis Idib. Martii, anno à nato Salvatore 1628.

Digitized by Google

IV.

In Poëmatum ſuorum Editionem ſecundam.

Nobiliſſimo, ampliſſimo, doctiſſimoque viro

D. CORNELIO VANDER MYLE,

Equiti, Domino in Myle, Dubbeldam, Bleskensgrave, Antonis-polder, Alblas &c.

CASPAR BARLÆUS S. P. D.

PRodeunt jam ſecundum ſub nominis tui auſpiciis Poëmatum meorum libri, ſed luculenta acceſſione aucti, & prioribus caſtigatiores. Ex quo enim primum ea edidi, loquacem me valde fecerunt publica Patriæ commoda, & feliciſſimi rerum noſtrarum ſucceſſus. Poëtarum eſt, teſte Ariſtotele, imitari; nec poëtis aliud, quam concinna rerum quarumlibet imitatio. Dum ergo Batavi pugnamus, urbes ſubruimus, maria infeſtamus, claſſes diripimus, domi foriſque terribiles ſumus, adfui omnium imitator ſedulus, & numeris poëticis incluſi res cœlo ac terra, Oriente toto ac Occidente disjunctiſſimas. Iam ultra Atlanticum mare raptus, in Cubæ littoribus cum Argonautis noſtris ſteti, & anhelantes ſpe prædæ animos, mox pugnaces, inde rapaces dexteras, illam habendi famem, illam auri ſacerrimam ſitim, illud gloriæ in ducibus ſtudium, illos exultantis populi applauſus, qua potui, ſuis coloribus expreſſi.

Digitized by Google

preſſi. Et cum veriſſimum ſit, intellectum id omne fieri, quod cogitat, etiam ipſe naves conſcendere, per foros diſcurrere, operta recludere, rapere & convaſare obvia quæque mihi viſus fui. Nec enim ſuavius eſt amantibus ſuum ſomnium, quam Poëtis ſuum, & quas res parcius illos poſſidere vult ſcæva illa Dea, earum vel ſola cogitatione frui volupe eſt ipſis. Quam ob cauſam Socrates in Phædro poëtarum & amantium inſaniam inter præcipua bona collocavit, quod ſola mentis agitatione feliciſſimi ſint. Argonautarum laudibus defunctus, Veſaliam, velut nocturnus aliquis Diomedes, furtim ingreſſus ſui, & inter ſpem ac metum poſitus, hic, attonitis cuſtodibus, una ſtupui: illic inter laxantes clauſtra Sinones promovi operas: alibi cum cataphractis adventans nutantem urbis fortunam occupavi. Per ſalebras & dumeta noctu inceſſi, foſſas ſubii, perrupi ſepimenta, mœnia conſcendi, jam portas, jam forum, jam templa, jam urbem univerſam, jam caſtella Rheno ac Lippiæ impoſita, armis tenui. Omnia dum fingendo imitor, omnia factus ſum, miles, dux, victor, victus, jam ſpoliis inſignis Iberum, jam excuſſis Cæſareanorum ſcriniis Cappadocum rex. Succeſſit grande obſeſſæ ac victæ Sylvæducis argumentum, in quo eundem quoque habitum indui, cum tanti operis auctoribus. ita tamen, ut dum modo in obſidentium, modo in obſeſſorum me formas verto, nihil præterquam poëta fuerim. Eſtque hoc novum

Digitized by Google

ac proprium huic arti metamorphoseos genus, ut dum Peliden, Nestorem, Thelemachum, Penelopen, Æneam, Turnum exhibet μιμητὴς [*imitator*] vates, ubique tamen poëtæ characterem agnoscas, & inter mendaces vultus veram effigiem hominis cum ratione insanientis. Nam ut furientium certa signa sunt, non vultus, non color unus, audax oratio, præceps gradus, flagrantes oculi, corpus concitatum, ita & poëtarum eadem signa sunt. Nec potui profecto tot tantisque partis victoriis carminum esse parcus. Ideoque latius diffudi Principis nostri laudes, cujus magnanimitatem, fortitudinem, in adeundis periculis prudentiam, in bellis conficiendis velocitatem, præsens hæc nostra ætas suspicit, futura mirabitur. Etiam, ac si parum esset res domi gestas decantasse, in alio Orbe, quem in Critia à Platone describi quidam arbitrantur, inter Olindæ expugnatores, me quoque principibus Achivis permixtum agnosco, & dum tantarum rerum momenta & causas exequor, furore poëtico Martium incendo, & in media irruens tela, lituos, classica, tympana Apollineis cantibus intendo. Sequimur, quocunque abit, victorem populum, & qua præit fortiter agendo Auriacus noster, It juxta lateri vates, ne sine teste ac præcone res gerat posteritatis memoria dignissimas. Ita ad quodvis argumentum publicum, quod summi Numinis clementia obtulit, saliit mihi mamilla, & pruriit ista divinioris auræ particula, ut

Digitized by Google

ut quieſcere nequiverim, etiamſi voluerim quam maxime. Nempe hæc amabilis inſania me jam vexat, hæc Corydonem tuum cepit dementia. ut omnino ſufflamine mihi opus ſit, ne dum feror fervidius, langueſcam tandem, aut ridendus ilia ducam. Non ſemel voto me obſtrinxi, uti in poſterum ſilerem, & aliis illam lampada traderem. ſed redii iterum atque iterum ad ingenium, ut quod de Amore pronunciavit Horatius, ego de hoc ſtudio verius dixerim,

Quæ ſaga, quis me ſolvere Theſſalis
Magus venenis, quis poterit Deus,
Vix illigatum me triformi
Pegaſus expediet Chimæræ.

Subiit etiam aliquando animum meum rerum terrenarum faſtidium, & poëticam vim experiri libuit in dicendis Servatoris noſtri I. Chriſti laudibus, ne, à quo ſolo hauſimus hanc ipſam facultatem, ingrati ſilentio præteriiſſe credamur. Præſertim cum & Gentilium poëtarum, Homeri, Callimachi, Theocriti, Heſiodi ea fuerit in deos ſuos pietas, ut religionis ſuæ ἀκρωτήριον [*apicem*] eſſe putaverint, ἐκ Διὸς ἄρχεσθαι. [*à Jove principium ducere.*] Atque hinc factum, ut aliis atque aliis additamentis creverit poëmatum opus, uſque adeo, ut jam mole ſua laborare incipiat. Totum in tres partes diſtinxi, quarum prima Heroico carmine decurrit, ſecunda Elegias habet, tertia miſcellanei generis verſus. Pudor eſt, citharœdum circa eandem chordam oberrare. eſt & poëſi ſua

Digitized by Google

harmonia & μελοποιία, [*concinna modulatio,*] quæ non minus, quam Musica, & numerorum diversitatem & modulos discrepantes amat, ut ex dissonis vocibus symphoniam fabricet, & discordiam laudabili concordia componat. In vestibus placet varietas, placet in suppellectile, in libris, in cibo & potu, & nullibi non. Placet eadem poëtæ, ne aut epici carminis perpetua gravitate severitatem induat sibi molestam, aut elegiarum facilitate ac suavitate diffluat: aut Iamborum brevitate, veluti cohibito spiritu, concidat. Tibi vero Vir nobilissime doctissimeque, hæc ociosæ mentis commenta inscribo, quia nulli convenientius possum. Cum enim animum illum tuum contemplor, non aliis solummodo studiis, sed & huic, quod jam elegimus, impense deditum, non mihi visus fui ulli congruentius hoc munus dedicaturus, quam N. T. Vt nihil de præclaris tuis in Rempublicam & Academiam hanc meritis dicam, quæ tuo patrocinio tuta in illud excrevit fastigium, ut totius Europæ scholas literarum honore, studiorum fama ac doctissimorum virorum celebritate post se relinquat. Quin & æquum putavi, ut quem totum jampridem possedisti, ejus quoque literarios fructus in solidum porro possideres. Vale Vir magnifice clarissimeque, & posthac non à Rheni, sed Amstelæ ripa scaturigines poëticas expecta. Lugd. Batavor. prid. Cal. Maji, 1631.

V. In

Digitized by Google

V.

In Mediceam hoſpitem.

Ad nobiliſſimos, ampliſſimos, ſpectatiſſimos, prudentiſſimosque Reip. Amſtel.

CONSULES,

D. ANTONIVM OETGENS VAN WAVEREN, *Equitem, Dominum à Waveren, Bochtsholl, Rugewillis, &c.*

D. ALBERTVM CONRADI BVRGIVM, *ad Magnum Ruſſiæ Ducem Exlegatum.*

D. PETRVM HASSELAER, *Miluiæ Vrbicæ Tribunum.*

D. ABRAHAMVM BOOMIVM, *in Conſeſſu Deputatorum D. D. Ordinum Hollandiæ antehac Delegatum.*

Nobiliſſimi, ampliſſimi, ſpectatiſſimi, prudentiſſimique Conſules,

Quod in cœlis Deus eſt, in terris Princeps eſt. Ille nullius imago, quia à nullo. Hic Dei imago, quia ab illo. Deus paret nemini, quia inferior nemine. Princeps Deo, quia ſolo Deo inferior. Illius poteſtas terminum neſcit, quia divina eſt. Hujus, cum hominis ſit, termino modoque circumſcribitur. Ille legibus ſolutus, quia ſolus leges fert. Hic iis adſtrictus, quas à Deo & recta Ratione accipit. Numinis arbitrio & vi aguntur omnia, etiam Rex, Regina, Princeps.

Digitized by Google

At horum nutu non nisi imperio subditi. Deus, quem submisse colat, amet, veneretur, non habet, quia nulli debet. Princeps solum Deum; cui & se totum & Principatus sui debet decora. Assurgit Principi populus. Deo & Princeps & populus. Qui Deo debetur cultus à religione est, quæ animos creatori arctius alligat. Qui Regibus, qui Principibus, ab ea pietate est, quæ officiosa esse in illos, sed remissius, amat. Habet mundus eximia plurima, magnitudine sua, sublimitate, splendore stupenda. Fulget in cælo astrorum omnium Princeps Sol, & mortalium in se oculos & anni spem convertit. Fulget Luna & siderum illustris exercitus. Luce, motu, tacitisque influxibus admirabiles sunt & pene venerabiles. At Principe nihil grandius, nihil sublimius, nihil illustrius habet suppositus cœlo orbis. Non lucet sibi Sol, sed nobis. Movet se, ut hominum promoveat commoda. Nec vivit sibi Princeps, sed subditis. qua hic fulget luce, fulget & gaudet populus. Majestatem suam appellatione, usu suorum putat. Hinc in Deum & Principem, licet dispari affectu & studio, reflectimur amore, obsequio, reverentia, fide. In Deum, ut omnis boni & felicitatis humanæ fontem principiumque. In Principem, veluti tantorum bonorum Curatorem & administrum, adeoque à summo Numine secundum. Nec enim propius ad Deum acceditur, quam hominum tutela. Eminere regium est, sed magis prodesse & servare. Prima ipsorum virtus, patriæ, sociisque

Digitized by Google

que consulere, orbi quietem, seculo pacem dare. Harum rerum conscientia insidet alte mortalium animis, usque adeo, ut quoties augusto Principum vultu frui ipsis licet, numen aliquod se in terris adspectare putent, & ejus occursu tanquam ad fulgidioris astri jubar ortumque recreentur. Amant flagrantius adspicere eos, à quibus benigne adspiciuntur. Tradunt se totos illis, quibus non servitus civium, sed cura tradita est, qui Rempublicam non sibi solum, sed se quoque Reipublicæ devoveri volunt. Veneratione excipiunt Moderatores orbis, cujus partes sunt, & diffusos in Principem potentiæ divinæ rivulos attoniti admirantur & suspiciunt. Regem da, vel Reginam, quamvis vel Indis illa, vel Afris, vel Sabæis, vel Scythis imperet, sive magnanima fuerit Semiramis, sive bellicosa Thomyris, sive prudens & perita regnandi Tanaquil, sive pacis studiosa Placidia, excitabimur, commovebimur ad Imperatoriæ majestatis intuitum omnes, & reverentiæ ac gratulationis officia non invitis imperabit summæ potestatis veneratio. Non arcessam longe exempla. Venit pridem in urbem hanc vestram Augustissima Regina Maria de Medicis, familia, imperio, conjugio, liberorum sceptris thalamis illustris. Illi vos publico Reip. nomine, & privato insuper affectu assurrexistis. Cives jussi pariter ac injussi, tanquam ad novi sideris conspectum, gratulantes undique convolavere. Idem plebis studium, fervor, alacritas. Documentum dedistis

Digitized by Google

dediſtis grande, ſuſpicere & Vos auguſta Regum & Reginarum nomina, & charos habere, quos Deos appellavit, quantumvis zelotes, Deus. Nullum intermiſiſtis officiorum genus, quod præſtari à vobis præſens Reip. ſtatus, loci temporiſque ſivit oportunitas. Exhibitus honos majora, etiam veſtro judicio, meritæ Principi, ut non liberatoriam hanc, ſed confeſſoriam potius acceptorum beneficiorum tabulam credatis. Non referam publica. quod vos tangit privatum beneficium, majoribus ſuis debet, à quibus Civitati veſtræ ea jura & immunitates conceſſæ, quibus latius potentiam explicatis. Quanta feſtivitate, quantis gaudiis, quam læto extra & intra urbis pomœria occurſu, quam prona ubique gratulatione, quam ſplendido apparatu, erectis hic illic Arcubus & Portis Triumphalibus, exhibitis Ludis, coacto totius Militiæ Urbanæ exercitu, Reginam exceperitis, norunt, quotquot tantorum ſolemnium ſpectatores fuere. Iam ad eadem Spectacula, ad eandem Panegyrin, veſtra liberalitate & impenſis admittuntur abſentes, quibus coram hæc intueri non licuit. Venit jam ad illos Regina, & quæ mœnia veſtra ſubiit, nunc alibi ſcriptoris & ſculptoris beneficio conſpicitur, & ſalutatur. Stant ante oculos pegmata, theatra, claſſes, equitum ordines, civium cohortes, ſcenæ, dramata, prout hic ſtetere omnia, vel ivere. Non poterit ingrata eſſe eorum lectio, quorum conſpectus fuit jucundiſſimus. Facit narratio, ut diuturnior

Digitized by Google

sit memoria eorum, quæ non scripta oblivione cito intercidunt. Et quæ multa singuli non videre, nunc in unum collecta, omnibus in aperto sunt. Spectaculorum & Emblematum argumenta, quæ ob subitas theatridiorum mutationes & vices pauci assecuti fuere, tranquillo & extra turbæ strepitum posito lectori explicantur, ea brevitate, quæ factis nihil magnum aut memorabile subducit. In minuta inquirere supervacaneum fuit, ob res plurimas minoris momenti, variis locis, à variis, & minus palam gestis. anxia sedulitas sedulitatis error est, cum rei summæ id omne decedat, quod minus seriis, ac non necessariis impenditur. Omnis hic apparatus ad Vos redit, Amplissimi Consules, quia vester est. Vestro nomini inscribitur, cujus vos autores. Magnificentiæ, humanitatis, & benevolentiæ vestræ in maximam Principem monumenta agnoscent, quotquot hæc legent. Dicent imperio dignos, qui, cum honoris publici intereſt, sordes cavent. nec decere tenuitatem eos, quos populo secrevit fascium dignitas. Quod Regina, quod illustris Reginæ comitatus, quod populus Amstelodamentis credit, brevi recensione postremus atteſtor. quæ quam gratiam derogat sibi, à vestra sperat facilitate & patrocinio. Æquis animis ea ipsa accipite, quæ æquissimis in Mediceam egistis. Placeat Vobis scribentis conatus & studium, quorum pronis in se studiis annuit Regia Mater. Qui Regum Principumque vultus in æra inducunt, quam ab arte nequeunt,

Digitized by Google

queunt, ab insculpta Imperantium imagine benevolentiam impetrant. Dum Regina, dum Regum Genitrix, dum Imperatorum Neptis utramque paginam facit, veniam merebitur demissa & infra Majestatis apicem subsidens & fatiscens oratio. Videbitis, ubi per Reip. curas legere dabitur. Non urgeo hoc valde. illud maxime, ut qualem me erga Vos Vrbemque vestram ostendi esse, talem me per ætatem fore credatis. Ita Vobis, ita florentissimæ Civitati, perpetuum Deus bene faxit. Anno 1638, Octobr. 20.

V. N. & A.

addictissimus

CASPAR BARLÆUS.

VI.

In Orationum suarum librum.

Nobilissimo, amplissimo, prudentissimoque viro,

D. JOACHIMO VICOFORTIO,

Ord. S. Michaëlis Equiti,

Et Serenissimæ Hassiæ Lantgraviæ à Consiliis, &c.

LOquimur mortales, præstantissime Vicoforti, quod nec Angelis concessum, nec brutis.

Digitized by Google

brutis. Non illis, quia per disciplinam & voces, discere eos non est necesse, quæ natura perspecta habent & congenita. Non his, ob rationis defectum, cujus oratio est interpres. Nec loquimur solum; verum ita quisque loqui amat, ut persuadeat. ideoque artem adhibet, ut velut lenocinio quodam orationis impetret, quod intendit maxime. Tenella & puerilis ætas subsidii & solatii indiga, voce ad ploratum composita, vel ipsam novercæ iram expugnat, ut acquirat quod dentibus immolet. Amantes leni ac popysmis suis blandiente oratione, amasiæ pertinaciam frangunt. Iratus concitatius loquitur, ut terreat; timenti remissa & tremula vox est, ut evadat; mœsto, languida & flaccescens, ut misereamur; gaudenti comis & hilaris, ut oblectet. Ita quisque sibi & Rhetor est & Orator; eamque elocutionem comminiscitur, quam persuadendis movendisque aliis optimam novit. Quin schemata sua singulis & loquendi formas, etiam indoctis, suus dictat affectus & vehemens intentio. Medea, Rhetorices, ut opinor, nescia, dum vehementer quid cupit, Epizeuxin facit. *Da, da* (inquit) *per auras curribus patris vehi.* Dido, iracunda & commotior ἀντιθέτως [*opposita*] loquitur, *Flectere si nequeo superos, Acheronta movebo.* Penelope ob mariti absentiam dolens εὐχὴν [*votum*] format: *O utinam tunc cum Lacedæmona, &c.* Pastoribus apud Maronem modo Aposiopesin imperat indignatio, *Novimus & qui te:* modo obliquam Interrogationem vehementius asseverandi

Digitized by Google

randi ſtudium, *Non ego te vidi Damonis, &c.* Vt Rhetoricæ regulas non neceſſe ſit ab Hermagora, aut Molone, aut Siculis petere, cum cuique noſtrum eas dictent animi impetus & ſtudia. Quod ſi verum eſt, quid mirum, Græcos, gentem acutam & controverſam valde, in hoc annixos fuiſſe, ut cum rei bellicæ ſtudiis dicendi exercitationem, cum caſſide linguæ, cum oleæ præmiis facundiæ laudem gloriamque conjunxerint, tunc maxime, cum regna urbesque per eloquentiam potius, quam armorum vim expugnandæ eſſent. Quis Mercurius ille λόγιος [*interpres*] ſive Hermes fuit? me judice, orator exercitatiſſimus fuit, ob facundiam pro numine habitus. Quales Neſtor, Menelaus, Ulyſſes? oratores Græci fuere, in quorum verbis vis ἰλυγμὴ [*tractoria*] fuit & facultas ducendi homines, quo vellent. Et expediebat ſane tales ad Trojam mitti, cum, non claſſibus ſolum & flammis, ſed tropis quoque & ſchematibus, vincendi eſſent rudiores Aſiatici. Graviter & prudenter locutus eſt Solon, oratorum Athenienſium fere primus, ut Piſiſtrato imperium affectanti reſiſteret. Contra ſuavis fuit Piſiſtrato & flexanima dictio, ut populi animos deliniret & regno potiretur. Ariſtoteles incredibili tum dicendi copia, tum etiam ſuavitate apud Alexandrum effecit, ut totam Græciam adminiſtram habuerit in ſcribenda Animalium hiſtoria. Demoſthenes ad ἄνδρας ἀθηναίους [*viros Athenienſes*] loquens Philippum Græcia arcuit, donec ab Har-

Digitized by Google

Harpalo corruptus argentangina laborare cœpit. Tantum potuit Atticiſmis ſuis Demades, apud eundem regem, ut non ſeipſum tantum, ſed & bis mille Athenienſes prælio ad Chæroneam captos gratis rex remiſerit. Dum bellis aſſerenda fuit Græcia, prolatandi fines, arcendi Macedones & Perſæ, viguere oratores maximi. Scilicet, dicendi ſplendide, graviter, acriter & acute neceſſitatem ipſis impoſuit, defendendi imperii neceſſitas. Quamobrem captis à Sylla Athenis, languit Atticorum Suada, & fatiſcente Cecropidarum gloria, elanguit dicendi facultas, dejecta ſimul ſceptri & linguæ, armorum & oratorum majeſtate, fulgore, impetu. A Græcis loqui diſertius didicere Romani, ſive ad bella inflammandi eſſent civium animi, ſive componendæ ſeditiones, ſive exigendus urbe conjuratorum princeps, ſive objiciendus publicæ infamiæ futurus Triumvir, ſive Reip. vindicanda ſalus, ſive perſuadendum aliud quid, cujus Romani Imperii intereſſet. Tunc magna C. Cethegi, Catonis Cenſorii, Scipionis Africani minoris, Lælii & Servii Galbæ fama fuit. Licet alium dicendi vis, alium majeſtas, alium elegantia, alium lenitas Græcanicæ ſimilis erexerit. Quos ſecuti ſunt, Cæſar Dictator & Cicero, Bruti quidem teſtimonio fractus & elumbis, Calvi ſolutus & enervis, ſed plurium & ſequentium omnium ſeculorum, eloquentiæ Romanæ facile Princeps. Omnibus hoc ſtudium fuit, ut docerent, delectarent, moverent. quæ tria non æque

Digitized by Google

ab omnibus præstita, nec singulis omnem laudem, nec nullam concessere. Et quanquam post Tullium exstiterint Viri disertissimi, tamen inde à Symmachi temporibus, deficiente & vergente in pejus Romano Imperio, minus glorioſe & pugnavere & peroravere Quirites, ut nesciam, an armorum succeſſus eloquentiam, an hæc armorum audaciam fiduciamque magis erexerit. Hoc omni seculo compertum, apud eruditos populos, animosius inter bellorum furores & tubarum strepitus pro aris & focis declamasse oratores, sive in hostem vibranda esset oratio, sive de victo hoste triumphandum.

Quo nos ævo vivimus, ampliſſime Vicoforti, etiam loquimur mortales, & loqui conamur, ut persuadeamus. & inter patriæ bella securi peroramus. Verum uti infantes paternas maternasque voces balbutientes imitantur, ita veterum Græcorum & Romanorum in dicendo imitatores sumus, & umbræ, & priscæ facundiæ abortus & simulachra. Cum diserti quibusdam videmur, loquaces sumus, aut verbosi nimis & remissi, dum acumina affectamus, res magnas minutissimis & rancidis sententiis frangimus, nec nisi fumos ex antiquitatis luce damus. Nec tamen silendum propterea posteris, sed loquendum quoque, ne linguam ferrugo occupet, aut silentiariis adscribamur; præsertim titulo professores, qui audiri se malunt non eloquentes, quam non loquentes. maxime, cum quæ Veteres ad loquendum impulerunt causæ, etiam nos mo-

Digitized by Google

movere possint, nempe: hostium odea, victoriarum gloria, principum felicitas & fortuna, quæsita in rebus humanis honesta voluptas, & rei vel nullius, vel stupendæ exaggeratio. Me quod attinet, dum in illustri Amstelodamensium Gymnasio inter Philosophorum tristes cathedras versor, & Thomæ, Scoti, Cajetani, aliorumque ingeniosissima commenta, sine Atticis & Romanis leporibus, eloquor, voluptas subinde me cœpit, ad vetera litterarum studia recurrendi, & detersa professoriæ linguæ scabricie, eam affectandi dictionem, quæ Philosophorum subselliis minus est familiaris & conveniens. Volebam etiam ab ea urbe non exulare voces veteris Latii, in qua barbaras Persarum, Arabum, Afrorum, Moschorum indies audimus. Nec dixi sine delectu. Cum primum metropolin hanc ingressus essem, (annus jam est duodecimus) mercimoniis toto orbe celeberrimam, docui mercatores sapienter & ex Stoicorum rigidis præceptis mercari, ea oratione, quæ scholæ nostræ inauguralis fuit, & *Mercator sapiens* inscribitur. Cum de Machiavello apud viros maximos & politicos incidisset sermo & de nefario scriptore benignius quidam sentirent, dixi de *Bono Principe*, & ostendi, non indicari ab illo, quis Principum vivendi mos sit, sed quid Principem facere oporteat, non historici illum & narratoris, sed præceptoris & suasoris partibus fungi. Cumque inter Oratoris scopos sit delectatio, dixi alibi de *Ente Rationis*, hic de *Ente Reali*,

Digitized by Google

sive Re, eo dicendi genere, quod nequaquam Catoni frontem corrugare posſit & supercilium adducere fastidioso auditori. Est ea hominum, mi Vicoforti, conditio, ut θαυματοποιίας [*miracula*] ament, & quicquid admirandum, suspiciant & venerentur. Quare fuit, cum de *Animæ & Cœli admirandis*, verba feci, ne semper trita loquendo, somnolentos adspectarem auditores. Nec ignoras, inter tympana & tubas, classes & classica Batavos vivere, & Hispanorum metuendam fortunam assiduis bellis fatigare, victoriis terra marique partis claros. His excitatus, in *Panegyricos* digressus sui, nec Suasoriis contentus, laudavi Auriacos, Fœderati Belgii patres, Remp. florentissimam, quæ pacatis domi rebus, profligata tyrannide, domito Oriente, attrito Occidente, quicquid Universi terminis capitur, nominis sui & rerum gestarum fama implevit. Denique, cum à rebus divinis minime alienam esse facundiam, grandibus exemplis ostenderint priscæ Ecclesiæ lumina, Basilius, Chrysostomus, Ambrosius & Hieronymus, aliique facundissimi Scriptores Græci ac Latini, conatus sui de *Præsepi* Servatoris Christi, & *Cruce* ejus copiosius & ornatius loqui, ne ingrati arguamur in illum, à quo omnis hæc dicendi facultas profecta est.

Tibi, nobilissime Vir, hoc Orationum meum Opusculum inscribo, non uno nomine. Primum est, quod his ipsis studiis, quibus ad humanitatem & elegantiam omnem informamur, jam inde à teneris imbutus sis, & facundiam tuam,

Digitized by Google

tuam, si non in Scholis declamando, in Aulis apud Principes & terrarum rectores, scribendo prolixe explices. Alterum est, quod recitantem hæc ipsa me sæpius audiveris. ut monere jam necesse habeam, recitatæ orationis vim majorem esse, quam scriptæ. cum illam dicentis affectus accendat, acuat, attollat. hæc vero, dum motus animi abest, flaccescat lecta. Tertium est, sanctum illud & venerabile amicitiæ nomen, quam tecum, ex quo pedem in Vrbem hanc intuli, perpetuam colui, & conservavi. Dicam ingenue. Multa hujus civitatis decora sunt, quæ me afficere solent, ædium undiquaque conspectus pulcherrimus, stupenda Martis robora, classes & armamentaria, mercatorum frequentia, comitas, solertia, peregre advenientium, etiam ex alio orbe, mores, lingua, vultusque diversissimi, mercium receptacula, quibus aëris, terræ, aquarum spolia asservantur, templa, turres & sublimes passim Phari. Verum oculorum hæc solummodo oblectamenta sunt & pabula. quibus prætuli semper amicorum aliquot suavissimam consuetudinem, quæ mihi in agris pro vehiculo est, in urbe pro delitiis, in conviviis pro nectare, in funeribus pro solatio, in cymbulis & aquis pro Sirenibus, in ambulacris & porticibus pro pictis tabellis. Inter hoc familiam & agmen Te duxisse non dubitas, vel cum illorum invidia, qui & te & me amant tenerrime. nec enim dum te totum occupabam & possidebam, aliorum æque esse poteras. Vtique exosculatus

Digitized by Google

in Te fui virtutes summas, doctrinam, antiquitatis Græcæ & Romanæ curam studiumque, comitatem, candorem, fidem. quibus me, ceu compedibus & numellis ita N. T. devinxisti, ut jam avelli, nisi fato possim. Et cum nominis tui gratiam late foris, cum literis officiisque publicis privatisque, diffuderis & diffundas indies, etiam me hic illic, velut incertam epistolam, aulis intulisti, & eorum favore totum involvisti, quibus mihi male velle, religio est. Hæc testatus apud alios fui sæpius, jam testor publice, hac nominis tui Inscriptione quam præ se fert libellus noster, quo cultam hactenus, & gliscentem assiduis incrementis, amicitiam Tibi oppignero. Eam æternam faxit, Te vero tuosque hic sospites, alibi beatos velit ipsa Æternitas. Amstel. 20 Iun. 1643.

Nobilitati Tuæ

Cultor observantissimus

CASPAR BARLÆUS.

VII. In

Digitized by Google

VII.

In CONSTANTINI HVGENII Zulechemi Domini &c. MOMENTA DESVLTORIA.

CASPARIS BARLÆI PRÆFATIO AD LECTOREM.

CVm non ita pridem Hagæ essem, studiose Lector, cepit me voluptas, ea omnia ibidem lustrandi, quæ aliquâ sui vel magnitudine, vel elegantiâ, vel novitate spectatorem detinent. Fuere in oculis Principum palatia, sylvæ partim inordinatæ, partim longis ordinibus in quincunces digestæ, atria tot victoriarum monumentis conspicua, fossæ ædificiis hinc inde ad æmulationem exstructis illustres, curules magnificæ & pilenta *Regales vectura nurus*, armamentaria & horribiles Martis officinæ, aliaque plurima. Quæ dum lustro, ea mihi visus sum vidisse, quæ non magis me afficerent, quam pastilli vectorem Sileni, aut equum pictorum tabulæ, aut simiam elephanti conspectus. Verum publico subductus, & per amicorum hic illic stationes domosque oberrans, forte in Musæum nobilissimi clarissimique viri Constantini Hugenii, Zulechemi Domini &c. delatus fui. Veni huc plane tanquam capra ad festum suum, &

Digitized by Google

oculis meis repperi debitas delicias, & ἴδιον [*proprium*] Poëtarum ſpectaculum. Incidi quippe in grandem ſtruem & ſylvam Poëmatum, quæ Momenta Deſultoria inſcripſerat. Laſciviebam inter ſchedas haſce, conſperſa mille & mille Epigrammatibus folia, veluti inter nucum cumulos cercopithecus, aut in farris acervo curculio. Vti ex avido armorum contactu deprehenſus fuit Achilles, potuiſſem & ego deprehendi ex ſollicita chartarum volutatione. Hinniunt admiſſarii equi, cum equarum odor nares adflat. idem fere mihi evenire ſenſi ex conſpectu tam procacis argumenti, quo paſci ſoleo, tanquam rore ſuo cicada. Nec contentus ſubitâ & perfunctoriâ lectione, precibus monitisque impetravi ab auctore, ut ea publici juris faceret. Quæ enim illi edi operæprecium non putabat, ſeculo doctiſſimo & acutiſſimo, adeoque inter amicos perire volebat, ego ut ingenioſiſſima & non obvii ſaporis eidem propinanda putabam. Diſplicebat fœtus parenti ſuo, placuit ſuſceptori; & quem pro derelicto habebat, ut bene natum excepi ulnis, & nunc eruditorum oculis oſtento, uti famæ glorieque, ita & invidiæ ſecurum. Familiare hoc magnis ingeniis, ut quæ ſcribunt optima, damnent ipſi, aut quæ artis documenta diſſimulant per modeſtiam, aliorum eſſe judicii mavelint, quam ſui. Et forte non eſt cujusvis de hoc ſtudiorum genere judicare. Formarum cenſores plurimos habemus, boni & erecti carminis pauciſſimos. De illis ſententiam dicere

Digitized by Google

dicere poſſunt etiam maximè deformes. De his non niſi Poëtæ & ab eodem ſidere tacti. Eſt ex illarum numero facultas Poëtica, quæ actione & uſu comparantur. Et uti idoneus rerum civilium judex eſſe nequit, qui ſe rebus & res ſibi ſubduxit; ita poëmatis genium non capit, niſi ab eodem genio afflatus. Hæc ipſa, quæ vides, Momenta ſunt, & quidem Deſultoria. Momenta, quia pleraque nullo molimine, ſed impetu ſcripta ſunt, non conatu, ſed nutu, non ad lentas clepſydræ moras, ſed ſubito calore & quadam feſtinandi voluptate, ut veluti per tuſſiculas & interruptos ſingultus egeſta videantur. Alia namque in caſtris inter lituos & tympana, alia domi inter ſupplicum flagitationes & amicorum officia nata ſunt. quædam equitanti, quædam naviganti, quædam ambulanti exciderunt. quod ſane vitæ genus uti longas moras neſcit, & cunctationes fugit, ita præcipites ſubitosque animi motus amat. Deſultoria ſunt, quia cum non in caſtris ſolum, ſed & in aulis alia ſe ſemper offerat rerum facies, alii hominum vultus, aliæ curæ, motus, juſſa, non potuit non vagari mens libera & deſultoriè ferri in res varias. Diſtrahuntur nubes roridæ à radiis Solaribus in guttulas minutiſſimas. nec aliter Autorem diſtraxere in diverſa tumultus aulici bellicique, ut animum nunc celerem nunc illuc diviſerit. teſſella, dum aquarum ſuperficiem ex obliquo jacta radit, ſaltuatim pergit. non ſecus, Principis ſui ſubitis & iteratis imperiis avocatus, ad alia & alia deflexit

Digitized by Google

& brevibus intervallis ad se rediit; non dissimilis Monomeris, Orientalibus populis, (si fides Gellio) singulis cruribus saltim currentibus. Non fertur uno tramite Poëta noster, sed in vagum, & quaquaversum cursitat. E cœlo in terras, è terris in cœlos rapitur. modo in sylvis, modo in montibus, modo in aquis est. ab urbibus in domos, ab his in urbes saltum facit. Iam illi vir, aut fœmina, aut maleferiatus aliquis carmen facit. à flammis & incendiis publicis accenditur, rapitur per vasta maris spatia, cum Meteoris assurgit & erigitur, mordet officiosam & inofficiosam supellectilem, in singulis humani corporis partibus dentem figit, per vicos & plateas ambulat veluti ædilis aliquis, & sine populi suffragio pronunciat. nullam mundi particulam eximit suis lusibus & commentis. Vapulant illi Sol, Luna, pluviæ, grando, nix, fulmina, ignes fatui, totusque exercitus imperfectorum corporum. Specula, forfices, dentiscalpia, acus, digitabula, flabella, & nihil non istorum impedimentorum, ut stultitiæ nostræ argumentum traducit. ita prisco Poëtarum more Superos inferosque, naturam omnem, & artem totam Sapientiæ, totam Moriæ pari libertate exercet. Laudat, vituperat, suadet, dissuadet, mulcet & asper est. speculatur cum Thalete, monet cum Socrate, censor est cum Catone, ridet cum Democrito, flet cum Heraclito. acu pungit ipsum sartorem, penicillo suo perstringit pictorem, cum milite cæsim & punctim agit, Thaidas & Nomen-

Digitized by Google

Nomentanos nepotes lædit aliâ, hoc eſt doctâ & diacci cuſpide, omnes ſingulosque Epigrammate. Eſt inter aviculas motacilla, quæ in ſaltibus non magnis ſpatiis volitat, ſed breves facit de arbore in arborem, de virgulto in virgultum diſcurſus. Idem facit noſter in hoc Operis ſui ſalicto. arripit argumentum & deſerit, intrat ut exeat, venit & abit, nec, uti ſcopulis concha, diu uni immoratus, ſtationem, quâ ſteterat, relinquit. ſæpius incipit, ſæpius deſinit, & repetitis exordiis multas abſolvit fabulas, non ſine verbere. Non invito ad lectionem ſedentarios, & qui fœtus lambere in longum tempus amant, ac continuâ mentis agitatione ſolidos dies fatigant, non abſimiles vulturi, qui Tityi ac Prometheï extis æternum incubat, ſed eos, quibus interrupta ſunt otia, & diviſi in plurima labores, quique in ipſo conceptu pariunt. Nec ad Poëticum hoc epulum cupiam accedere triſtes & tetricos Deos, quibus non niſi ſuſpirio exit vox, ſed quibus erudita comitas, & non ficta hilaritas, & ſupercilî expers frons, & jecur molle & ſplen cachinnans in virtutibus ſunt. Abeſſe jubeo vitilitigatores, & minutiarum anxios ſectatores, qui ob voculæ ſitum aut accentum, frontem corrugant, & fluctus in ſimpulo excitant. Quin & illos, qui cum noctuæ ſint, indignantur non videre ſe vim Epigrammatis obiter lecti. Etiam hic locum habet: qui nucleum eſſe vult, nucem frangat oportet. aquarum potoribus & in Bœotia natis hæc non ſcribuntur, verum

Digitized by Google

verum Lectori attento, & cui repetita lectio secreta aperit, quæ diluti & fatui saporis sunt, gustamus cum fastidio & contemptu; quæ vero erecti, attentâ pitissatione, & frictione crebrisque morsicationibus. Ioviales convivas, Mitiones, Lælios, Augustos, Cicerones advoco, quibus suave est jocari sine noxa, ridere sine felle, quibus fabæ & betæ fabrorum prandia non sapiunt, sed asellos, & scaros, & apros & mullos in delitiis habent. Præstant hîc condimenta cibis, jusculæ carnibus, acumina rebus, apparatus argumento, qui in rebus etiam vilissimis elegantissimus est. Fulgent fumi acuminum luce. res nihili inventione maximæ fiunt. obtusa acuuntur ingenii solertia, & mira perspicacitate ipsæ, ut ita loquar, cotes pungunt. Loquor citra gratiæ spem. plurima sunt, quæ Bilbilicum vatem provocant; acumine, verborum emphasi, materiæ copiâ & ornatu. Veterum Græcorum & Romanorum acute dicta, allusiones & historiæ hîc illic insperſæ pro gemmulis sunt & coralliis, quibus plateæ, vici, lapides, utensilia, etiam corporis nostri particulæ despectiores coronantur & splendent. Intercursat τὸ ἠθικὸν τῷ φυσικῷ τὸ θυμικὸν τῷ ἐπιθυμητικῷ, [*morale naturali rationale appetitivo*,] miscetur utile dulci, honestum utrique. jam Anacreonticum quid, jam Aristophanicum legis. Non unius pulpæ sunt, quæ sapis. Prodeunt in scenam mortalium ineptiæ & multiformis fatuitas. in quam Satyram non scribere difficile est. Quare non pedes solum

in

Digitized by Google

in Epigrammatibus, sed & dentes invenies & ungues, quod ajunt, in ulcere. Nemo vapulat bonus, nemo impunè fert malus. Finguntur mali, non signantur. In rationis conceptibus luditur ingenio, nullius odio. Characteres crede & ideas describi potius, quam exempla viventium. Grassabatur Ajax in sues, quas Græcos putabat. Etiam furiis correpti vates perstringunt, quos nesciunt. Utopia pro regno ipsis est, subditi Lestrygones, Phæaces, Polyphemus, Circe, Calypso, à fictione sunt. Nemo in se dici putet, quod in vitium, & fieri saltem posse putet, quidquid exaggeratur ceu factum. Qui vatibus indignantur, lapidem mordent. non loquuntur ipsi. Pythius intus agit, quo inspirante non possunt non loqui. Non peccat; qui necessitate peccat, & Superûm afflatu. Quisquis legere hæc Momenta vel Desultoras voles, momentaneus sis oportet & Desultorius. Ita nec iræ ob hoc, nec amori ob aliud Epigramma longam moram dabis. Non tidebis diu ob hujus festivitatem, nec dolebis diu ob alterius næniam. Fabulæ totius partes & dramata sunt miles, studiosus, professor, sartor, pictor, princeps, rex, legatus, sacerdos, &c. ut Poëticam non particularem scientiam, sed universalem esse credas, quæ nihil intactum indictumque sinit.

Fruere, Lector, commentis ingeniosissimis. Digessi ea in ordinem, ut potui; ipsam annorum seriem secutus. noluit sibi hoc negotii dari autor, & quæ cuncta habebat contemptim, aliorum

Digitized by Google

rum curæ singula esse maluit, quam suæ. Non hîc canoras rugas & rerum inopes damus. Ab ea mente profecta sunt, quæ castrorum vallis concluſa, ubique esse amat, & palatiis circumscripta spiritum extrudit latius in obvium quodcunque. Vbi tympana Martius furor pulsat, hæc Apollinis citharam furore alio quatit. Evocata à Principibus pari fiduciâ Delo Phœbum Musasque arcessit, & jussus imperata facere à Dis terrestribus, imperat cœlestibus. Poëmata hæc cum legis, in virtutum te area versari puta. Erga amicos candidus est vates & officiosissimus, in improbos acer, in Patriam pius, in Principes suos gratus, in hostes publicos animosus, in rebus lætis comis, in tristibus serius, in sacris religiosus. ut non boni vatis solummodo notas, sed & civis optimi ubique deprehendas. Qui famem publicam redimunt novi commeatus & laculentæ frugis vecturâ, gratiam publicam merentur. Eandem & mihi deberi puto, qui desideria doctorum recreo sapidissimis bellariis. Si sapient tibi, evasisti maledictum meum. Si non sapient, exipue. Non fert thuris odorem ad stivam enutritus, nec erecti carminis fragrantiam gens Arcadum.

VIII. In

Digitized by Google

VIII.

In Poëmatum ſuorum partem primam anno 1645 editam.

Nobiliſſimo Viro,

CONSTANTINO HUGENIO,

Equiti, Zulechemi & Zeelhemi Domino, Celſiſſimo Arauſionenſium Principi à conſiliis & ſecretis.

QUi toties me hoc ſcribendi genere laceſſiviſti, Nobiliſſime Hugeni, & carminis tui deſiderio erexiſti, jam, quæ mea vel ultio eſt vel grati animi ſignificatio, Carminibus viciſſim meis, vel ad nauſeam, ſatiare, & pro Momentis tuis deſultoriis, longos Sermones refer. Etenim valde ſtudiis differimus. Tu impetu omnia & ſaltim agis, uti ſolent illi, qui non ſuo, ſed aliorum & quidem Principum arbitrio, vivunt. Ego, quia minus anxiè temporis tributo attineor, traho carmen & avium more parturio longiore incubitu. Viſcoſi ſum & lenti ingenii, ideoque cogor extendere & ductare poëmatium, uti fila ſua plumbea trahit vitriarius, & aurifaber in immenſam bracteam tundit auri atomum. Tu, friabilis magis ingenii, acuta brevitate abſolvis cœpta. Vti in Matheſi puncta differunt à lineis, in Phyſicis τὸ νῦν [*momentum*] à tempore, in Arithmeticis unitas à numero, nos meditatione diſcrepamus. Tu in carmine acumina

Digitized by Google

mina & cuſpides amas, hoc eſt puncta, & momenta. Ego lineas, tempora & numeros. Tu ſaltus breves & ſuccinctos iteras, ego teſtudineo gradu emetior mea ſpatia. Vtrumque vectat Pegaſus. ſed tuus tolutim incedit, meus ſuccuſſor eſt. Credunt philoſophi ſpiritus imperceptibili tempore moveri; corpora morâ. accidit idem vatibus, quorum alii pneumatici magis ſunt, alii ὑλικοί. [*materiales.*] Vehimur ambo curribus. Sed ego equorum opera, tu velorum. qualis iſte Principis tui eſt, in littore. Inter Poëtas Curtii ſunt & Longini, uti inter Capillatos. Mercantium alii verbo vendunt totam Orientis meſſem, quos tu refers, alii faſtidioſe & ad indignationem uſque onerant emtorem licitando, ut ego. Quod pugni eſt & palmæ diſcrimen, aſcaridum & anguillæ, pedis & decempedæ, idem & noſtrorum carminum. Quare cum mea leges, cave ſine viatico accedas, nam diverticulis opus & reſpiratione. Cum tua lego, ubique domi ſum, & in limine poſitus tango poſticam. Ne tamen oneri Tibi ſit prolixitas mea, conſtrinxi in non magnam libri molem hoc Heroicorum opus, ut Nobilitati Tuæ illud tradam; & in Famæ tuæ theatro, populo oſtentem. Claudo ſimilis ſum, cui ſcipione opus. Pauperi, qui in publicum proditurus, aliorum honoratiore pallio indui cupit. Infanti, qui, ne pronus labet, faſciis librari eget. Ludiones puerulos humeris attollunt, ut ſpectatorem ſpecioſa oſtentatione alliciant. Eodem inſtituto

Digitized by Google

ſtituto Heroica hæc Tibi nuncupo, ut Heroum aulis, unde argumentum habent, ubi vivis quotidie & loqueris, me ingeras, & ſublatum humo, & gratia tua amictum, tibique innixum, liſtas aliquando Iovi & Superis, ne à ſcarabeis & veſpis pungar. Et audeo profecto hoc à te petere, ob validam amicitiam, qua tibi alligor, litteris, colloquiis, verſibus, ſeriis, jocoſis, etiam cum res ſinunt, Cerere & erectiore Liberi patris ſucco. quem Pegaſi ungulam vocare ſoleo, qua percuſſi, non montes, fabuloſum hoc, ſed poëtarum vertices ac frontes, inſaniunt doctius, & manant uberius. Meminimus probè, quanta ſuavitate, quam annuentibus Apolline & Muſis, ego loquentem te, tu me non ſemel audiveris. Nec erat ſermo noſter alienus à ſtudiis & hoc litterarum genere. rarus admodum de Ottomannica porta, aut Septentrionalium litibus. de Tapuiis ac Nigritis rariſſimus. Sæpè fabulam fecit, benè aut malè nobis natum carmen. ſæpius ſecundarum nuptiarum (hoc enim ad nos pertinet) anceps alea, & exercitati mulierum vultus & frontes Sophiſticæ. Quàm volupe fuit, ſubinde mentiri rivalitatem, ne deeſſet argumentum ſcenæ. Quantis motibus tu mihi aliquando exprobraſti ὑδροφοβίαν, [*aquæ timorem*,] ego tibi Neptuni & maris Deorum contemptum. Quam non malis artibus, me cum maximo Senatore commiſiſti, cum de capellarum tuarum precio lis eſſet & comparatio. E caſtris reduci gratulatus fui incolumi & vegeto,

Digitized by Google

licet in Principum tentoriis consiliarios periclitari, negent sapientiores. Cùm in turri Argentoratensi annexam fastigio fasciam, plus quàm poëtica audacia, attigisses, habui quod epigrammate reprehenderem. Nec poteras excusari, nisi Parnassi illic te apices reperturum putavisti. Est ubi præficam tecum ago ad aliorum tumulos; ubi ægrotanti medelam quæro ab ipso Phœbo & carmine; ubi novercæ vapulant, inter pictos liberorum tuorum vultus. Reperies alibi, ubi publica Aularum & Templorum incendia tota Aganippe restinximus. Quoties ædificas, domi forisque, adsum testis. Vbi cum præstantissima Virgine Ultrajectina loqueris, interloquor. Cum Sponsus thalamum scandis, præfero facem. Cum viduus à secundis thalamis tibi caves, metu trium *L.* L. L. librorum, liberorum & libertatis, annuo prudenti. Cum dies tuos operasque exigis ad normam viri boni & sapientis; volo aulam tuam subire, quotquot pii esse volent. Cum organizas, concino. Cum vir factus es & duumvir, & Triumvir, & plus, prædico felicitatem tuam, & utiles Vniverso, non culinæ, titulos. Cum serò potiris filiola, voto adsum, *Ne soror aut fiat Castoris aut Hecuba.* Alicubi in viduarum laudibus moror, quas tecum sacro horrore veneror, nondum depereo. Ita scribere volentibus nunquam deest argumentum, quod pari aviditate videmur captare, qua culices hirundo. Vtique patet nobis ad carmen omnis mundi machina, & quæcunque

Digitized by Google

cunque illa complexu ſuo tenet. Quin & cognatione quadam & occulto nexu cœlos attingimus, unde ea ſuggeruntur, quæ nunquam venere in mentem. Vnde araneis ſuppetant tot telæ, vix dixerim. nec hoc, unde poëtis ſua commenta. Ea efferunt, quæ nunquam audita aut lecta fuere, ſive illa Anima mundi dictet, ſive intelligentia & mens illa aſſiſtens Averrois, ſive ſublimior Deus. Dum meditamur, trahit verſus verſum, uti in fodinis vena venam, aut magnes cohærentes cuſpide acus. Excidunt meditationes, velut contuberniis & manipulis, uti imbres guttis ſuccedaneis labuntur, aves turmatim volant, annuli catenatim nectuntur, aut pontem tranſire volenti pecori pecus longa ſerie inſtat. Nec tantus eſt pangendi carminis labor, cum absque impedimentis & organis edolari poſſit. Architectus ſine cœmentariis non ædificat. opus illi ſerra, amuſſi, malleo. Nec textor texere quiverit ſine radio. militi vallis, gladiis, baliſta, ligonibus opus, ut oppida expugnet. nautæ ventis, velis, anchora, ut naviget. pictori penicillo, tabula, coloribus, ut pingat. Poëta ædificat, pingit, texit, absque utenſilibus, & inſtrumentis. Officina operum mens eſt. faber mens eſt. famula mens. auditor & ſpectator mens. materies operis in mente eſt, ubi ideæ & univerſi ſpecies ſtabulantur. operæ precium ſibi eadem mens eſt, quæ nato feliciter carmine, non minus gaudet, quam edito partu puerpera: infeliciter nato, ſibi dolet. Non opus obſtetri-

Digitized by Google

ce, ſola parit. nec nutrice, cum fetus ſibi ſufficiat, & eodem vultu perſeveret. Si ſuſceptrix eſſe velit fama, excitatur ſtudium. ſi nolit, ſusque deque contemtum habet autor. Si arrodat Zoilus, emendatius exigit & promittit. Et quia ſolius mentis hæ ſunt partes, vagamur, uti illa vaga eſt, nec uni glebæ affixa. Nunc in Occidente carmen faciunt Barbari & barbarorum dux Naſſovius. modò in Occidentem delatus Moluccas & Iavas loquor. Ad Septentrionem cum urſis luctor. Ad Auſtrum Mauri & Nigritæ verſum implent. Cum domi ſum, expugnatis maximis urbibus, Veſalia, Sylva-Ducis, Trajecto ad Moſam & Breda, murali corona cingo Auriacum. Navalibus præliis adſum vates, & Iſabellam ratibus exuo ad Tolam, Philippum claſſe, ſub Britanniæ littoribus. In Germaniam raptus, Guſtavi tumulum lachrymis rigo: Saxoniæ Duci Bernardo victam Briſacum, & injectos Rheno compedes gratulor, Cæſari non armis ſed Scazontibus adverſus. At, ne videar cruentus ſemper & ferox, nuptias frequento Regum, Principum, amicorum, & bella narro nunquam matribus deteſtata piis. Mox ut à geniali voluptate ad ſeveritatem meam redeam, nænias & leſſos ſingultio, totusque funeſtus & atratus ſum. Ita quocunque mens agit vatem, ſequor, modo amicorum juſſibus, modo modeſtæ petitioni, modo animo meo obſecutus. Hæc cauſa eſt, quod dum ubique ſum & grandem mundi aream pererro, in tantum cumulum excreverint

Epi-

Digitized by Google

Epicorum libri, ut brevitatis ſtudioſo lectori graves ſint. Eos nomini tuo inſcribo, Vir maxime, quia paginas in hoc opere imples plurimas. deinde, quia Heroicum metrum & cothurnum amas. præterquam, quod partem maximam Auriacus ſibi vendicet, cujus heroicis geſtis, bellis ac triumphis liber ſecundus decurrit. Auriacus inquam, qui dum te illuſtrem facit merito tuo, me honeſtè habet beneficio ſuo & tuo. Vterque Principem tangimus propius. Tu conſiliis & chartis publicis, ego poëmatiis; tu quotidianis officiis, ego rarioribus; tu oculis, ego ſola è longinquo veneratione. Non poteram inſcribere Superis, Marti, Libitinæ, Veneri, quia tabellariis careo, qui deferant, & quia vivunt nullibi. Nolui Inferis conſecrare, Plutoni, Proſerpinæ, Megæræ, quia metuo chartis meis à Cocyti flammis. Et cum hominum pauci Philomuſi ſint, plures ἄμουσοι, [*muſarum expertes,*] ad hos ire timui, ne pro munere grunnitu exciperer & morſu. Quare munus conveniens offero, ac ſi Iovi aquilam, Mavorti gladium, Veneri pectinem, Apollini citharam darem. Vti hi hæc ipſa neglectius non habent, nec mea hæc, quæ vates vati conſecro, habe, nec me. Vale Vir Nobiliſſime. & in caſtris inter tubas &

Tympana, tranquillæ relegas commenta Minervæ.

Amſtelod. 16 Sept. 1645.

Nobilitati tuæ

obſervantiſſimus cultor

C. BARLÆUS.

Digitized by Google

IX.

In Poëmatum ſuorum Partem alteram.

Nobiliſſimo ac Magnifico viro

D. DANIELI SCHONCKIO,

Poelgeeſtæ Minoris Domino.

ACcipe, Nobiliſſime Vir, Poëmatum meorum Partem alteram, quorum priorem credidi tutelæ N. Zulechemii. æquum putavi vos jungi meis ſtudiis & chartis, quos jungit cognatio. Quoties prædium iſtud tuum illuſtre ac peramœnum, quod ad Rheni ripam ſurgit, cogito, quo me ægrum, quo incolumem excepiſti ſæpius, in Tuſculo mihi videor aut Formiis tecum vixiſſe. Hic non ſemel barbitum tetendi, & inter avium matutinos cantus cantillavi non ſegniter, veluti in Delo ſua Phœbus, in Tibure Flaccus, in Avenionis ad Rhodanum montibus Petrarcha. Invitat me eò aëris mira ſalubritas, & ad poëticas commentationes comparatus planè loci ſitus. qui inter arborum doctos ordines & hortorum ſpatia ac pulvillos, ſub ſalicis vel tiliæ umbra, eas elicuit meditationes, quas à litterarum & philoſophiæ cultore minimè alienas cenſes. Placent ſua ſingulis ſtudia, & uti vitæ aliquod genus quisque ſibi eligit, vel χρηματιστικὸν, [*lucroſum,*] vel ἀπολαυστικὸν, [*voluptarium,*] vel πολιτικὸν, [*civile,*] vel

Digitized by Google

vel θεωρητικὸν, [*contemplativum,*] ita in postremo hoc genere, contemplationum artiumque delectu gaudemus. Mihi duæ maximè arrisere: Philosophia & Poësis. illa seria & ad vitæ hujus usum faciens, hæc magis ad delectationem. illa ἔργον [*opus principale*] meum, hæc παέργον. [*operis accessio.*] Ea ferè hominum conditio est, ut quotidianam sapientiæ professionem, suaviore otio diffindere ament, & postquam serii fuere, cupiant in amœniora secedere. Huic in deliciis exotica sunt, & ex alio orbe allatus simius, psittacus, bacilla, capsulæ. illi testacea, conchæ, turbines, cochleæ, rombi diem trahunt. alios veterum Græcorum vel Romanorum utensilia occupant, lychni, fibulæ, pelves, secures, urnæ. Sunt qui felicitatis suæ summam putant, canibus imperare & felibus. Quare non ægrè à Te veniam impetravero, si furore poëtico plusculum commotior, hanc insaniam pergam insanire, quæ prima veterum philosophia fuit & sapientia. Nec enim fero illos, qui acerrimis impetiti convitiis, nullo offenduntur magis, quam poëtæ nomine. quod adeò venerabile arbitror, ut omnium dignitatum & appellationum titulos transcendat. Sane quanta fuerit horum æstimatio, Augusti Cæsaris exemplo constat, qui à Reip. negotiis feriatus, duorum poëtarum gaudebat contubernio, Maronis & Flacci. licet alter lachrymis & oculis lippis, alter suspiriis & tussi Imperatori gravis esset. Fas est artifici suam artem prædicare, sine aliorum

Digitized by Google

insectatione. Poëtices laudes nemo capit, nisi poëta. Nemo propius ad Deos accedit, nemo cum iis familiarius agit, nemo indolem divinam magis refert. Invocamus Apollinem, Musas, modo omnes, modo singulas, etiam Minervam, & ad nutum adsunt. licet invita iuterdum accedat Minerva. Ioves, Martes, Veneres, Mercurios loqui nobiscum facimus, quod nec Iurisconsulto, nec Medico, nec Philosopho concessum. Non minus ubique sumus, quam Superi. & licet habitemus in terris, in intermundiis Epicuri, cum libet, scribimus. Est Deorum omnia nosse, & supra vulgus sapere. nec minus per universa oculos mentemque circumfert poëta. quam ob causam poësin Plato τὸ ὅλον [*universum*] vocabat. Commendat Superos justitia. etiam vatem, qui versibus numeros, dictionem, decorum suum magna religione distribuit. tumultuamur cum tragicis, cum comicis incedimus lenius. jocamur cum Venere, cum Iove supercilium tollimus, crudeles sumus cum Marte, cum canimus *Bella per Æmathios plus quam civilia campos.* Et quàm illud excellens. cum mechanicorum vix ullus, nisi ad Solem & lucis beneficio suum munus obeat, poëta spissis in tenebris & intempesta nocte Musis vacat, similis aviculis istis, quæ defioculæ melius canunt. Cum novem virginibus nobis res est sub stragulis, remotis arbitris. iis in locis, quæ nunquam adspexit Sol, lineas poëticas ducimus. Vti Minos in inferorum sedibus vitas hominum

Digitized by Google

minum & crimina discit, nos nocturna caligine circumfusi eadem discimus & dicimus. Non impediunt Plutonis officia Furiarum flagella & latrans Cerberus. nec meditantem me turbant nocturni & horarii Stentores. Majoribus quoque fruimur indultis, quàm mortalium ceteri. Cum mentitur civis & maledicit, vapulat presbyteris. cum idem facimus poëtæ, & *Omne vafer vitium ridenti Flaccus amico* dicit, lauream meremur. Apud Ethicos plus dicere, quam res est, in vitio positum, apud nos in virtute. Platonicas ideas, humanitates, animalitates, bovinitates ridet & explodit Alexandri præceptor. Nos cum ideis aulicis turgemus, & Regalitates, Cardinalitates, Principatus, Ducatus, Comitatus somniamus, à Regibus, Cardinalibus, Principibus ungimur. Solus post Deos miracula facit Poëta. mortuis vitam reddit, & immortalitate donat Achillem, Æneam, Scipionem. Cæcis visum dat, claudis gressum, paralyticis robur. macilentis toros musculosque cum mediocriter doctos, proboque superlativis donat. Cum vellera aurea, mala Hesperidum, Chimæras, Geryones fabricat, cum ex fumo fulgorem dat, ex musca elephantum facit, Nioben in saxum vertit, Daphnen in laurum, creanti similis est. Nec abest à miraculo, grandem cœli machinam in Epigrammatis punctum contrahere, quod fecit Claudianus; numerosos Græcorum & Phrygum exercitus classesque terras omnes & insulas paucis pagellis comple-

Digitized by Google

cti, quod fecit in Iliade Homerus; Romanorum res gestas jam inde à nutrice lupa ad Augustæa tempora, uni scuto insculpere, quod fecit Maro. Qui saccarias artes excutiunt, fallunt spectatorem. Etiam poëtæ, cum Trojam equus capit, Æneas Carthaginem appellit, Augustus Divûm genus est, Ilia ex Marte gravida est, fallunt nostram credulitatem. Pictores cum Pergamorum incendium, raptam Proserpinam, aut Deianiram pingunt, omnium in se oculos convertunt. at præivere pictores poëtæ. Musicis & cantoribus præbemus aures attentissimas, at poëtis Orpheo, Amphioni, ipsi leones & lapides. Mercator merces suas conditoriis asservat, quæ magno precio conducit. nos saburram omnem nostram nobiscum absque impensis portamus. Agricolæ ætheris favore, statis temporibus, fruuntur. nec semper sementem faciunt aut messem. nobis nullo non tempore vacat vatibus esse. Miles non nisi hostem suum exercet. Nos hostes & amicos. Medici minus jucundè sanant ægros catapotiis ad fastidium ingratis. At nos μελοποιΐᾳ [*versificatione*] & carminum concentu furiosos ad se revocamus, quod noverat Asclepiades medicus. Philosophi in sectas abeunt. poëtarum sectas nescio, quia ab eodem Numine agitantur omnes. Hujus ordinis cum sim, noli aversari, Vir præstantissime, hospitem & hospites Musas. Fuere hujus scholæ, quos Scipiones, Lælii, Polliones amavere. Si Lucanum non tulit Nero, ab invidia

Digitized by Google

dia carminum fuit. Nulli graves sumus. delectamus & prosumus, dum benè factorum memoriam servamus. Amicitias bonorum magni facimus. loquuntur Elegiæ ad amicos. Sacra veneramur; loquuntur Sacræ. Principum vultus suspicimus, prout se res dant prosperæ vel adversæ, prout nascitur hic, denascitur ille, procantur Phyllides, nubunt Hecubæ, lustrantur urbes, prædia, agri, Epigrammata fundimus. Hæc amicitiæ veteris & nunquam intermorituræ novam tesseram habe. Plurima apud te, in tuis ædibus & agris nata sunt. quædam de te & tuis loquuntur. Ipse, cum serenus esse vis, spiritum per poëtica commenta feliciter præcipitas. Me ea comitate, benevolentia, ac animi propensione amplecteris, ut ignorare hoc Batavos meos nolim, quorum uti plurium consuetudine fruor, ita tuâ respiro liberius. Vale. è Museo nostro Amstel. 20 Octob. 1645.

Nobilitati Tuæ

addictissimus

C. BARLÆUS.

Digitized by Google

X.

In Historiam rerum in Brasilia gestarum sub Præfectura J. Mauritii Nassaviæ &c. Comitis.

Illustrissimo Comiti

J. MAVRITIO,

Nassoviæ, &c. Comiti, Brasiliæ Belgicæ nuper supremo

GUBERNATORI, &c.

BRasiliam, imperio tuo armisque fulgidam, tibi offero, Comes Illustrissime. Si loqui illa posset & tecum pacisci, traderet seipsam Tibi. qui insigni fortitudine asseruisti & auxisti Belgicam; & Martis tui fama metuque implesti Hispanicam, alterius vindex, alterius terror, utriusque admiratio. Quod non potest vel hæc vel illa, faciam pro utraque, ea Narratione, quæ nec autorem suis factis, nec facta autori subducet. Quotquot Veterum res seculo dignas posteris tradidere, prisci Orbis terminos non egrediuntur. Nos audaces tecum egredimur, in illum Orbem delati, quem toto semotum Oceano, sepositisse videtur & abdidisse Natura, in tuos honores & Nassovicæ domus gloriam. Romanis Græcisque scriptoribus Athenæ, Lacedæmon, Carthago, Roma, Latium, Galliæ, Germaniaque utramque paginam faciunt. Nobis Olinda, Pernambucum, Mauritiopolis, Tamarica, Parayba, Loanda, Mina, Mara-

Digitized by Google

Maragnana, ignota priſcis vocabula. Tunc belli partes fuere Aſſyrius, Perſa, Grajus, Macedo, Italus, Pœnus, Allobrox, Cheruſcus. Nunc Tapujæ, Mariquites, Petivares, Caribes, Chilenſes, Peruenſes. Nec diverſis hic gentibus ſolùm, ſed commiſſis inter ſe Orbibus pugnatur. Olim Rhenus, Iſter, Rhodanus, Indus, Ganges magnarum rerum teſtes fuere. Nunc Maragnonus, Platenſis, Ianuarius, Afogadorum, Portus Calvi, Capivaribi & Biberibi flumina. Nulli Polybio noti Mulatæ, nulli Livio Patagones, nulli Tacito Angolenſes, Floro Mamolucchi, Suetonio aut Iuſtino Nigritæ. at hæc noſtra nomina ſunt. Iſtis ſcriptoribus in bellum ibat veſtitus miles aut cataphractus. mei quoque bellatores nudi. illi gæſis, parmâ, ſariſſis, bipennibus, falcatis curribus, inter meos arcu clavaque terribiles. illi Poliorceticis machiniſque ad oppugnandum & repugnandum violenti. hi, cum ſoli pugnant, talium inopes. Tunc Romanus Luſitanum vicit. Nunc Romanorum fratres & ſocii. ille ad Tagum. hi Oceanum ultrà. Quæcunque mihi ſcribenti ſe offerunt, nova ſunt, ſidere, ſolo, populis, moribus, victu, armis. Barbaries ferrum acuit in gentem diſciplinæ & ſancti moris capacem. hæc in efferos movit, qui humanitatem non exuere ſolum, ſed & cum ipſa humanitate hominem devorare palmarium putant. Tanto major virtus tua, quanto à virtutis ſede & domicilio abiviſti longius. ubi lenis fuiſti inter duros, urba-

Digitized by Google

urbanus inter agreſtes, inter cruentos manſuetus, inter veræ pietatis neſcios pius. Quod dudum feceràs domi, factum à te foris. nempe ut arma commodares Libertati & Religioni, Patriæ & Eccleſiæ, hominum ſaluti & mercantium cupiditati, utrumque Fœderatorum gloriæ. Præſtitiſti te militem adverſus Hiſpanorum fortiſſimos, Banjolam, Torrenſem, Barbalionem, Menezam, ſurgentia in Occaſu lumina. nec militiàm à legibus, à diſciplina, ab ordine abſolviſti. verùm majorum tuorum exemplis intra recti terminos acriter retinuiſti. Eras in tenebrarum regno Phoſphorus, inter peregrinos & alienigenas tribulis, inter avios dux, inter diverſiſſimas gentes idem omnibus Imperator. Cum Marte, qui domaret terras, traduxiſti Chriſtum, qui domaret animos, & inter tot victorias, quas meditabaris, etiam illa fuit, quam reportaſti de erroribus. Illud belli tui & militiæ erectioris grande documentum, quod inter tot Naſſovios, quos in hoſtem armavit domi ſua virtus, inter tot conſanguineos, Europæis bellis conſpicuos, fiduciam primus ſumſeris trans maria bellum tranſportandi & in ſuo hoſtem regno adoriundi. Nimirum hæc à veteribus hauſiſti conſilia, à Romanis adverſus Macedonas, ab Annibale & Antiocho adverſus Romanos. qui nihil ſe memoratu dignum geſturos arbitrabantur, niſi vim belli aliò transferrent. Vtique magni Duces anguſtiis domeſticis circumſepti, laxius virtutis meritique ſpatium foris

Digitized by Google

foris quæsivere. Horum exemplo is fuisti in Novo orbe, qui in Galliis fuit Metellus, in Africa Marius, in Germania Drusus, in Pannonia Trajanus. ut sicuti hi trophæa exterorum suis inscripsere columnis, tu eorundem animis chartisque Belgarum inscriberes. Appellationes & nomina gentis tuæ dudum acceperant Americani, Nassoviorum neminem. ut non aliorum narrationibus notus Brasiliæ habearis, sed proprio vultu & Marte. Vbi Arces ipse & urbes condidisti, ubi hostiles vicisti, Mauritii nomen iisdem inscripsisti & Americani, inter tot Domus tuæ Heroas, cognomen solus meruisti. Inter bella, adventante potentissima Hispanorum classe, ædificavisti. ne videreris hostium metu temere abiturus aut de Republica desperasse. ut cum Friburgum & Boavistam intuebuntur Anthropophagi, Nassovicæ magnificentiæ & illustris præsentiæ domicilium agnoscerent. Industriam tuam loquentur ducti per flumina ad stuporem Pontes, in usum & securitatem publicam. Militarem fortitudinem Portus Calvus, Siara, littora Tamaricæ, Paraybæ, Fluminis Grandis, in Afris Æthiopum, in Maragnanâ Lusitanorum, cuncta navalium aut terrestrium sub Te præliorum conscia, prædicabunt. At piæ & circumspectæ moderationis testes erunt, discordes fide & cultu populi. Æquitatem laudabunt vicinarum in hostico urbium & provinciarum Rectores, clementiam & humanitatem Barbari. Cum post secula aliquot indigenæ, Lusitanus Barba-

Digitized by Google

Barbaruſque, Sigillorum tuorum inſignia per Præfecturas omnes conſpicient, agnoſcent Naſſovicam fidem; cum aucta & dilatata per te imperia, memorabunt Ducis potentiam, prudentiam, felicitatem; cum in deſertis Copaobæ ſuſpenſa ad cippos & lapides Societatis monumenta adſpectabit viator, exteri Rectoris indefeſſa ſtudia, & gentis, per avia lucri cupidine digreſſæ, motus mirabitur. At cum pudere ſe inter noſtros & veſtitam incedere intuebitur Barbaries, Europæorum tuorum honeſtati imputabit priſci pudoris velamenta. Ipſa Olinda, civitas & nomine & vultu olim pulcherrima, nunc ruderibus deformis, in maxima ſua clade illud admixtum gratulationis habuit, quod cum ſibi incolumi ſtare non licuerit, utpote aliorum victoriis perditæ; tua commiſeratione leniter fuerit habita. qui lugubrem caſum ſæpè intuitus, tantæ urbis fatis indoluiſti. Proponatur in conſpicuo ruentis Olindæ facies & ſurgentis in laudes tuas Mauritiæ. non dubitabunt homines, utro ſpectaculo magis delectentur. Nam ſi flebile eſt in ſacros penates exercere arma, jucundum profectò & laudabile ſit oportet, Deo delubra, civibus domos condidiſſe. prius, ut in Creatorem ipſum, poſterius, ut in homines, hoc eſt ipſius Dei imaginem, amor tuus reflecteretur. Ita aliis Te virtutibus hoſti terribilem, aliis tuis amabilem feciſti. illis immenſam gloriam, his amorem benevolentiamque omnium promeritus. Inveniſti medium iter inter hoſtes & noſtros,

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google